UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ, Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem Accommodata

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

urn:nbn:de:hbz:466:1-68908

Visual Library

X
IV 22.
Th 5870.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLARA ET PRÆCLARA

METHODUS

PARANDÆ ELOQUENTIÆ,

Secundùm Doctrinam & Præcepta

CYPRIANI SOARII

è SOCIETATE JESU,

AD CAPTUM ET PRAXIM FACILIOREM ACCOMMODATA,

à Sacerdote ejuſdem Societatis ex Priſcis & novis Authoribus ſelecta.

Non minùs in uſum Candidatorum Eloquentiæ, quàm in gratiam eorum,

Qui pro Concionibus formandis facilem dilatandi modum deſiderant, adeoque Concionatoribus, & Divini Verbi Præconibus utiliſſima.

EDITIO SECUNDA.



Collegii Soc. Jesu Paderborn.

COLONIÆ AGRIPPINÆ, 1724.

Sumptibus ENGELBERTI THEODORI KINCHII,
Anno M. DCC.
Cum permiſſu Superiorum.

AD LECTOREM.

NOvi nihil, si rem ipsam spectes, præsenti opere molior: vetera enim sunt Eloquentiæ præcepta, qualia fuerant etiam ante eos, qui post Aristotelem, Ciceronem & Quintilianum scripserunt. Nova tamen ea tradendi Methodus (quam sæpe solam in plerisque Recentioribus suspicimus) exhibetur, non quidem ad luxuriem & florem (in hoc enim jam non desunt alii) sed ad praxeos facilitatem, in gratiam incipientium. Mihi etenim mens est, imperitum adhuc Rudimentorum Rhetoricæ informare Tirunculum, non verò eum, qui eruditam, acutam, sententiis gravem, allusionibus fulgurantem, verborum fuco comptam, scribere meditatur orationem, qualem hoc sæculum appetit. Nec in hujus Magisterio alias à Cypriani Soarii præceptionibus sequor, cùm hæ in scholis nostris Majorum nostrorum imperio sint in usum deducendæ; ùt ùt alii rivulis recentiorum se abripi patiantur, quos tamen delibare, aut indicare non negligo, ubi authori præscripto

subservire possint. Quoniam verò non pauca in Soario nonnullis videntur jejuna, obscura, & implexa, ut hujusmodi esse desinant, ad laboro, diffusâ præceptorum expositione, exemplis & praxi. Hinc nec supercilio elatum scribendi characterem sectatus sum, memor me Latium vix fari potentibus, panem frangere, & præmandere; difficultatem alioqui, non facilitatem allaturus. Eadem de causa obviis exemplis declarare præcepta sum ausus, ut quia nota sunt, facilius capiantur, & hæreant. Philosophorum tamen loquendi formulis distinxi nonnulla; tum, ut satisfacerem illis, qui confusionis arguentes Soarium, Peripati rigore cuncta examinant, ad Philosophicum Distinctionum, velut Lydium Lapidem; tum, ut ansam haberent ingenii sui aciem explorandi, quàm acutè caliganris Dialecticæ arcana sint scrutaturi? si hæc paucula, nec sine declaratione posita, captum superârint. Quanquam quid mirum, Philosophicis hic locum esse vocibus? ubi res è Philosophiæ fontibus depromptæ, obveniunt exponendæ, ut sunt loci, argumentationes &c. Quòd verò quædam ab authore suis locis posita prætermiserim, alibi reposuerim, causæ id erat, ut non doctrina illius dunta-

xat, sed & praxis facilior evaderet ; cujus intuitu fieri amat , ut quæ prima sunt in intentione, in executione sint postrema. Unde alius ordo doctrinæ , alius praxeos sit, est necesse. His te præmonitum & præmunitum accedere volui amice Lector. Vale! & si arridet, fruere ad majorem Dei gloriam.

PRÆFATIO

AD NEO-RHETORES,

Quâ docetur,

Munus esse Rhetoris, ex trunco formare Mercurium.

AVete Neo-geniti Palladis alumni, novelli Suadæ proci, Mercurii nepotes, Tullii assectatores, Romanæ Eloquentiæ Candidati. Gratulor emensos Poëticæ colles, per tot cæsuras sine vulnere, per tot elisiones sine pedũ offensa, per tot scansiones sine digitorum affrictu; nec quenquam fuisse, eorum è numero, qui sibi pangendo versus cere-comminuunt brum. Et quod animos addit ad labores ante-hac incitatos, gratulor ardere vos, non modicâ disciplinæ, quam professurus sum, cupiditate; quæ ùt ùt scintillæ magnitudinem non excederet, in grande incendium erupturam non ambigo, ubi quotidiani laboris ventilabrum, exercitatio, accesserit. Verùm dum vobis gratulor, mihi vel aspectus vester neo-Rhetores, nè dicam ingeniorum cultura, principium doloris, laboris tædium, radix pusillanimitatis: Tirones me, in condiscenda oratoria facultate nactum iri sperabam, & ecce truncos, stipites, ligna! video homines sicut arbores am-

ambulantes. Neque cæcum me putate, nisi exoculare velitis Platonem, qui hominem dixerat arborem, priusquam cæcus Evangelicus illum vidisset. Et forsitan ii estis, qui nec vocem formare, nec caput gyrare, nec manum pedemque librare nôstis, nisi distortè atque ineptè; quomodo vocale quoque fieri novimus crepitaculum, verti stipitem, moveri truncũ, vento ramos agitari; verbo, trunci estis! At quid Rhetori cum truncis? nisi fortè inflammandæ per hyemem fornaci commendet Calphurnio, vel fulcrorũ vice theatro impendat architectando: Ita habete gratias Apollini vestro, qui in tales usitatâ Poëtis Metamorphosi vos transformavit. Scio equidẽ vos in lauros arbores abire voluisse Daphnidis instar quò coronati vigeretis & virere tis laureati Poëtæ. Nihilominus, (si factum est) stipitis & ligni genus non excessistis. Si in cygnos dulcissimè modulantes, amicam sibi avem, vos transversum egisset, aut si eam vobis invidebat formam, saltem in picas, corvos, psittacos, graculos; non diffiderem in eloquendi cultura, operæ pretium me laturum aliquod; & ecce! in truncos conversos video. Quid faciam? quid agã? ut, quales esse cupitis, eloquentes evadatis oratores? quod consilium; aliud non supereſt; quàm ut Rhetorem exuam, sculptorem induam attentaturus, utrùm è truncis

Mercurios efformare valeam. Vestrâ igitur boni Superi, qui ad tradendam me huc destinastis eloquentiam, vestra quoq; A. A. veniâ codices tantisper removebo, truncos agrediar, calamum deponam, scalpellum arripiam, pro liberalis artis Professore, Mechanicum agam; confido rem non infeliciter cessuram, quod ad me quidem attinet; nam de vobis Neo Rhetores universis mihi non polliceor, cùm, ut vetusto fertur adagio, *non ex quovis trunco Mercurius* evadat. Interim ne opus temerè suscepisse videar, vobis consilii mei rationem exponam, vestrâ tamen AA. benevolentiâ fultus & favore; sed vestrâ Neo-Rhetores nixus patentiâ, dum vobiscum non aliter, quàm cum

Stipitibus duris agitur Sudibusve præustis.

Ex trunco Mercurium efformaturus artifex, non priùs doctam operi manum admovet, quàm profundam ideæ effingẽdæ cogitationem immergat, ex abdito mentis recessu educat, eductã ordinet, ordinatam exornet, & concinnet, concinnatam denique fixo mentis intueatur obtutu, nè, in imprimẽda stipiti, vel ad unguem recedat, sed opus à foris fabricatum, sit interiùs concepto quàm simillimũ. Concipit ille humani corporis effigiem, capitis, manuum, pedumque molem trunco congruam, verticis cincinnos, oculorum radios, labellorum tubera,

manu-

manuum jactus aut quietem, pedum motus, inceſſus celeritatem, aut lentitudinem, actus denique moreſque hominis nativos, eam in ſpeciem, cujus Mercurium fuiſſe opinatur. Tum ènim verò ſcalpellum arripere, ſtipitẽ invadere, infligere vulnera, reſecare diſtorta, tollere hiulca, æquare iniqua, cavare exuberantia, dividere concreta, extenuare ſpiſſa, levigare aſpera: hic caput, ibi pedes, manus alibi, cincinnos oculoſque cum ore in capite, digitos cum articulis, in manibus & pedibus fabricare, ſingulis figuram, ſymmetriam, vitam, motum, decuſque attribuere, ad ideam mente conceptam, identidem reſpicere, revocare, reformare; donec denique formoſolus videri occipiat Mercurius. In quo tamen notiſſima ſculptoris deſudat induſtria eſt, ea trunco extorquere lineamenta, effingere membra, exporrigere inſignia, addere decora, quibus unumquemque ab alio, Saturnum à Jove; Martem ab Hercule, Junonem à Venere; Cererem à Pallade, conſtat diſcriminari. Et quoniam appropriari Mercurio non ignorat galerum in vertice, caduceum in manibus, alas in pedibus, hæc ſingula, arte quâ poteſt, induſtriaque exprimit, effingitque, ut viſo ejuſmodi ſpectator ſimulachro, mox tanquam de Mercurio pronunciet;

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Tum enim verò viri principes, pro aris stare jubent lignũ quod flammis destinârat incentor foci, quin bruta stupescunt ipsa, quæ difformem deformemq; stipitem neglectim priùs præteribant, & conculcabant. Atque hinc animadvertitis opinor Neo-Rhetores, in quo potissimùm mea locanda sit opera, ad efformandam in unoquoque vestrum Mercurii imaginem, caput, manus, pedesque exsculpẽdi de stipite, quò trunci esse desinatis, & hominem induatis, qui Mercuriũ referat. Si tamen necdũ sat percipitis, retegã cortinam, evolvã involucrũ, pandam mysteriũ, loquar planiùs, dicam apertiùs In disertos abire vultis Oratores (hos enim per novos Mercurios, quales efformandi estis, accipio cum antiquitate universa :) Tullianæ Eloquentiæ Candidati; sed ut caput vos habere credant alii, non memoriã solùm dicendorum receptaculum, proferendorum thesaurum, retinendorum penum esse opotet, sed & ingenium acutum, perspicax, promptum, & facile, quo, quid argumentorum in apertum protrahendum, quibus è Rhetoricæ fontibus depromendum, investigandum, ocyus dispiciatis. Quin & judicio opus est maturo, quò rationum momenta ad libellam expendatis, quo argumentorũ aciem rectè & ad victoriam aptè statuatis, quo cum delectu, infirma validis postponatis, robustiori-

bus

bus interſeratis, præmuniatis, aut tanquam inutilia ab exercitu proturbetis, aut hiatibus, valliſq; implendis deſtinetis. Judicio opus eſt: quò verborũ colores ad varietatẽ & venuſtatẽ attemperentur, tropi non abũdè, nec infrequenter, non incongruè nec violẽtè uſurpentur, quò figurarum lumina, & ſententiarũ fulmina ſuo loco, ſuoque tempore vibrentur, expediantur, contorqueantur: deniq; quô diſcernantur quandonam mollienda lenociniis oratio? quando acrimoniâ conſpergenda? ubi, quive animorum motus proliciendi, concitandi, inflammandi, aut ſopiendi? quâ voce ſummiſſane, an elatâ, gravi an acutâ & concitata ſit utendum. Hem! quàm elaborato ad Eloquentiam opus eſt capite, quàm perpoplito ingenio, quàm perpurgato judicio, quàm multiplici in artifice dexteritate, ita memoriam excolendi, ingenium perpoliendi, judicium efformandi. Adnitar tamen adhibitâ velut ſcalpello, planâ, diſertaque Cypriani expoſitione. Ubi cùm Libri Primi perſcrutabimur capita inventionem deſignantia, excolemus ingenium; dum Secundi de diſpoſitione, formabimus judicium, dum Tertiii de elocutione linguam faciemus diſertam, orationem comptam & ornatam. Dum verò ſuccedent ea, quæ de numeroſo periodorum velut in orbem refluentium

ambi-

abitum, de verborū gravitate, aut velocitate, de numerorum concinnitate, de pedum in soluta eloquentia usu adnotârunt, artis hujus Magistri, pedes fabricabimus Mercurio, simul cum orationis membris aliis, non sine incisis, non sine cæsuris. Denique ubi intelligetis, quæ de oratione & gestu tradiderunt cum Cypriano Majores nostri, cogitate, nolle me mancos vos esse, verùm manibus instructos, nè truncorum instar appareatis in arena declamatoria, vel theatris sine motu, sine gestu. Sic si caput, sic manus, sic pedes, in vobis celaturus sum, dum nil celabo eorum, quæ ad inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronuntiationem ab optimis oratoribus requiruntur. Verùm quoniam Mercurio vos simillimos cuperem, non quale quale relinquam caput, sed galero cooperiam; non manus patiar vacuas, sed virgâ non sine intortis anguibus instruam; non pedes implumes aliorum hominū more sinam, sed alis induam, pēnas adaptabo: Volare enim pernicissimæ avis instar eloquentis sermonē voluêre veteres, qui Mercurio alas addidêre, ut adnotavit Sebastianus Erizzus apud Manseniū (a) Siquidē non testudineos, sed nec humanos oratoris verba pedes habere decet, non ab uno ad alterū, successivè delabi vox

(a) In Speculo imagin.

pronun-

pronunciantis, sed eodem temporis momento, quô de ore loquentis progreditur, ad omnium & singulorum aures pervadat, est necesse. Quâ enim de causa, ab Homero sapientissimo Græciæ Vate verba fingentur alata, nisi quod incredibili velocitate omniũ aures & animos, simul attingant, simul pertranseant. Nolo igitur umbraticos esse vos Oratores, qui artis quidem præcepta calleatis, & reipsa stylo exprimatis, chartis interim solùm mandetis, tacituni privatos inter parietes, nullâ ad populum, nullâ ad Rerumpublicarum Moderatores emissâ voce: volo audiri vos olim in exedris, in curiis, in tribunalibus, in aulis, ubi verba vestra omnium aures circumvolent, omnium recessus pervadant & animos; cùm non alium in finem talaria pedibus vestris attribuo. Et en caduceum quoque porrigo, virgam directionis, virgam regni, dissidiorum conciliatricem, pacis indicem, legationum insigne monumentum. Vestrum enim, atque Eloquentiæ erit moderari imperia, dirigere regna, sceptra dare, & eripere, guberna e provincias, dominari urbibus, judicis imperare, præsidere consiliis, ferre leges, jura vulgare, lites dirimere, componere bella, stabilire pacem. Vestrum atque eloquentiæ erit, refrænare indomitos, frangere contumaces, sistere irruentes, sedare turbidos, enervare armatos,

armatos, duros emollire, animare timidos, excitare torpidos Veſtrum atq; Eloquentiæ erit, quoſvis in ſtuporem defigere, capitis reos è faucibus mortis eripere, aut in eaſdem præcipitare, cùm libuerit; ita enim de Mercurii virga Maro:

----animas illa evocat orco
Pallentes alias ſub triſtia tartara mittit,
Dat ſomnos adimitque, & lumina morte reſignat.

Verùm trepidabitis fortè ad ſtrepentes enſibus curias? tremetis ad frementis populi conſpectum? refugietis irati furorem? ad Regiæ verò Majeſtatis purpuram expalleſcetis? ad tubarum bellum inſonantium clangorem obmuteſcetis? ita eveniet miſi galero quoque Mercurii, caput veſtrum præmuniam. Eſt pileus ille inæſtimabilis pretio libertas (hic enim mancipiis, in libertatẽ euntibus tribuebatur olim) quâ animus ſeipſo major factus omnis timoris, pudoris, aliarumque animi perturbationum motus ſupergrediens, nil expalleſcit, nil erubeſcit, nil refugit, nihil pavet, intrepidus, inconcuſſus ſtat, pro veritate, æquitate, pace, & concordia. Quòd enim pileus ille faciem pudoris contegit, erigit eundem, & ad regiæ præſentiam Majeſtatis exporrectam, immutatamque tenet frontem.

Quo-

Quoniam verò galerus idem pro galea est, nil adversantium metuit invidiam, nil obluctantium odia, nil concitatorum minas, sævientium rabiem, furientium tela, nil vulnera, nil cædem, nil mortem ipsam, etiamsi fructus illi batur orbis, impavidum ferient ruinæ. Assumite igitur galerum, quem lubens porrigo, imperterritam ad cujusvis præsentiam perorandi libertatem: retinere etiam, quem in virga exposui animorum, regnorumque directrice, Eloquentiæ potestatem, cum ea quoq; celeritatem verborum aures permeantium, quàm alarum subsidium pedibus adjectum denotabat. Ast tria vicissim efflagito: Libertatem, quam vos in orando tenere volo, in auscultando præceptis meis cohibete: pileus enim honoris, ac reventiæ ergò artis Magistro deponendus. Nunquam igitur mihi capur apponite, minùs verò obdurate frontem, minores non galeam, sed pileum gestate Mercurium. Sed nec manus ense, verùm caduceo instruite: non enim Martis aculeum, sed Martis stylum polire vos oportet, nec in vulnera, sed in salutem. Denique Mercurium habetote in pedibus, non qui vagabundus, compita, tabernas, choreas nè dicam alia circumvolet; sed qui festinus ad lyceum, promptus ad Majorum impe-

imperium, facilis ad omnem præceptoris nutum & obsequium. Ita fiet, ut acriori scalpelli ictu vos lædam nunquam, nec infligam cum maximo doloris vestri sensu, vulnera; perducam tamen ad optatam mihi, vobisque eloquentis Oratoris, id est Mercurii perfectionem. Ita faxint boni Superi!

Vos facitote, ut cupio, ut dixi.

OECONOMIA PRÆSENTIS METHODI.

Præliminaria exponunt, quid nominis, quid rei sit Rhetorica, quæ ejus partes & causæ? & cùm causa materialis sit quæstio, explicatur, quid & quotuplex sit quæstio. Traditur hic Doctrina Cypriani Soarii lib. 1.a, c. 1. ad 9. & lib. 2, a. c. 11. ad 16.

PARS PRIMA.

Tractat de Juventute Argumentorum secundùm ordinem locorum intrinsecorum & extrinsecorum apud Cyp. Soar. à c. 12. ad 31. quæ deinde prætermittuntur de amplificatione, de genere exornativo & deliberativo, require parte V. Supplemento 1. & 3. pag. 13

§. I. *De Argumento & loco Rhetorico.* ibid.
§. II. *De definitione.* 16
§. III. *De partium distributione.* 26
§. IV. *De Etymologia.* 32
§. V. *De Genere.* 37

§. VII. De specie seu forma. 43
§. VIII. De Similitudine. 45
§. IX. De Dissimilitudine. 49
§. X. De Contrariis. 54
§. XI. De Adjunctis. 55
§. XII. De Antecedentibus & consequentibus. 62
§. XIII. De Repugnantibus. 66
§. XIV. De Causis. 67
§. XV. De Effectis. 75
§. XVI. De Comparatione. 76
§. XVII. De Locis extrinsecis. 87
§. XVIII. De Usu locorum. 91

PARS II.

Agit de Depositione Argumentorum quoad formam, seu de argumentatione Rhetorica juxta Doctrinam Soarii lib. 2. à c. 16. quæ verò à c. 1. prætermissa sunt de Orationis partibus vide parte 5. Supplemento 2. 117

§. I. De Ratiocinatione & Sillogysmo. 118
§. II. De Enthymemate. 121
§. III. De Inductione. 122
§. IV. De Exemplo, quarta Argumentationis specie. 125
§. V. De Epicheremate. 127
§. VI. De Dilemmate. 132

PARS

PRÆSENTIS METHODI,

PARS III.

De Tractatione seu Deductione Argumentorum & Oratoriâ, seu de Dilatione, secundum Doctrinam recntiorum & inventionem propriam. 136

§. I. *Modus dilatandi syllogysmum Oratoriè.* 137
§. II. *Triplex Monitum.* 139
§. III. *Syllogysmus perturbatus & inversus.* 143
§. IV. *Syllogismus immunitus.* 145
§. V. *Enthymema Oratoriè deductum.* 147
§. VI. *Via sternitur ad dilatandam partem in syllogismo vel Entymemate.* 151
§. VII. *Via eadem fit planior incipientibus.* 157
§. VIII. *Monita in Dictorum usu observanda.* 165
§. IX. *De Connexione partium in Argumentatione.* 167

PARS IV.

De Exornatione Argumentationum, ubi de Ornatu, de Tropis, Figuris, Collocatione, Oratione numerosa, de triplici dicendi charactere, seu stylo secundum ordinem Capitum lib. 3. in Cap. Soario. Additur Appendix de triplici stylo in Narrationibus, & de stylo Epistolari. 170

Liber tertius Cypriani Soarii. Caput primum. 171
Caput 2. *Quæ in elocutione sectanda sint.* 173
Caput 3. *De Ornatu.* 189
Caput 4. *De Ornatu Orationis.* 192
Caput 5. *De Verbis simplicibus.* 193
Caput 6. *De Verbis inusitatis.* 197

Caput 7. *De Verbis novis.* 201
Caput 8. *De Tropis seu verbis translatis.* 205
Caput 9. *De Metaphora.* 211
Caput 10. *Quotuplex sit translatio?* 214

Appendix ad Caput 10. 224.

Caput 11. *Exempla Metaphorae ex sacris litteris.* *ibid.*
Caput 12. *De Synecdoche.* 227
Caput 13. *De Metonomia.* 244
Caput 14. *De Antonomasia.* 157
Caput 15. *De Onomatopeia.* 267
Caput. 16. *De Catachresi.* 279
Caput 17. *De Metalepsi.* 277
Caput 18. *De Allegoria.* 280
Caput 19. *De Ironia.* 295
Caput 20. *De Periphrasi.* 300
Caput 21. *De Hyperbato.* 304
Caput 22. *De Hyerbole.* 307

Paraenesis ad Eloquentiae Candidatos. In qua praeter Figuras pleraque Troporum species exprimuntur.

Caput 23. *De Ornatu qui est in verbis conjunctis.* 320

Caput

Caput 24. *De Figuris.* 321
Caput 25. *De Generibus figurarum.* 323
Caput 26. *Quot modis faciant figuræ verborum.* 325
Caput 27. *De figuris, quæ fiunt per actionem.* 326
Caput 28. *De figuris quæ fiunt per detractionem.* 342
Caput 29. *De figuris Verborum tertii generis.* 349
Caput 30. *Quid Verborum figuræ Orationi conferant, & quid in eis cavendum.* 370
Caput 31. *De figuris sententiarum.* 373
Caput 32. *De Collocatione.* 415
Caput 33. *De Ordine.* 417
Caput 34. *De Junctura.* 419
Caput 35. *De modo & forma verborum.* 424
Caput 36. *De origine Orationis Numerosæ.* 427
Caput 37. *Cur Numeratio inventa.* 428
Caput 38. *De incisis membris & periodis.* 429
Caput 39. *De pedibus.* 440
Caput 40. *De Numero Oratorio.* 441
Caput 41. *De triplici genere dicendi, seu Elocutione.* 442

Appendix I. De triplici stylo in Narrationibus 447
II. De Stylo Epistolæ ex Simone Verepæo. 486

PARS

PARS V.

Continet Analecta scitu necessaria ex Rhetorica Cypriani Soarii lib. 1. & 2. comprehensa, sed prætermissa superius, quod praxeos ordini, quoad Tyrones minùs deservirent. Itaque Supplemento I. agitur de amplificatione Argumentorum. Supplemento II. De partibus Orationis, Exordio, Confirmatione, Confutatione, Epilogo. Supplemento III. De genere Exornativo & deliberativo, ubi de variis Orationum speciebus & formis in particulari quadam dicuntur.

Supplementum ad lib. 1. cap. 33. de amplificatione pag. 480.

§. 1. *Quid sit, & quibus modis fiat amplificatio.* ibid.

§. 2. *Media circa affectus excitandos.* 485

Supplementum II. ad lib. 2. à cap. de Ordine seu Dispositione partium in Oratione. 489

§. 1. *De Exordio Orationis.* 490
§. 2. *De Narratione.* 494
§. 3. *De Confirmatione, in qua & Confutatio.* 498
§. 4. *De Peroratione.* 500
§. 5. *Praxis totius Orationis conficiendæ.* *ibid.*

Supplementum III. de genere demonstrativo, seu exornativo ad lib. 1. cap. 42. & seq. 519

PARTE VI.

Et ultima traduntur præcepta & leges Memoriæ Artificialis, de gestu item & vocis moderatione de quibus Cyprianus Soarius lib. 3. à c. 52.

§. 1. *Emolumenta artificialis memoriæ exponuntur.* 540
§. 2. *Fundamenta artis hujus.* 447
§. 3. *De Constructione locorum & eorum conditionibus.* 551
§. 4. *De Fabrica seu Efformatione Imaginum.* 558
§. 5. *De Vocabulis ignotis, prænominibus, præpositionibus, adverbiis, &c. Citationibus, & Numeris, quamodo eorum imagines formandæ.*
§. 6. *Ordinaria imperitorum objectio diluitur & praxis declaratur.* 589
§. 7. *Declaratur praxis quoad sententias, leges, orationem, Concionem, dictationem simultaneam Epistolarum*

rum Philosophiæ, Juris &c. studium, ac tandem quoad linguas novas addiscendas. 597
Item Hieronymi Marasioti Methodus memorandi in digitis. 609
PARS ultima Rhetoricæ de Pronuntiatione. 621
§. 1. *De Moderatione vocis.* 622
§. 2. *De Gestu seu Actione.* 626
§. 3. *Regulæ artificiosæ Pronuntiationis & Actionis ex Cicerone & Quintiliano potissimùm collectæ à Patre Joanne Voello Soc. JESU.* 631



PRÆLIMINARIA

SEU

PRÆAMBULA RHETORICÆ

Ad lib. I. c. I. usque ad 9. è Cypriano Soario.

§. I. Quid sit Rhetorica secundùm nomen, & rem.

RHetorica, seu Rhetoricè, nomen est Græcum, ἡ ῥητορικὴ. Vocis hujus Etymon quidam deducunt à verbo ῥέω *fluo*: sed præterquam quod hæc dirivatio sit metaphorica; non video, à quo vel tempore, vel persona ὁ ῥήτωρ deduci possit: cùm hujus verbi futurum sit ῥεύσω, à quo præteritum passivum provenit, quod est quidam fons reliquarum vocum derivatarum. Meliùs igitur deducitur ab inusitato verbo ῥέω, *dico*. Quod verbum regulariter in futuro activo habet ῥήσω, dicam. Inde præteritum passivum provenit, ἔῤῥημαι, ἔῤῥησαι, ἔῤῥηται, dictus sum, es, est, à tertia persona, ablato augmento ἐῤῥ & αι, mutato in ωρ fit ῥήτωρ: à cujus dativo fit ῥητορικὸς, ῥητορικὴ, ῥητορικοῦ: Oratorius, a, um. Rhetorica ergo sive ῥητορικὴ, si subintelligas τέχνη *ars* vel δύναμις *facultas*, erit ars vel facultas

oratoria. Scitè etiam alii vocem eandem derivant à verbo ἴερω, vel ἔρέω dico, quod utrumque in præsenti est inusitatum, sed in futuro ἐρῶ dicam; & præterito perfecto, εἴρηκα, εἰρηκας, εἴρηκε, dixi, dixisti, dixit, usitatissimum. Inde perfectum passivi: εἴρημαι, εἴρησαι, εἴρηται, dictus sum, es, est, ablato argumento tertiæ personæ, & diphthongo mutatâ in ωρ fit ὁ ῥήτωρ, Dictor, seu Orator. Hæc de nomine, jam de re.

Rhetorica est *ars vel doctrina bene dicendi*. Pro cujus notitia sciendum, quid sit ars & quotuplex, deinde quid sit benedicere. *Ars* est aggregatum quoddam, & collectio præceptorum, legum & regularum, quibus accuratè observatis opus aliquod efficitur. Unde sicut artefactum opus non dicitur qualecunque opus. v. g. ligna fissa, aut secta, quia non omne opus secundùm regulas *speciales*, & præcepta elaboratur; ita non quævis facultas & potentia operandi dicitur ars, sed quæ velut amussim observat præcepta *specialia* ad aliquid faciendum conducentia. Hæc autem præcepta ab usu & experientiâ eruuntur & desumuntur: dum enim alius alio melius efformat opus aliquod v. g. vestem, domum, observatur modus & ratio, quâ id fit, ex quo dehinc lex & præceptum formatur, ut vestis vel domus sit artificiosa, sic & sic conficiendam esse. Atque hoc modo enata est Rhetorica *artificialis*: videlicet *ex naturali*; cum enim alii temerè, id est, prout in mentem & buccam veniebat oratio, dicerent, alii donis naturæ, nempe ingenio,

nio, judicio, voce, linguâ &c. melioribus instructi, ornatiùs, atque aptiùs ad persuadendum quidlibet; observata sunt ea, quibus alium alius superaret, atque inde leges & præcepta collecta sunt eloquentiæ artificialis ex naturali. Porrò cum artes aliæ sint illiberales (quas vulgò mechanicas dicunt) aliæ liberales, quæ & liberũ ingenuumq; non dedecent hominem, & liberaliter seu sine pretio (saltem sufficienti) traduntur; Rhetorica in artium liberalium censum venit, ut quæ nec Principes, nec Reges dedecet, sed potiùs reddit illustriores. Hinc versus ille:

Gram loquitur, *Dia* vera docet, *Rhe* verba colorat,
Mus canit, *Arth* nnmerat, *Geo* terras, *Ast* docet astra.

Dicitur verò Rhetorica non tantùm ars, sed & *doctrina*, eò quod doceat & tradat ea præcepta, quæ ad Eloquentiam deserviunt. Inde *Rhetor* propriè dicitur, qui docet Rhetoricam; qui verò discit impropriè, & per catachresin accipiendo nomen vicinum & propinquum pro proprio. Orator autem seu eloquens est, qui & præcepta callet, & eadem exercet ad concionem perorando cum motus animorum. Declamator verò dicitur, qui exercitii causâ se in pronuncianda oratione exexcet, sive ipse eandẽ composuerit, sive alius. Porrò *benedicere* (quod in definitione Rhetoricæ tanquam differentia ponitur) non est hic idem, ac bona latinitate sine barbarismo &

solœcismo rem exponere (hoc enim est Grammaticæ, quam Rhetorica præsupponit) sed *est optimis sententiis, verbisque lectissimis dicere*, id est cum ornatu troporum, figurarumque quæ in verbis & sententiis consistunt, cum numero oratorio, gestu, & moderatione vocis. Et ad hoc Rhetorica præbet regulas & præcepta, quibus servatis nemo fallitur in conficienda oratione bona & apta ad persuadendum. Dico in oratione *bona, & apta ad persuadendum*, hic enim *finis* est *Rhetoricæ* dantis præcepta; quamvis *finis dicentis*, seu perorantis sit ulterior, nempe reipsa persuadere dictione, quem si ipse non assequitur, non est dicendum quod Rhetorica sit fallibilis in præceptis, sed Orator in fine suo assequendo per orationem. Et

Nota duplicem esse *finem* artis, unum *intrinsecum* & proximum, ut est bonus panis, bona vestis, bona arma: Et *extrinsecum* arti, ut est comestio panis, gestatio vestis, explosio armorum, cædes hostis. Pro fine intrinseco & proximo artem necesse est habere regulas infallibiles, non item pro extrinseco, quia is non est in ejus potestate, sed alterius; unde potest pistor bonum conficere panem, qui tamen non edatur, & sartor bonam vestem, quæ non gestetur, & faber bonum gladiũ, quo tamen hostis non feriatur. Et potest præterea gladius ferire, non tamen vulnerare, eò quod hostis sit gelatus, sicut & Musicus perfectus non delectare, eò quod æger atrâ bile laboret. Nec est in Medico, ut is æger semper curetur, eò quod malum sit

inveteratum; quo casu defectus non est in arte, vel in artifice, sed in altero impedimentum ponente. Sic item fieri potest optima oratio, quæ tamen re ipsâ non persuadeat, eò quod animus audientis sit obfirmatus in opposito, quo casu non obtinet finem suum extrinsecũ & remotum, assequitur tamen *proximum* & *intrinsecum*, qui est oratio apta ad persuadendum: & ad hunc Rhetorica regulas affert infallibiliter. Advertendum quoque hic: non esse idem *suadere*, & *persuadere*: suadere enim est consiliũ dare circa rem faciendam, persuadere verò est inducere aliquem ad assensum sive consilii, sive alterius rei faciendæ, & jã factæ. Unde non est unum duntaxat orationis genus deliberativum nempe: quia licet in omni oratione Orator nitatur persuadere, seu ad sentiendum id, quod sentit ipse, inducere, non tamen in omni dat consilium, sed jam laudat, jam accusat, jam defendit.

§. II, *Quæ partes Rhetorica, quæ illius causæ?*

Ut Orator aptè sua edisserat ad persuadendum, opus est, ut ad assensum inducat non solum intellectum hominis, sed & voluntatem, cùm quis nosse, atque sentire possit, virtutem amplecti esse laudabile, neque tamen velle se ejus addicere studio. Hinc non solùm movere necesse est intellectum, sed & impellere & flectere voluntatem. Quoniam verò intellectus ad assensum movetur veritate & avertitur falsitate, voluntas autem ducitur bonitate, quæ utilitatem, voluptatem, honestatem im-

portat,& his contrariis adversatur. Inde Oratoris eò contendit industria, ut apportet ea, quæ ad utrumq; permovendum deserviunt. Indè argumenta,causas,&rationes excogitat, quibus velut machinis trahat intellectum & voluntatem:utque argumenta dilucidè simulque nervosè proponantur, suo ordine & argumentatione disponit;ut cum gustu animiq; motu excipiantur, ornatè decorèque enunciat. Quare Præcepta Rhetoricæ circa quinq; versantur partes. Prima docet excogitare argumenta, quæ ad fidem & motum,id est, intellectum & voluntatem convincendam faciunt. Secunda ostendit quo ordine & formâ, argumenta illa sint ponenda. Tertia eadem exornat apparatu troporum & figurarum, quæ in verbis & sensu consistunt, non sinè decoro verborum incessu,& gradu,qui in numero est oratorio. Quarta exhibet præcepta Memoriæ artificialis. Quinta documenta gestûs & vocis, in quibus sita est pronuntiatio. Hæc omnia diriguntur ad permovendum intellectum, voluntatemque veritate,bonitate, ornatu decoro,qui in rebus & verbis est orationis,ad persuadendum ordinatæ.

Jam verò causæ quibus dicta præstantur sunt: primò *Finalis* (de intrinseca loquor, & proxima) quæ, ut pater ex dictis, est oratio ad persuadendum accommodata. *Efficiens*, est homo à Deo donis naturæ, ab arte præceptis instructus. Præcepta quæ sint,exhibet Rhetorica;Dona naturæ sunt,vivax acutumque ingenium, acre,maturumque judicium,

me-

memoria prompta, lingua expedita, vox corporisque vires robustæ, quæ si à natura non usquequaque excellentia sunt, arte tamen limari atque perfici possunt. Sanè Demosthenes linguæ suæ ineptitudinem, Tullius vocis imbecillitatem usu atque exercitatione perfecit. Causa *formalis* Rhetoricæ est modus & ratio, quo argumenta proponuntur, quæ ratio partim in ordine & argumentatione, partim in decoro gestu, & vocis moderatione consistit. Deinde causa *materialis* est *quæstio* seu res ad dicendum proposita: & cum de re qualibet disceptari quærique possit, hinc res omnes materia sunt Rhetoricæ, sicut dialecticæ, à qua idcirco penes materiam non distinguitur, sed penes formam, quod eas alio modo & ratione efferat in medium, modo nimirum proximè dicto, cum dialectica nudè atque incultè id præstet. Verùm de quæstione seu causa materiali jam plura.

§. III. *De Quæstione & Statu.*

Cùm omnia quæ in disputationem seu quæstionem venire possint, materia sint circa quam oratio versatur, & multa etiam circa unam eandemque rem dici possint, ut norit auditor, quid persuadere Orator intendat, atque ipse orator perspiciat, quænum argumentatio, elocutio &c. deserviat ad id efficiendum, tanquam cynosura & am ussis

statuitur quæstio, circa quam cardo omnium dicendorum versetur. Ex ea enim licet animadvertere, quid efficere intendat Orator, quæ ad propositum finem faciant, quæ tanquam inepta sint rejicienda. Quapropter status quæstionis cum primis præ oculis habendus, sive id fiat in actu exercito, uti faciunt Oratoriæ periti, & exercitati, propositionem faciendo v.g. ebrietas est detestanda. Sive in actu signato & expresso per interrogationem, ut faciendũ Tyronibus v.g. an ebrietas sit detestabilis? quâ quæstione tanquam scopo positâ, omnia sive argumenta sive ornamenta Rhætoricæ eò diriguntur.

Est autem quæstio duplex: *finita & infinita*: hæc denudata est omnibus suis circumstantiis, quæ nisi adsint, ulteriorem quærendi occasionem præbent. Illa est, quæ suis circumstantiis ita vestitur, ut finem quærendi ulteriùs Imponat. *Exemplum infinitæ est*: an fides sit amplectenda? aan ars ediscenda? quæri enim ulteriùs potest; an fides Romana? an Calviniana? an Lutherana? an ars Rhetorica, pyrotechnica, fabrilis &c. Item an hoc anno, an sequentium aliquo, an hoc vel illo loco determinato &c. *Finita est hoc*: an Calphurnio studendum sit Philosophiæ Aristotelis? ubi adverte posse *Quæstionem finitam simul esse alio respectu infinitam*, in quantum ex una parte fine quærendi destituitur, ex alia non; sic modus quidam verborum est, qui finitus est, quoad significationem temporis certi, & determinati; quia tamẽ personam non determinat,

nat, neque numerum, *infinitivus* dicitur. Hinc illa finita potest simul esse infinita; an Calphurnio stuoendum Philosophiæ Aristotelis? quæri enim adhuc potest, an Pragæ, an Viennæ, an hoc anno, an alio?

Uteraque infinita nempe & finita, dividitur in quæstionem *cognitionis* & *actionis*: hanc Philosophi practicam, illam speculativam vocant. Cognitionis est, dum aliquid quæritur, ideo præcisè, ut aliquid cognoscatur & sciatur: ut an sol sit major terrâ tribus vel quatuor aut pluribus partibus? quomodo luna accrescat & decrescat? Actionis est, quando non solùm quæritur, ut scientia rei habeatur, sed &, ut id agatur quod in quæstione versatur, ut an belli Ducem præstet esse fortiorem, sed præcipitem? an timidiorem, sed cautum? an Pompejus in belli Imperatorem deligendus. Quæstiones *cognitionis* multum habent curiositatis, *actionis* plurimum emolumenti. Quare cùm has sibi unicè vendicet Eloquentia ad vitiorum extirpationem, virtutum insitionem; rerum publicarum pacem & gloriam, *activa* & *practica* censenda est Rhetorica. Comprobârunt id reipsa Demosthenes & Tullius, quarum orationes ad boni communis incrementum collimârunt. Quâ etiam ex causa quæstiones suis vestitas circumstantiis seu finitas pertractârunt, cum in genere ac in communi fiat nihil, sed actiones sint suppositorum ad ultimas circumstantias determinatorum. Inde cum hujusmodi materias versarent in rostris & curiis, quæstio finita nomen

sortita est, ut *causa*, ut *controversia* diceretur: causas enim agebant veluti ætate nostra Causidici, & res controversas dubiasque oratione dilucida discutiebant. Inde etiam *causarum*, id est, quæstionis finitæ *tria* enata sunt *genera*, quod materia quam assumebant, ad laudem vel vituperium, suasionem vel dissuasionem, defensionem vel accusationem spectaret: unde genus demonstrativum, deliberativum, & judiciale invaluit. Hoc in quæstionem infinitam minimè cadere potest, cùm de re in communi, seu suis circumstantiis denudata, non capiatur consilium, nec judicium, cùm ut dixi in abstracto fiat nihil. Habet tamen *quæstio infinita* alia nomina, quibus quæstioni finitæ nō sit impar, dum quæstio *universa*, seu universalis, *perpetua*, *propositum* & *thesis* appellatur; cui postremo se opponit *hypothesis*, quò aliter quæstio finita dicitur. Mos tamen est Oratoribus *hypothesin revocare ad thesin*, id est, ex quæstione finita sibi facere infinitam; at non, ut in ea consistant, sed ut latiorem discurrendi campum nanciscantur, & rem sibi propositam facilius comprobent: quod enim verum est de genere, seu re universim considerata, verum quoque est de singulis sub illa contentis: ut si omnis Poëta laude, honoreque dignus est, verùm quoque erit Archias veneratione & præconio afficiendum esse. Hinc quæstio *infinita* dicitur *pars causæ* seu quæstionis finitæ, quia in ea continetur, ut metallum in pecunia, animal in boye, cane, &c.

Ad-

Adhuc pluribus circa quæstionem Cypr. Soarius informat Oratorem lib. 2. a. c. 11. ut primum eam bene perspiciat, atque argumentis & ornamentis idoneis pertractet, nè à scopo aberret, & toto cœlo alienũ tractet. Quæstio inquit quæ ex prima causarum conflictione nascitur *status* est: quod fit dum unus affirmat, alius negat, pugna quædã exoritur verborum & sententiarum, in qua quia *stat & consistit id*, quod tractandum est, *status* dicitur. Si quæratur *sitne* res, dicitur status *conjecturalis*. Si quæratur *quid sit*, aut quo nomine afficienda, dicitur *definitionis*. Si indagetur *qualis* sit, an utilis, honesta &c. *qualitatis* appellatur. Cùm quæstio comprobatur argumentis ex visceribus causæ, seu intrinsecis quæstioni, est *absoluta*. Si extrinsecis, seu à loco extrinseco assumptis, est *assumptiva*. Argumentum autem quod pro statu quæstionis affertur, appellant Oratores *Rationem*, quod vero affertur ad evertendam & infringendam rationem allatam, dicunt *firmamentum*, eò quod firmet statum, quæstionis, ut adhuc perstet. *Judicationem* autem nominant quæstionem illam, quæ ex ratione & firmamento, id est ex argumento prò & contrà allato enascitur; tum enim rebus in utramque partem allatis, circa illam quæstionem versabitur judicium, & sententia. Exemplum vide in Cyprian. l. 2. c. 13. Addunt Recentiores, si quæstio unam solùm rem probandam habeat, appellandam *simplicem*, si plura membra contineat, *compositam*.

Hæc

Hæc de quæstione pro ampliori notitia. Cæterùm habito quæstionis statu monet Cyprianus lib. 2. cap. 15. adeundos esse locos Rhetoricos tanquam fodinas, unde Metalli varias species eruas, tanquam gazophylacium, unde opes, tanquam penum, unde utensilia, tanquá armamentarium unde arma multifaria, id est argumenta depromas in usum quæstionis præfixæ. Tum verò illa argumenta in argumentationis formam aliquam restringenda, ut validiora sint ad arietandum intellectum, & voluntatem. Et nè Dialecticorum more siccè & nudè proponantur, dilatanda sunt & exornanda tropis & figuris. Demùm in partem aliquam orationis cum amplificatione oratoria collocanda. Quare primùm agemus de illorum inventione. Secundò de argumentatione. Tertiò de dilatatione. Quartò de exornatione. Demùm de iis, quæ ad corpus integræ orationis faciunt. Frustra enim se ad totum bellè expingendum, & exprimendum accingit pictor, aut sculptor, nisi in singulis partibus priùs versatus sit.

PARS

PARS PRIMA

DE INVENTIONE ARGUMENTORUM.

Secundùm Cyp. Soarium lib. 1. à c. 13.

§. I. De argumento & loco Rhetorico.

Argumentum hîc non significat thema, quale pueris dictatur ad transferendum è lingua vulgari in Latinam secundùm regulas Grammaticæ; neque materiam alicujus epistolæ, historiæ, vel libri summatim excerptam; sed rationem, & causam, quâ aliquid probari potest. Unde definitur, quod sit: *Probabile inventum ad faciendam fidem, vel motum.* Dicitur *inventum*, quia per intellectum indagatur, & è loco tanquam fodina aliqua eruitur. Dicitur *probabile*, non quod non sit certum, & evidens, sed quod per illud aliquid *probari* possit, sicut amabile dicitur, quod amari potest. Dicitur *ad faciendam fidem*, nam efficere debet, ut auditor credat verum esse, quod orator dicit, illumque adducat ad assensum, non tantùm intellectu, sed & voluntate præstandũ: qua ex causa adjectũ est: *vel motũ.* Qui ad voluntatẽ pertinet. Nec enim satis est, ut convincat intellectũ. cum possit quis sentire, atque agnoscere peccatum esse detestabile, bonum esse

cæ-

carnem macerare, &c. tamen eadem nolle facere reipsâ. Hinc, ut finem suum assequatur Orator, cujus est persuadere d & one, duplicis generis argumenta ei excogitanda sunt. 1. quæ valent ad convincendum & persuadendum intellectum. 2. quæ serviunt ad pervincendam aut inclinandam voluntatem; quem in finem adhibetur amplificatio, in qua affectibus oratio intumescit, ad excitandum in auditore motum voluntatis. Sumuntur utraq; argumenta ex locis Rhetoricis: unde *locus* definitur, quod sit *argumenti sedes*, eò quod in eo argumentum *resideat*, quod si quis invenire cupiat, inibi requirat. Dicitur & arguuenti *Nota*, quod *notet* & indicet, ubi argumentum perquirendum sit, velut hedera, & calceus ligneus, ubi vinum vel calcei venales quærendi sint. Et quoniã *argumenta duplicia* sunt, *Intrinseca* quæstioni & *extrinseca*, etiam *locus duplex est*. *Intrinsecus* & *extrinsecus*. Intrinsecus est, qui argumentum præbet intrinsecum. Extrinsecus, qui extrinsecum suppeditat.

Est autem argumentum *intrinsecum*, non quod ineſt rei, de qua agitur (nam calor non est in frigore, nec rosa in genis, quæ rosæ assimilantur) sed *quod ineſt quæstioni & quidem per se* indepedenter à mea libera determinatione, applicatione, vel assumptione. Continet autem quæstio prædicatum & subjectum. *Prædicatum* vocatur id, quod de aliquo dicitur *subjectum*, de quo aliquid dici-

tur.

tur. Quod igitur per se, & ex natura sua connexum est cum prædicato vel subjecto quæstionis, hoc dicitur intrinsecum, aliter *insitum* & innatum, atque ex *visceribus causæ*, seu quæstionis, nempe ex prædicato & subjecto quæstionis, quæ viscera illius sunt, ex quibus argumentum progignitur. Ut si ex prædicati vel subjecti definitione, notatione, genere, causa &c. argumentum desumatur. Argumentum *extrinsecum* est, quod non inest quæstioni per se, sed aliunde v.g. ex historia, vel oraculo assumitur, & permeam determinationem applicatur ad quæstionis comprobationem. Unde hujusmodi argumenta *assumpta* dicuntur; habentque se respectu subjecti, & prædicati uti filius adoptivus, qui ex alio parre & matre progenitus, ab aliis conjugibus ex beneplacito, & gratia assumitur, ut compos fiat hæreditatis, in quam filius naturalis per se jus habet: & hoc modo argumentum intrinsecum se habet respectu prædicati & subjecti, ut filius naturalis respectu patris & matris, à quibus progignitur. Hinc

Colliges primò. Quid sit lib. 2. cap. 6. in Cypr. Soario, *Exordia* debere esse ex *visceribus causa*, nempe per se, & ex natura sua connexa cum prædicato vel subjecto quæstionis. Si ab exemplo, apophtegmate &c. desumpta sit, jam non sunt ex visceribus causæ.

Colli-

Colliges secundò. Quid Neotericis quibusdam sit reponendum, qui cum P. Masen *similitudinem, contraria. antecedentia, consequentia, causam, effectum*, & *comparationem* excludunt *à locorum intrinsecorum numero*, eò quod alterum v.g. similitudinis, contrarii &c. non insit rei: sufficit enim si insit quæstionis prædicato vel subjecto. id est, si à prædicato vel subjecto quæstionis per se & ex natura sua, non ex mea libera assumptione, & applicatione, dependeat. Dependet autem si ex natura sua, & per se cum alterutro connexum sit. *Similitudo* autem uti & *compar* ex natura sua sibi connexa sunt; dicunt enim relationē ad invicem, relata verò simul debent esse naturâ, testibus Philosophis. *Contraria* similiter connexa sunt, cùm unum sine altero intelligi non possit, atque ideo contrariorum eadem disciplina seu doctrina est. Sic & inter *effectum* est *causam, antecedens*, & *consequens* naturalis est connexio. Habent igitur hæc argumentum intrinsecum, id est per se, & ex natura sua connexum cum prædicato vel subjecto quæstionis: quare & loci dicendi sunt intrinseci, numero sedecim, prout Author ponit l.r. c.15. quibus declarandis jam immorabimur.

§. II. *De Definitione*

Definitio est sermo, qui explicat rei naturam. Philosophi *quidditatem* & *essentiam* vocant, quia per Definitionem dicitur *esse* rei, seu *quid* sit res. Ad illam conficiendam requiritur primò *Genus*, secundo *Differentia*.

Est

Est autem *Genus* vox illa, cujus significatio pluribus est communis, seu est vox, quæ pluribus convenit in eadem significatione, ut arbor, avis, planta, animal, flos rosæ, lilium, elementum &c. *Differentia* autem est vox, cujus significatio facit, ut res, quæ cum aliis convenit, ab aliis tamen differat, & distinguatur. v. g. albedo est differentia, quia per illam distinguitur lilium album à cæruleo, & rationale est differentia, quia per illud distinguitur à bruto, quod cum homine convenit animali. Ex his *collige quomodo facienda sit definitio*; nempe quærendum est, & inveniendum. Primò aliquid commune aliis, & ipsi rei, quæ definienda est, & hoc vocatur Genus, ut animal. Secundò aliquid quo id, quod definitur, ab aliis, cum quibus conveniebat, distinguatur, & hoc est differentia. v. g. Rationale quod est id, quo homo distinguitur à leone, equo &c. cum quibus quoad animal convenit. Hinc mala est illa definitio; Homo est animal implume, bipes; quia non facit hominem differre à pullo gallinaceo, quando est deplumatus.

Nota autem *in definiendo plus licere Oratori*, quàm Philosopho. Primò enim non tenetur Orator strictum Genus, & strictam differentiam accipere: unde apud Oratores rationem Generis subit etiam species, ut Rhetor, homo; quia sufficit apud Rhetores, si vox conveniat pluribus, licet non specie differentibus, ita P. Causinus. Secundò quia Philosophus debet definire rem verbis in propria

significatione acceptis, Orator autem potest uti etiam translatis v.g. metaphoricis. Praterea Philosophus præter genus & differentiam nil aliud audet accipere ad definitionem, illi enim est superfluum & vitiosum quidquid additur; sed Orator potest plura accipere. Hinc sæpe descriptio rei subit vicem definitionis, esto non per substantiva nomina, sed per verba & constructiones integras fiat, sicut patebit exemplis sequentibus. Fit autem hæc descriptio, seu definitio oratoria variis modis.

Primus est per *Enumerationem Partium*, ut si explicare velis, quid sit Eloquentia, dices: hæc est illa, quæ ad persuadendum firmissima rationum momenta adinvenit, inventa in ordinem digerit, digesta verborum, sententiarumque splendoribus exornat, exornata memoriæ thesauro commendat, commendata cum vocis, & gestûs decoro effundit ad audientium gratiam, ad intellectûs assensum, applausum & admurmerationem totius populi. Per hunc modum definitur oratio, quòd sit sermo amplus & ornatus, constans Exordio, Narratione, Confirmatione, & Epilogo.

Secundus modus est per *similitudinem*: quando nempe quid res sit, explicatur, per similia. v.g. æternitas est duratio nunquam fluens, semper præsens, perpetuum aliquod hodie est annorum gyrus in se identidem refluens, circulus, cujus centrum semper est, peripheria est nusquam, sphæra, cujus nec finem,

nec

nec medium est reperire: rota, quæ perpetuò volvitur, quiescit nunquam; fons qui per innumeros canales semper decurrens, sunm, ut currat semper ad caput redit. Scaturigo, quæ emanat fluvium, aut mellifluum perenni beatitudine, aut fellcum æterna damnatione. Serpens, qui capite in orbem revolutus, caudam admordet; quæ ubi desinit, incipit, & incipiendo nunquam desinit, sine medio, & fine. Turbulenti & tranquilli hominis definitionem invenies apud P. Radau. per cœlum turbidum & serenum expressam. Fiunt autem plerumque ex similitudine metaphoræ breves v. g. Roma est templum sanctitatis, gentium oraculum, caput consilii, ara pietatis, emporium sapientiæ, virtutis domicilium, communis universorum portus. &c. Alius æternitatem sic definit. Est immensus absque fundo oceanus, sine luce abyssus, sine exitu labyrinthus, sine futuro & præterito status; circulus, cujus medium ubique, ambitus nusquam est, semper novus, nunquam vertens annus. Quidam peccatum sic definit: est sæviſſima cordis lues, stygii draconis sputum, luciferi tabificum phlegma, Cerberi aconitum, Erebi abortivum, animi tabes, virtutum strages, Meritorum clades, naturæ dehonestamentum, mortis stipendium, verbo malorum compendium; nulli hædi tam malè olent, nulla sentina ita fætet, nulla cloaca tam tetram exhalat mephytim, ac peccatum. Ingeniosi autem ex similitudinis loco definitiones sunt illæ, quæ ex contrariis aut repugnantibus componuntur,

tur.v.g. Ebrietas est dulce venenum, voluntaria insania, mors sensuum rediviva, rationis ac honestatis in sicco naufragium; sic mors dicitur somnus æternus.

Tertius Modus est per *Contraria*, vel *Repugnantia*, quando unum eorum priùs negatur, & deinde alterum affirmatur. v. g. Tunc studiosum eum arbitraris, qui perdiu stertit ad merediem, aut vagatur in silvis, aut plateas pererrat, aut in tabernis commoratur, choreas agit non choreos, Helenas amat, non Musas, folia aleasque tractat, non libros, non calamos, cui poculum pro sepiæ vasculo, Cereris Bacchique liquor pro atramento. Egregius enim verò is me hercule studiosus! Ille studiosus est, qui otii, atque inertiæ osor, artium cultor, librorum amator, scientiarum investigator, qui solitudinem, qui laborem, qui exercitationem ingenii, atque memoriæ, manûs, & styli frequentare adamat; cui dolor est scholis per morbum non interfuisse, Præceptoris eruditionem non imbibisse, inani confabulatione momentum temporis exegisse. Solet autem dicta negatio poni, si contrarium difficulter explicari potest. Sic sapientes definiunt Deum dicendo, quid non sit, quia quid sit, nemo explicare potest. Sic etiam S. Augustinus in manuali cap. 6. & 17. explicat quid sit vita in cœlo beata, per negationes. v. g. quòd ibi nulla sit amaritudo, nullus dolor, nulla tristitia, nullæ invidiæ, nullum odium, nullæ rixæ, nulla paupertas, nullum frigus,

nul-

nullus æstus, nullus morbus, nulla nox, nullæ tenebræ, nullum malum.

Quartus Modus est per *Adjuncta* seu circumstantias rei, sic mors definitur: quòd sit somnus æternus, hominis divisio, metus divitum, desiderium pauperum, portus sanctorum, eventus inevitabilis, latro hominis, incerta peregrinatio, parens somni, abitus vitæ, viventium separatio, & omnibus rebus vale. Sic sol est mundi oculus, cœli decus, naturæ gratia, creaturæ ornamentum, noctis exilium, diei gloria, siderum monarcha, hominum dux, laborum fax, horarum dimensor. Sic mendacium est puerile vitium, virorum dedecus, nobilitatis opprobrium, delinquentium perfugium, jactabundorum argumentum, veritatis hostis, morum dehonestamentum, humanæ conversationis excidium. Per hunc modum fiunt descriptiones hypotyposes, ethopœjæ, de quibus alibi. Unum exemplum adjicio ex Palatio Eloquentiæ, quo latro describitur. Videte hominem oculis fulgurantibus, supercilio hirsuto, & aspero, crines silvæ instar impexi, eminenti dorso, rictu oris, & hiatu immenso, voraginem putes & charybdim, vultu tam effero, & ad terrorem minaci ut Medusæ effigiem intueri te existimes. Voce porrò tam amabilem se pandit, ut rugitum leonis, gemitum struthionis, aut draconis audire te putes; quid reliquos corporis motus commemorem?

Quintus Modus per *Causas* (quæ sunt quatuor) finalem, efficientem, materialem, for-

formalem, ut si dicas, quid sit domus, quid liber &c. per has quatuor causas. Sic homo definitur, quod sit animal ex pulvere, Dei ipsius manu conditum, & ad beatitudinem cœlestem consequendam natum, cui corpus mortale, & & animus immortalis, ac rationis particeps est datus, quò proximè accedat ad Deum, ut Deus quidam esse videatur. Sic quidam imaginem definit ab *efficienti*: est Effigies doctissima Apellis manu elaborata, à *formali*: ambitioso colorum ordine Dianæ speciem repræsentans. A *materiali*: hinc gratiosè rubente colorum purpurâ, inde certantibus cærulei coloris pulchritudine viridi & candido non exiguo auro dives, à *finali*, creandæ hominum oculis voluptati, & conciliandæ, magnæ Deæ veneration.

VI. Modus utilissimus est per *Effectus*, quod fieri potest vel per verba vel per substantiva è verbis formata, ut si explicare velis, quid sit Eloquentia, dicere potes: illa est, quæ effrænatos coërcet, quæ languentes excitat, quæ consilia de rebus maximis explicat &c. *vel sic*: Eloquentia est maximorum consiliorum interpres, languentium calcar, effrænatorum disciplina. &c. Sic pietatem definit S. Ambrosius in Psal. 118. Est amica parentibus, grata Deo, Dominum conciliat, necessitudines fovet, Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffragium, indulgentia peccatorum. Per hunc modum consueverunt Oratores describere quis quantusque

vir

vir extiterit, qui hoc aut illud dixit vel egit, v. g. Æschylus Poëta, qui primus ut veteres Græcorum Historici perhibent, Tragædiarum inventor fuit, iisque repræsentandis victitavit: cumque inventum esset, & novum, & jucundum, non solùm ipsum vulgi multitudo, quocunque pergeret, comitabatur, sed de suis etiam bonis multa illi largiebatur. Hîc inquam Æschylus, quanam in re vitæ hujus felicitas consisteret, interrogatus reposuit. &c. Simile præconium Authoris præmitti solet per modum adjunctorum describendo eundem. v. g. Æschylus in Provincia Tharsensi Philosophus, corpore inelegans, facie deformis, aspectu torvus, ingenio admodum rudi, cui tamen non minus Tharsenses, quàm Homero Græci tribuebant. Nativa namque bonitate mentis excelluit, in negotiis solers, adversus eos, à quibus injuria fuerat affectus, tolerans, animique in rebus adversis & tristibus excelsi, & quod suspiciendum maximè, in conversatione jucundissimus, & in sermone suavissimus fuit. Ille inquam Æschylus hoc dixit, fecit, &c.

Ultimus modus est per *Comparationem vulgarem*, ut si quempiam dicam esse tigride ferociorem, lupo voraciorem, leone iracundiorem, saxo & rupe duriorem. Sic potest aliquis dici Alexandro glorioſior, Augusto felicior; ditior Cræso, Absalone pulchrior, Jonaha amabilior. Huc revocari potest descriptio a Christi Domini in Palatio Eloquentiæ, exercitatione 2. puncto 5.

Quæres, quomodo partium distributio (idem est de loco à similitudine, causa & effectu) distinguatur à definitione, quando definitio fit per partium distributionem. Respondeo tali casu definitionem non distingui à partium distributione, vel aliis locis (si per illos fiat) spectatâ materia, seu *secundùm res*, quas continet, distinguitur tamen penes formam, seu *modum*, quo res illæ proponuntur, nempe per genus & differentiam, vel quasi genus & differentiam, sic etiam hypotyfis & ethopæja &c. figuræ sententiarum, quando fiunt per partium distributionem, adjunctorum descriptionem, penès materiam non distinguuntur, à dictis jam locis (quomodo autem horum figuræ inter se distinguuntur inferiùs suo loco dicetur) sed penes formam, seu *elocutionem*, quâ ponuntur. Unde dicendum est tali casu esse partium distributionem, vel similitudinem materialiter non formaliter. Et ratio ulterior est, quia tali casu non formatur argumentum, seu non ducitur à partibus ad totum, à simili ad simile, à causa ad effectum &c. quia ex partibus non infero totum, nec affirmo aliquid de toto, quod priùs de partibus dicebam, nec à simili expressè duco convenientiam ad alterum &c. quod tamen requiritur in quolibet loco Rhetorico, qui cum sit argumenti Sedes, debet dare argumentum tale, quale alter non dat. Hîc autem loci dicti non dant speciale & distinctum argumentum à definitione, quia tantùm explicant *quid sit res*, non dicendo, an sit totum,

an

an ſimile &c. Hinc quoque reſponderi poteſt, eſſe partium diſtributionem occultè & implicitè (ſicut ſimilitudo in Metaphora) non autem apertè & expreſsè. Hîc.

Nota primò, Omnes locos rhetoricos dare argumentum, quod ſemper ponendum eſt pro antecedenti, ex quo id in conſequenti inferatur, quod eſt in quæſtione. Voco autem hîc antecedens conſtructionem, quæ præcedit; Conſequens illam, quæ indè ſequitur, & infertur, quod fit per particulam illativam *ergo, igitur*, &c.

Nota ſecundò. Quamlibet conſtructionem apud Philoſophos vocari propoſitionem. Eſt autem Propoſitio Oratio aliquid affirmans vel negans, eò quòd in omni conſtructione aliquid affirmetur vel negetur. Ut autem Conſequens non inferatur malè, ſeu falsè & erroneè, pro argumento formando & ducendo quilibet locus in fine propoſitam habet ſuam regulam, quam alii *Axioma*, alii *Canonem*, alii *Maximam* vocant, nos regulam vocabimus notiori voce, quia informando argumento nos dirigit.

Porrò regula ad formandum argumentum à definitione prima eſt hæc. Quidquid cum veritate dicitur de definitione, id etiam de definito, id eſt, de eo quod definitur, dici poteſt. Quidquid autem cum veritate de uno dici non poteſt, nec poterit de altero. Hinc Philoſophi dicunt: definitio cum definito convertitur. Si enim animal rationale, vel ars bene dicendi eſt excellens, etiam homo eſt rhe-

torica est excellens, sicut autem ars bene dicendi non est rejicienda, sic nec Rhetorica. Secunda cui convenit Definitio, etiam conveniet definitum, & vicissim v.g. Petrus est animal rationale, ergo etiam est homo: est homo, ergo etiam animal rationale, vicissim lapis non est animal rationale, ergo non est homo.

§. III. De Partium Distributione.

Partium Distributio est, quæ rem aliquam in partes suas dividit & explicat; ita ut, sicut definitio rei naturam & essentiam, prout in se est, exponit, seu dicit, quid sit; ita Partium distributio manifestat, *quas partes* in se habeat. Sic terra dividitur enumerando Africam, Asiam, Europam, Americam. Sic Elementum in terram, aquam, aërem, ignem. Sic vita nostra in infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ætatem virilem, & senectutem. Sic Metallum in aurum, argentum, plumbum, stannum &c. Sic bona, in ea, quæ sunt animi, corporis, fortunæ &c. Sic arbor in radicem, truncum, ramos, verticem. Sic domus in fundamenta &c. Hoc loco usus est Plinius Junior, cùm Trajani triumphantis in urbem ingressum describit, enumerando hominum ad spectaculum concurrentium diversitatem per partes, sic enim ille. Non ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardavit, quò minùs oculos insolito spectaculo implerent. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoque, neglecto medentium imperio, ad con-

conſpectum tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatemque prorepere: Indè alii ſe ſatis vixiſſe te viſo, te reperto: alii non magis eſſe vivendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubiit, cùm cernerent cui Principi cives, cui Imperatori milites periſſent. Videres referta tecta, ac laborantia, imò ne eum quidem vacantem locum, qui nonniſi ſuſpenſum, & inſtabile veſtigium caperet, oppletas undique vias, anguſtumque tramitem relictum tibi: alacrem hinc inde oculum, ubique par gaudium, paremque clamorem. Tam æqualiter ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta eſt, quàm omnibus veniſti, quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo crevit, ac prope in ſingulos gradus adaucta eſt. Ex eodem loco bonum adoleſcentem deſcribit Poëta:

Excubat in medio tibi pulchra modeſtia vultu,
Et niveus roſeo regnat in ore pudor.
Simplicitas oculis Sacrâ Facundiâ linguâ
Ridet in ingenuis Gratia viva genis.
Majeſtas humeros, placidam Clementia frontem
Pura verecundus pectora Candor habet.
Præ foribus famuli, video famulæque morantur,
Virtutem dominam quis neget eſſe domi?

Regula ad formandum argumentum à partium diſtributione eſt hæc, ut omnes partes recenſeantur, & illis enumeratis affirmetur

tur vel negetur Totum. Ut enim sit verùm omnes Rhetores fuisse in templo, debet esse verum de quolibet in particulari, quod fuerit in templo. Item ut sit verum, quòd Petrus nullam habeat scientiam, non est satis quod non habeat Philosophicam, vel Juridicam, sed neque has, nec Rhetoricam, neque Grammaticam, neque aliam quamlibet scire debet. Hîc tamen adverte, dum dicitur quòd omnes partes enumerari debeant, intelligendum esse de præcipuis, primariis, & notabilioribus, ut est respectu domûs, tectum, fundamentum, murus, &c. non autem orbiculus, aut fenestra, porta. Undè licèt homini desit dens, vel digitus, domui fenestra vel porta, adhuc est totus homo, tota domus. Pro intelligentia majore dictorum.

Nota primò, etiam Genus revocari ad partium distributionem, quia dicitur hîc, cum aliquod *Genus* seu totum in suas partes dividitur. Et ratio est, quia omne Genus est Totum. Totum enim dicitur quod habet suas partes, Genus autem habet suas partes; quia cap. 20. de genere & forma dicitur, partes quas Genus amplectitur, formæ dicuntur. Et: Forma est pars generi subjecta.

Nota secundò. Licèt omne Genus sit Totum, non tamen omne totum est genus, quia ad genus, in quantum est genus, non est satis, quod habeat partes; sed illæ partes debent esse *communione sui similes*. Id est in ratione seu significatione generis convenientes, ita ut alteri etiam insit illud, quod genus in uno sig-

significat, & sic genus de omnibus dici possit. v.g. Justitia est virtus. Temperantia est virtus, &c. non omne autem totum habet partes communiones sui similes, nam fundamenta non sunt domus, nec tectum est domus, nec caput est corpus, nec brachium est corpus, nec pes est corpus, licèt sint pars corporis. Hinc Virtus in quantum est *Totum* revocatur ad partium distributionem, in quantum est *Genus*, ad locum de genere; seu clariùs: Virtus, in quantum habet partes simpliciter revocatur ad partium distributionem; in quantum autem habet partes, non quomodocunque sed *communione sui similes*, revocatur ad locum de genere.

Nota tertiò. Ut scias quandonam genus spectet ad partium distributionem, attende an omnes partes generi subjectæ enumerentur. si enim una tantùm pars ponatur, & indè procedatur ad genus, tum non est partium distributio; non enim genus in suas partes, sed in unam tantum partem distribuitur: quo casu, est solum argumentum à specie, seu forma ad genus. Licèt autem partes generis sæpius ornatûs aut amplificationis gratiâ enumerentur (ut si probes virtutem esse amore dignam, quia Temperantia, Justitia, Fortitudo & Prudentia est amore digna) tunc tamen debent omnes partes generis enumerari, quando genus in ratione totius accipitur, seu universaliter, id est in latitudine suæ significationis, quo modo se ad omnes extendit. Hoc colligi potest ex eo, si particulæ collectivæ

ctivæ: omnis, vel nullus, aptè addantur. v.g. Omnis virtus est laudabilis, calliditas nulla est ex virtutibu: tunc enim debent omnes partes enumerari. Sicut si probem omne metallum esse rarum, debent omnes metalli partes enumerari, non solùm aurum vel argentum; malè enim infero, aurum est rarum, ergo metallum (loquendo de omni) est rarum. Item bos est comestibilis, ergo animal est comestibile. canis enim vel serpens non est comestibilis. Aliud est si animal non sumam in ratione totius, seu secundùm totalitatem (ut Philosophicè loquar) & latitudinem significationis suæ, tunc enim bene infero. Bos est comestibilis, ergo animal (intelligendo aliquod) est comestibile; canis non est comestibilis, ergo animal (loquendo de uno) non est comestibile; tunc enim in particulari, & partiali significatione accipio animal, non in totali, & hoc casu est argumentum à specie, seu forma ad genus, de quo cap. 20. agitur.

Nota IV. A Patre Causino illud Totum quod non est simul Genus, vocari totum molis, ut distinguatur à toto generis. Distributio verò primi Totius vocatur à doctis *Partitio*; posterioris autem *Distributio* dicitur *Divisio*. Potest autem eadem res referri ad utrumque totum diverso respectu. v.g. Arbor inquam tum habet radicem, truncum, ramos, verticem & totum molis; & hæc distributio dicitur partitio, in quantum autem habet sub se pyrum, pinum, betulam, quercum &c. erit

to-

totum generis, & hæc distributio erit divisio.

Nota V. Partes alias esse Essentiales, alias Integrales. Essentiales sunt, ex quibus aliqua res (Philosophi essentiam vocant) componitur & constituitur, ut anima & corpus, ex quibus fit homo. Integrales sunt, quæ faciunt ut res sit integra, v.g. manus, pes. &c. quarum aliquæ sunt necessariæ, ut Caput, cor, pectus, venter, quia sine illis homo non potest esse; aliæ accidentales, quæ abesse possunt à re quin pereat, ut digitus, manus, &c. Iterum à Philosophis partes dividuntur in Physicas seu naturales, & Metaphysicas. Physicæ sunt, quæ in re ipsa sunt, & in quas res naturaliter dividi potest, ut fundamenta, parietes, tectum. Metaphysicæ sunt, quando in ipsa re non sunt, nec possunt esse, sed per rationem, & intellectum nostrum fiunt; ut dum intellectus rem aliquam concipit, ac si partes haberet. v.g. dum in homine concipit animal, & rationale, tanquam res duæ essent, quæ tamen in natura, vel ipsa re non sunt divisa, & distincta. Unde collige etiam in definitione explicari partes, nempe Metaphysicas, Genus & differentiam, sed alio modo. Definitio enim explicat partes rei componendo, & conjungendo illas in unum; Partium autem distributio non conjungendo, sed separando & dividendo.

No-

Nota VI. Licèt suprà dictum sit in regula, debere omnes partes enumerari, potest tamen formari argumentum ab una parte ad totum v.g. non est tectum, ergo non est domus ; tectum non est domus ; tectum non est bonum, ergo domus non est bona. Sed requiritur 1. ut procedatur negativè, malè enim infero affirmativè; tectum est novum, ergo domus est nova. Requiritur 2. ut illud totum, sit *totum molis*, nam à toto generis malè infero v.g. Cuprum non est rarum, ergo metallum non est rarum, accipiendo metallum universaliter, seu in ratione totius, id est, intelligendo de omni metallo, si etenim de aliquo tantùm intelligam, non est argumentum à parte ad totum; cùm metallum in tali significatione non accipiatur, sed à specie ad genus, ut dictũ est suprà. Ex quibus collige ut regula suprà dicta sit vera universaliter, & per omnia, intelligendũ esse de toto totaliter & adæquatè sumpto, sicut dictum est de genere: dum autem dico tectum non est bonum, ergo domus non est bona; vel tectum non est, ergo domus non est: accipitur quidem totum, nempe domus ; sed non totum totaliter, id est secundùm omnes partes, quas habet; potest enim fundamentum esse novum, aut bonum, esto tectum non sit, quo casu de domo totaliter, & secundùm omnes partes sumpta, propositio non erit. Hoc ipsum contingit dum formo argumentũ à toto ad partes v.g. homo bibit, ergo pes bibit. Nam licet bene inferam, à toto ad partes argumentando, si totum totaliter accipiam. v g. Domus

est

est nova, ergo fundamentum novum, tectum novum, parietes novi &c. non tamen si inferã à toto inadæquatè, & secundùm unam partem accepto, ut fit in præcedenti exemplo, homo enim tantum secundùm unam partem, scilicet secundùm os bibit.

Nota denique Synecdochen distingui ab hoc loco Rhetorico, quia non format argumentum à parte ad totum, vel à toto ad partes, sed tantùm unum ponit locò alteriùs, seu unũ pro altero accipit; locus autem à partium distributione ducit argumentum à parte ad totum, vel à toto ad partes.

§. IV. *De Etymologia.*

Etymologia græcè, ab etymon, & logos, quasi rerũ sermo, latinè Notatio dicitur; & est Locus, qui dat argumentum ab origine nominis; nam sicut definitio explicat, *quid sit res*, per *genus* & *differentiam*; ita Notatio explicat, *quid sit res* per *originem nominis*, & per hoc ab invicem distinguuntur. Undè si quæras: quid sit studiosus secundùm nomen, à quo derivatur, quod est studeo, est Etymologia; si autem, quid sit, quæras, non spectato nomine, sed reipsa erit definitio; quod sæpè necessariũ est fieri; quando nimirum derivatum mutat significatione m primitivi: tunc enim Etymologia est inutilis v.g. S. Barbara, sic est dicta quia fuit Barbara, vel stupor est, qui stupet, est nhumanus, ergo non est homo; hæc enim vera non sunt, quia derivata mutant significationem. Argumentũ ex hoc loco sumpsit Cicero in Verrem; quem

ideò sic dictum affirmat, quod Siculorum bona sciverit evertere. Sic S. Ambrosius ait, divitias esse dictas, quod vitam, id est, mentem dividant. Sic Ovidius

A senibus nomen mite senatus habet.

Sic Jesus, id est salvator, à Salvando, Maria, id est maris stella, vel mare gratiarum dicta; Sic Jacob dictus est supplantator, à supplantando, se planta vincendo alterũ, sic Moyses ab aqua, Joseph ab accrescendo, Chrysostomus ab ore aureo, Chrysologus ab aureo eloquio, Cicero à cicere, Fidericus, quia dives pacis, Wenceslaus, id est, major gloria, Ludmilla populo chara; sic Praga à pulvere, vel limine, Tepla ab aquis calidis. Huc referuntur anagrammata, chronostica, cabalistica &c. quæ licet ex ipsa origine nominis non sunt, tamen ex literis illius, seu ipso nomine v.g. amor, Roma, mora, maro; Logica, caligo; Sigismundus, dignus Musis; Albertus ter albus, Leopoldus, deplosole, aut pello duos; Erasmus museras. Huc etiam spectant ambiguæ & dubiæ significationis vocabula; unde jocus esse potest, si dicas Gallum ad internecionem esse deletum, intelligendo gallum gallinaceum: Senecam te vidisse vel audisse loquentem, intelligendo vetulam.

Sic lusit Poëta:

Gallia det Pares; Grande sed Iberia nutrit.
Gallos Hispanis, quis neget esse pares?

Sic Persa fidè conversus dicebat illud Ds:

Deo honor & gloria, interea solem intelligebat, quem Persæ adorant. Sed

Nota hunc locum ad probandum non habere magnam vim; eò quòd nomen non semper aptè rei conveniat, & rei naturam exprimat: ut est nomen S. Barbaræ, S. Ursulæ, S. Asellæ, S. Lupi &c. Sic monstrum à monstrando, spectrum à spectando. Valet tamen plurimum ad perstringendum, ad acumen, ad delectationem, sic cùm à Mecænate non hospitali, cliens interrogaretur, quî valeret, reposuit,

Non bene Mecænas valeo, quia me sinè cœnas:

Tale est & illud:

Papa pius quintus moritur: mirare tot inter Pontifices, solùm quinque fuisse pios.

Sic etiam Carolum quartum dicere posses Pontificem, quod fecerit pontem Pragensem.

Regula pro formando argumento in Notatione hæc est. Cui non convenit, seu de quo non verificatur, derivatum neque verificatur primitivum, si autem verificetur unum, etiam alterum verificabitur. v.g. diceris Andreas, ergo virum te geras, Andreas enim græcè, latinè virum significat: non geris te virum, ergo nec Andreas dici debes, Discipulus es, ergo disce plus. Præterea quod de uno affirmatur, vel negatur, etiam de altero affirmari, vel negari potest. v.g. Eloquentia æstimanda est, ergo etiam qui bene eloquitur.

§. V. *De Conjugatis.*

Conjugata sunt idem, quod plura derivata ab uno primitivo, uti est pietas & adverbium piè, quæ à pius oriuntur. Primitivum se habet sicut fons & parens; derivata sicut rivuli plures, & fratres, aut frater & soror. Hoc tamen notandum, primitivum non spectare ad hunc locum, sed ad Etymologiam, hic enim ab uno derivato ad alterum derivatum argumentum duci debet, non à primitivo ad derivatum, aut viciſſim; quia alioqui hic locus à priore nõ distinguitur. Unde si dicas: in te est sapientia, Eloquentia, ergo es sapiens, eloquens, sunt conjugata: si dicas tu sapis, & ornatè loqueris, ergo in te est sapientia, & Eloquentia; est argumentum ab etymologia; in hoc enim exemplo unum tantùm est derivatũ, alterũ verò primitivum, in priori autẽ utrũq; est derivatũ. Hinc patet distinctio inter Notationem & Conjugata. Hoc loco usus est Cicero 4. Tusculanarum quæstionum: quî enim potest, in quo libido, cupiditàsve sit, non cupidus, & libidinosus esse? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor non timidus? Idem in Verrem sic jocatur, Dum Verres à delubris mensas argenteas jussit auferri, in quibus inscriptum erat: *bonorum Deorum*, uti se eorum bonitate velle dicebat.

Regula pro argumento ex hoc loco tenenda est hæc. Quod de uno Conjugato affirmas, vel negas, idem de reliquis conjugatis affirmatur vel negatur, v.g. studia non sunt contemnenda, ergo nec studiosus. 2. de quo

unum

unum conjugatum affirmo vel nego, de eodem affirmo vel nego alterum. v. g. Rhetorica debet amari, ergo & Rhetores. Petrus non egit injustè, ergo non est injustus. Nè verò erres in usu conjugatorum, videndum 1. An id quod dicitur de uno conjugato illud habeat, quia tale conjugatũ est. Hinc malè sequitur: Rhetores sunt pœnâ digni, ergo etiam Rhetorica: non enim Rhetores sunt pœnâ digni, quia Rhetores sunt, seu propter studium Rhetoricum, sed quia aliquid sceleris perpetrârunt. Videndum 2. ut Conjugata non solâ voce, sed etiam significatione conveniant: quod fit, si eandem significationem retineant. Hinc malè infertur: Tu es homo, ergo humana spectare debes: homo enim, & humana jã significationẽ eandem non habent, nam *humana* non accipitur hîc pro eo, quod spectat ad hominem; sed pro rebus terrenis, & caducis; bene autem sequitur; homo sum, igitur nihil humani à me alienum putem. Videndum 3. Ut ea, quæ soli voci conveniunt, non affirmentur, vel negentur de re significata per alterum conjugatum. v.g. Rhetorica est generis fœminini, ergo & rhetor est generis fœminini.

§. VI. *De Genere.*

Genus est, quod habet partes communione sui similes, specie autem differentes, id est, Genus est vox, quæ convenit pluribus, quæ plura, in re per nomen significata conveniunt, in natura tamẽ disconveniunt v.g. flos,

arbor, avis, elementum, lapis, virtus, ars: unde ad Genus tria requiruntur. 1. Debet habere duas minimum partes v. g. Animal, hominem & brutum. 2. Partes debent in aliqua ratione communi (id est in re quam quælibet pars habet, seu de qua quælibet pars communicat, & participat) convenire, ideo quælibet illarum partium debet habere illud ipsum, quod nomen significat, seu, idem debet esse in uno, quod est in altero, & hoc debet per nomen generale significari. Undè licèt Civitas, Respublica, Exercitus sub se habeant multos Cives, milites, & inter se communiter vivant; quia tamen significatio civitatis cuilibet illorum non convenit (non enim possum dicere: Petrus est exercitus, Paulus est civitas) hæc non sunt genus. Est autem Civitas & respublica genus, si intelligam Romam, Viennam, Pragam; si Rempublicam Romanam, Athenienſem, Venetam, & si Exercitum Gallicum, Turcicum, Cæsareum; his enim convenit significatio nominis eadem, eò quòd eadem ratio seu res per nomen significata illis insit. Sic etiam nomen Canis non est genus, licèt de stella in cœlo, & animali latrante dicatur. Sicut & nomen Gallus; quia licet habeant nomen commune, non tamen ratio, seu res per nomen significata est eadem, ideoque sibi non communicant rem per nomen significatam, seu non habent eandem rationem communem.

3 Licèt partes in ratione per nomen significa-

nificata conveniant, & sibi invicem communicent, debent tamen ab ea re, seu ratione (quam nomen non exprimit) rursus disconvenire, & differre, non tantùm in accidentibus, sed etiam in ipsa natura, dicitur enim in Generis definitione: *specie autem differentes*. An autem specie, seu in natura, differant & distinguantur, colligi potest ex effectibus, & operationibus notabiliter diversis; sic pomus & pinus conveniunt in ratione arboris, differunt tamen specie, quia alterius naturæ est pinus, alterius pomus, nam folia & fructus (hi enim sunt effectus) prorsus sunt diversi. Sic etiam differt brutum & homo: Petrus autem & Paulus non differunt specie, qnia sunt ejusdem naturæ humanæ, eadem enim definitio (quæ naturam rei explicat) & operatio naturalis (nam artificialis, quod scilicet unus sit Musicus, alter sartor, est accidentalis, sicut & quòd unus sit parvus vel niger, alter magnus vel albus huc non spectat) convenit utrique; undè dicuntur differre solùm *numero*. Ex quo collige differentiam esse duplicé: specificam & Numericam. Ratio, seu res, quæ facit naturã differre specie, est *specifica*. v.g. rationale & irrationale; per hæc enim homo & brutum differunt specie, licet in animali conveniant. *Numerica* est, quæ solùm facit, ut iste sit alius numero ab illo, seu ut præcisè & tantùm numero distinguantur, non autem in natura. v.g. Petrus & Paulus. Differétia specifica cum genere constituit speciem v.g. Rationale cum animali hominé: Irrationale cũ animali brutũ, Latrabile cum animali canem. &c. Diffe-

ferentia numerica solùm facit, ut una natura non sit altera, sed alia numero, ut homo albus, & niger, pomum dulce & pomum acidum, Petrus parvus, Paulus magnus &c. Hinc patet differentiam numericam fieri per adjuncta rei, quæ apud Philosophos vocantur accidentia; unde differentia numerica, etiam accidentalis dicitur. Altera verò specifica, & essentialis, quòd essentiam seu naturam una cum genere constituat; qua ex causa definitio constare debet Genere, & differentia; quia debet naturam rei explicare.

Valet hic locus magnopere ad dilatandam & probandam quæstionem, transferendo hypothesim ad thesim, id est, ex quæstione finita faciendo infinitam, quod fit omittendo circumstantias personæ, loci, temporis, modi &c. quibus quæstio tanquam fine & termino constringebatur, quò minùs latissimè, & quasi sine fine se diffunderet. Hujus reductionis causam duplicem assignat P. Cypr. Soarius lib. 1. c. 6. 1. Quod latissimus discurrendi campus oratori aperiatur, quod plurimùm facit ad majestatem & pompam orationis. 2. Quod facilis sit descensus ad probandam quæstionem finitam; si enim verũ est, omnes homines esse mortales, facili negotio probabis Petrum esse mortalem, quia Petrus inter omnes homines continetur, ideo loco citato dicitur; quòd quæstio infinita seu universa totas causas sæpè contineat, id est, quæstiones finitas, seu res particulares. Usus est hoc artificio Cicero pro Archia Poëta, quem, ut à poëtica arte illustriùs commendaret, in artium

nm manſuetiorum commendationem excurrit. Sic etiam pro Milone, ut oſtenderet jure Clodium à Milone occiſum eſſe, priùs in genere oſtendit jure occidi inſidiatorem, deinde probat Clodium inſidiatorem fuiſſe; unde facilè ſequitur, Clodium jure cæſum eſſe. Imitari potes facturus orationem de milite; recurrendo ad gloriam militiæ; de Philoſopho ad laudem Philoſophiæ, & de ordine S. Brunonis in commendationem vitæ ſolitariæ vel religioſæ. &c. Hæc translatio quæſtionis finitæ ad infinitam maximè, & communiter ſervit in exordiis faciendis: priuſquam enim de re noſtra in particulari dicere aggredimur, in genere aliqua præmittimus. v. g. In omni quidem ſtatu turpis eſt vitæ libido, in ſenectute tamen quam maximè, nam &c. Item cùm in rebus omnibus plurimùm momenti habeat prudentia, tum præcipuè in bello, etenim &c. huc enim modo habetur exordium ex viſceribus cauſæ, & inadvertenter ſine violentia deſcenditur ad ſtatum quæſtionis.

Nota tamen non ſemper quæſtionem finitam reduci poſſe ad infinitam. *cùm enim de vero ambigitur*, id eſt, quando eſt dubium de veritate quæſtionis infinitæ, tunc res per conjecturam, id eſt, quæſtionem finitam diſcuti debet. Sic Cicero pro Milone non potuit ad infinitam reducere hanc finitam v. g. an Clodius ſit inſidiator? debuiſſet enim quærere, an omnes homines, vel omnes Romani ſint inſidiatores? quod univerſaliter verum non eſt. Sic etiam, ut probem Petrum, Rhe-

torem esse malum, vel pigrum, non possum reducere ad hanc infinitam, an omnes Rhetores sint mali vel pigri? Contingit autem hoc toties, quoties prædicatum non convenit omnibus necessariò, sed contingenter, seu accidentaliter, v.g. Petrus currit, cadit, studet, scribit &c. (aliud est si dicam: Petrus habet corpus & animam, hoc enim omni necessariò convenit (unde tali casu quæstionem particularem per genericam & universalem probare non possum. Ceterum, si prædicatum sit contingens & accidentale, seu non commune omnibus, tunc subsistere debet in statu conjecturali, de quo lib. 2. c. 11. ait Cypr. Soarius.

I. Regula ad formandum argumentum hæc est: Quidquid dicitur de genere in sensu reali & physico (quidquid enim in sensu logico dicitur, non bene semper infertur. v.g. non possum dicere, virtus est genus, ergo etiam fortitudo est genus) dici etiam potest de specie sub illo genere contenta. v.g. Contra vitia est decertandum, ergo etiam contra intemperantiam, timorem &c. Omnes scientiæ sunt laude dignæ; ergo & Rhetorica.

II. De quo negatur genus, de eodem negatur & species. v.g. Hæc res non est avis, ergo neque vespertilio. Adulatio non est virtus, ergo neque est prudentia, justitia. &c.

III: Posito seu affirmato Genere, ponitur & affirmatur aliqua species incerta sub disjũctione, ut: video ibi animal, ergo est homo, vel brutum, periit elemento, ergo vel igne, aut aquâ &c.

Nota Genus aliud esse summum, aliud subalternum Summum est, quod supra se nullum habet. Subalternum est, quod est sub altero, seu quod aliud supra se habet. v.g. Avis supra se habet animal, animal supra se habet vivens.

§. VII. *De specie seu forma*

Species in Rhetorica vocatur Forma, nimirum propter differentiam quæ cum genere naturam constituit: Forma enim juxta Rhetoricam lib. 1. c. 26. Est ratio rei, per quam res est id quod est, & ab aliis distinguitur: per differentiam autem res aliqua, quæ propter genus cum aliis conveniebat, est id, quod est. & ab aliis distinguitur. Unde sicut forma physica, seu naturalis, v. g. albedo cum materia v. g. pariete constituit unum compositum physicum, quod est album, ità Genus cum Forma, seu differentia cum genere facit & constituit unum Metaphysicum. Rectè autem dicitur forma pars generi subjecta, quia species est sub genere, & ipsi subest in affirmando & negando, seu, quod idem est, in prædicando, & essendo est subjecta: semper enim benè dico: Justitia est Virtus, Temperantia est Virtus, item corvus est avis, grus est avis, pica est avis; non autem contrà; Virtus est Temperantia, virtus est Justitia, potest enim esse alia, item avis est pica, avis est grus &c. potest enim esse corvus vel bubo &c.

Nota speciem cum Genere in hoc convenire, quòd sæpè contineat plures par-

partes sub se in aliqua re convenientes, seu sibi similes, distinguitur tamen à genere, quia partes formæ sunt sibi prorsus similes in natura, seu non differunt in natura, sed solùm numericè seu in numero. v.g. Petrus, Paulus, Joannes &c. sunt similes in natura humana, & non distinguntur specie, sed tantùm numericè; undè Petrus, Paulus non sunt species (species enim est homo seu natura humana, in qua Petrus & Paulus continetur) sed vocantur individua, quia illorum significatio non dividitur in plura, non enim possum dicere; Petrus est homo, Paulus est homo.

Nota 2. Quòd licèt species non sit Genus, ex eo quòd non habeat plura sub se, quibus eadem significatio convenit, habet tamen eandem regulam argumentandi & prædicandi quam habet genus. Et propterea P. Causinus, & alii revocant speciem ad genus, quando de pluribus dicitur & prædicatur, ut si dicam: Petrus est homo, Paulus est homo, est generica apud Rhetores teste P. Causino, apud Philosophos specifica tantùm; quòd si species non jam de sibi subjectis v.g. Petro & Paulo, seu de suis inferioribus, sed de genere prædicetur, ita, ut à specie ad genus ducatur argumentum, observandæ sunt hæ regulæ.

1. De quo affirmatur aliqua species, seu forma, de eo dicitur etiam genus v.g. hoc quod video est canis, ergo est animal. Rhetores sciunt Rhetoricam, ergo etiam habent scien-

ſcientiam. Dixi de *quo affirmatur* &c. quia de quo negatur aliqua ſpecies, non negatur etiam genus, nam malè infero: non eſt leo, ergo non eſt animal, poteſt enim eſſe canis.

II. Quod dicitur vel negatur de aliqua forma, ſeu ſpecie, id ipſum dicitur vel negatur ex parte de genere præpoſitâ particulâ *aliquis, aliqua, aliquod*, v. g. Argentum eſt candidum, ergo aliquod metallũ eſt candidum. Valet hic locus ad amplificandum v. g. ſi agatur de homine docto, lauda illum enumerando ſpecies doctrinæ. v. g. Peëticam, Rhetoricam, Philoſophicam &c. Idem fieri poteſt de vitioſo, &c.

§. VIII. *De Similitudine.*

Dictum eſt, Genus eſſe, quod ſecundùm rem per nomen ſignificatam convenit pluribus, ſeu pluribus eſt commune. Eſt autem res communis, quæ in pluribus invenitur, quoties verò res eadem in pluribus invenitur, dicuntur illæ res ſibi ſimiles; unde ad intelligendum locum de genere rectè ſequitur ſimilitudo: quæ ſuponit duorum vel plurium in re aliqua ipſis communi convenientiam, uti Hercules & Leo conveniunt in Fortitudine, adoleſcens & Roſa in pulchritudine. Eſt autem Similitudo, *quæ traducit rem quampiam* &c. id eſt, eſt Rhetoricus locus, in quo ducitur argumentum ab una re ad alteram, quæ ipſi ſimilis eſt. Similes autem ſunt ſibi res, quæ in aliqua re conveniunt, ſeu quando una aliquid habet, quod etiam altera habet: unde

ſimi-

similitudo generatim loquendo, est convenientia duorum inter se: similitudo autem, prout est Locus rhetoricus, est Collatio duorum inter se propter aliquam convenientiam in aliquo tertio. Exemplum hoc accipe: sicut aurum probatur in fornace, ità justus in tribulatione. Hîc *aurum*, & *justus*, conferuntur inter se propter hoc, quia conveniunt in uno tertio, nempe in probatione & tentatione. Dicitur autem in Rhetorica: quod unam rem similem *traducat*, seu transferat ad rem alteram similem ex re *dispari*; id est, res illæ, quæ inter se conferuntur, debent habere aliquam diversitatem; vel in natura, vel in adjuncto seu accidente: sic flos, & juventus, Hercules, & leo sunt diversa, in natura conveniunt tamen in accidente, nempe in fortitudine; homo autem infirmus, & avarus non sunt diversi in natura, sed tantùm in accidente, nempe in morbo & avaritia.

Valet hic Locus maximè ad declarandam argumentorum obscuritatem, vel subtilitatem, & in tantùm probat aliquid, in quantum illustrat & declarat rem, ideoque est probabile inventum ad faciendam fidem, seu valet ad persuadendum; unde benè inter locos Rhetoricos numeratur; quia dum rem clariùs cognoscimus, faciliùs inducimur ad assensum. Est autem locus intrinsecus, non extrinsecus ut P. Masenius & aliqui contendunt, quia Convenientia, propter quam duæ res inter se conferuntur, est in re de qua est quæstio; est enim in prædicato, vel subjecto quæstionis illa pars similitudinis, quæ per se, & ex natura sua est con-

connexa cũ altera, e à quo similitudo ducitur: unũ enim simile essentialiter & per se respicit alterum, & per se, non aliunde est simile alteri.

Modus porrò inveniendi similitudinem est iste. Cogita quid cum re de qua quæstio est, habeat convenientiam, v.g. quid cum morte conveniat, & invenies lucernam v.g. unde sic probabis in morte esse dolendum. Quemadmodum lucernam ardentem nemo fert molestè, extinctam dolent omnes, ità vivere jucundũ est omnibus, mori acerbum. Unde ex hoc loco *regula pro formando argumento* est facilis, nimirum: *Quod uni convenit, etiam alteri ostendatur convenire.*

Modus autem proponendi similitudinem est per particulas similitudinis, de quibus in Rudimentis: videlicet, ut ad simile à quo ducitur argumentũ, præponatur, *quemadmodum, sicut, velut*, &c. ad alterum autem simile ad quod ducitur argumentum apponatur; *non secùs, non aliter, ità, sic.* &c. & hæc similitudo dicitur *perfecta. Imperfecta* autem est, quando una ex particulis correspondentibus omittitur. v.g. Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum: Hîc enim non dicitur ità vel non secus, Sic etiam quando dico, voras, ut lupus, stupescis ut asinus, est similitudo imperfecta. Quando autem nulla harum particularum ponitur, est similitudo *occulta* & implicita, & subintelligitur aliqua ex dictis articulis ad eum modum, quo nominativus ad verbum personale omittitur & subintelligitur. Exemplum est hoc: militia est vita hominis super terram; di-

vitiæ

vitiæ sunt spinæ ; adolescentia est flos ætatis, peccatum est animæ pestis. &c. Cur autē hoc casu non sit metaphora, licèt similitudo non exprimatur, per particulam *sicut*, dicetur suo loco.

Nota I. Non esse nimis viles & leviculas similitudines excogitandas, nè contemptum, nec nimis multas, nè nauseam creent.

Nota II. Ad similitudinem revocari parabolas, apologos, fabulas, symbola, emblemata, hieroglyphica, quæ omnia veritatem aliquam repræsentant in similitudine, tanquam in speculo vel imagine, occultâ interim, vel expressâ applicatione per Lemma v.g. seu inscriptionē, aut per affabulationem. Est autem *Parabola* figmentum quoddam ad mores hominum instruendos excogitatum ; sive sumatur ex rebus animatis, & ratione utentibus, sive non. *Apologum* ex parabola habebis, si ipsi addas colloquiū, id est, fingas res illas inter se loqui, hujusmodi parabolas & apologos invenies in Evangelio & Æsppo; quia enim similitudines notæ sunt, & delectant; ideo Christus iis plerumq; usus est ad incognitas veritates cœlestes declarandas. *Symbolicum* est imago, & speculū, seu signum clarum occultæ alicujus veritatis per picturā expressum (per quod à parabola & apologo distinguitur) factum ad mores & vitā hominis informandam, à re non intelligente ad intelligentem traductum ; per quæ ultima verba symbolum distinguitur ab *emblemate*, quod ab intelligentibus rebus tantùm ducit simi-

similitudinem. Utrumque autem (tam symbolum, quàm emblema) potest habere lemma, seu inscriptionem, quæ rem declarat. Ità P. Masenius. Hieroglyphicum est signum, internum animi sensum declarans, plerumque ex beneplacito hominum, non ex natura sua. Per talia signa Ægyptii sapientes olim suam doctrinam tradebant, nè vulgò fieret nota. Porrò quantùm apologorum sive fabularum notitia conducat Oratori, argumento est, quod Themistocles Athenienſibus, ne Magistratus mutarent, persuasit fabella de vulpe muscis obsita. Quòd item Agrippa plebem Romanam, cùm in montem Aventinum secederet, in urbem revocâtit narratione Apologi de membris humanis adversùs stomachum conspirantibus; Demosthenes attentionem conciliâtit apologo relato de iis, qui de Asini umbra contendebant. Ità quod nec Legum, nec Magistratûs, nec Oratoris authoritas effecit, id fictititiæ narrationis blandimentum, ceu pictura & imago veritatis præstitit. Ipsa Sacra Scriptura Judic. 9. fabellam habet de arboribus Regem petentibus.

§. IX. *De Dissimilitudine.*

Dissimilitudo est duarum vel plurium rerum Convenientia inter se, cum aliqua diversitate & disparitate explicata & expressa. Unde sicut species habet aliquid commune, in quo cum aliis convenit (quod genus dicitur) & aliquid in quo disconvenit (quod differentia

rentia dicitur) ità etiam dissimilitudo; nam præter similitudinem, seu convenientiam duorum in aliqua ratione, seu re, dicit expresè diversitatem in alia ratione. Differt autem à specie, quia in oratione differentia speciei, seu disconvenientia solùm implicitè, tacitè, & occultè involvitur, aut supponitur; in dissimilitudine autem expresè, & apertè ipsis verbis adesse ostenditur. Ideo etiam adhiberi debent particulæ, quæ in Rudimentis vocantur adversativæ. v. g. At, verùm, sed secus, aliter. &c. Et hoc modo etiam differt similitudo à genere; quia similitudo exprimit convenientiam apertè, non item Genus. Pariter etiam differt à similitudine dissimilitudo, quia dissimilitudo similitudinem solùm implicitè importat, ac quasi subintelligit, non enim utitur particulis: *sicut, quemadmodum, ità, sic* &c. Elegans exemplum dat S. Ambrosius de Machabæis. Non sic illecebræ sunt cantus sirenum, illi enim ad naufragium trahunt, isti ad sacrificium; non sic cygnæa vox aures mulcet, cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti amore pietatis moriebantur &c. Tale est illud: soles occidere, & redire possunt; nobis, cùm semel occidit, nox una perpetuò dormienda. En dissimilitudinem intermixtâ & implicitâ similitudine. Porrò elegans est dissimilitudo, si priùs eadem in re similitudo aperta (id est cum suis particulis, sicut, ità) præcesserit, & deinde in iisdem rebus, quas per similitudinem inter se contulimus, disconvenientia ostendatur,

tur. Exemplum esse potest ab homine & bruto desumptum. Ut animalia rationis expertia telo mortis occumbere sentimus, maturiùs aliqua, aliqua seriùs, ità Parcarum fato ac Libitinæ ferro subjacent, quotquot ratione præditæ sunt animantes, unus enim interitus est hominum ac jumentorum, & statutum est omnibus hominibus semel mori. Ea tamen in utrisque morientibus est diversitas: occumbunt illa, sed ut nil eorum supersit ampliùs, corpore putredinem & cineres subeunte; at verò hominis anima post cineres post fata agit superstes, consors aut felicis aut infelicis æternitatis.

§. X. *De Contrariis.*

Contraria sunt, quæ non possunt esse simul, sed unum expellit alterum per seipsum sine ullo alio medio, seu sine alterius ope, eò quòd *se invicem* non compatiantur in eodem subjecto. Voco autem hîc subjectum illud, in quo res manet, seu cui inhæret. Cùm verò dicitur quod non *possint esse simul*: Intellige, quando sunt in summo, seu, ut Philosophi loquuntur in gradibus intensis; aliqualem enim amorem, & aliquale odium contra aliquem potest unus idemque habere respectu ejusdem, & in conclavi potest esse aliqualis calor, & aliquale frigus, aliquales tenebræ, & aliqualis lux eodem tempore.

Sunt autem quadruplicia Contraria: Adversa, Privantia, Relativa, Negantia:

In *adversis* utrumque est res aliqua ; in *Privantibus* unum eorum est aliquid, seu res, seu ens, alterum est nihil, seu non ens, quod à Philosophis vocatur Carentia, quia res caret suo esse; & *privatio* quia rem privat, & spoliat suo esse; facit enim ut res quæ fiat, vel esse potest, non sit in hoc subjecto, vel in rerum natura. Sicut è contra res ipsa vacatur *habitus*, quia habet esse, seu existere. In *Relativis* utrumque est res, sed ità, ut unum eorum esse non possit sub hac denominatione, quin etiam alterum sit, quod ei correspondet; non enim potest quis Magister denominari, quin habeat discipulum; non potest quis ulli dare, si non sit qui accipiat. Hinc patet distinctio relativorum, ab adversis. In adversis enim licèt utrumque sit res, tamen unum potest esse in rerum natura sine altero, potest enim esse pax, quin uspiam sit bellum, ut fuit tempore Christi nati. In *negantibus* autem contrarietas non est in re, & re, nec in re & non re (quemadmodum est in privantibus) sed in affirmatione & negatione ejusdem rei secundùm idem : qua de causa Contradictoria à Philosophis vocantur; contradicunt enim sibi quando, quod unus actus intellectûs affirmat, alter negat, idipsum, & eodem modo. Hinc patet 1. Distinctio inter hæc contraria, 2. posse talem definitionem eorum dari, *Adversa* sunt, quæ non possunt esse simul in eodem subjecto, ità tamen ut utrumque eorum sit aliquid, seu res ut frigus & calor; ebrietas & sobrietas; humiditas, siccitas; durities, mollities;

lities; &c. *Privantia* sunt, quæ non possunt esse simul in eodem subjecto, sed ità, ut unum illorum sit res, alterum sit nihil, seu non res, seu privatio. v.g. lux & tenebræ; frigus, non frigus; calor, non calor, negotium, otium, prudentia, imprudentia, &c. *Relativa* sunt, quæ non possunt esse in eodem subjecto, eodem respectu; debent tamen esse simul in rerum natura v. g. Pater & filius; Dominus & servus; Præceptor & discipulus; mons & valljs, emere & vendere. *Negantia* sunt duæ propositiones, quarum una id negat, & eodem modo, quod, & quomodo altera affirmabat. v. g. Petrus est diligens, Petrus non est diligens. Unde collige Negantia hoc habere speciale præ aliis contrarijs, quod non tantùm non possint simul esse, sed quòd non possint esse simul veræ, pro fundamento tamen supponunt privantia; quia ideo non possunt esse simul veræ propositiones, eò quòd res non possit simul esse & non esse v. g. currere & non currere. Hinc Privantia vocantur cotradictoria realia seu physica; quia sunt inter rem & non rem, Negantia autem vocantur Contradictoria formalia, quia formantur ab intellectu affirmante, & negante.

Quæres 1. Quomodo Relativa sint concontraria, si debeant simul esse in rerum natura? Contraria enim sunt, quæ non possunt esse simul. Parens autem & filius possunt esse simul, & ex dictis debent esse simul. Respondeo esse contraria, quia non possunt esse simul in eodem subjecto v. g. in eodem homi-

ne, eodem respectu. v. g. idem non potest esse Dominus & servus sui ipsius, idem non potest esse præceptor, & discipulus sui ipsius. Dixi *eodem respectu*. Quia diverso respectu potest quis esse famulu , qui est Dominus, & Præceptor , qui est discipulus, potest enim qui est Dominus respectu suorum subditorum, esse servus respectu Imperatoris: Et Petrus qui est discipulus in Rhetoricis, esse præceptor alicujus in Grammaticis.

Quæres 2. Quomodo hoc verum sit, quòd Relativa debeant esse simul in rerum natura, cùm aliquis dici possit filius, licèt parens jam sit mortuus. Respondeo talem abusivè nomen filii retinere ex eo, quòd antea fuerit ita appellatus. Sic multi etiamnum vocantur Domini, licèt nullum habeant servum, nec pulicem cui imperent, denominativè nihilominus sunt Domini, & abusivè per catachresim.

Regula in argumento à contrariis servanda est hæc: ut posito vel affirmato uno, tollatur & negetur alterum eo ipso. v. g. est bellum, ergo non est pax, est negligens, ergo non est diligens; est lux, ergo non sunt tenebræ, &c. Dixi posito vel affirmato &c. quia uno ablato vel negato, non eò ipso est alterum si inter illa sit medium, sicut est inter bellum & pacem armistitium; inter nigrum & album, viride, rubrum. Unde non bene infero: non est bellum, ergo est pax; quia potest esse armistitium; item non est album, ergo est nigrum, quia potest esse flavum vel rubrum. Aliud est si nul-

si nullum sit medium inter contraria. ut fit in privantibus, relativis. & contradictoriis; unde in his bene infero: non est lux, ergo sunt tenebræ; non est discipulus, & tamen est inter illos doctrinæ relatio & connexio, ergo est Præceptor. Debent autem ut dixi suprà contraria esse in summo, seu in statu perfecto; nam si sint in imperfecto & gradu remisso, non bene sequitur v. g. sub crepusculo non est lux, ergo sunt tenebræ; item aqua tepida non est calida, ergo est frigida.

Nota rubedinem & viriditatem v. g. non posse esse in eodem subjecto, non quòd sint contraria, sed quod subjectum seu res non sit utriusque simul capax; sicut quando Petrus & Paulus non possunt stare in eodem loco simul, non est causa, quòd sint contraria, sed quòd locus non sit utriusque simul capax: unde rubedo & viror contraria non sunt; contraria enim sunt, quæ non possunt esse simul in eodem subjecto, non propter incapacitatem subjecti tantùm, sed etiam *ratione sui*, quia nempe inter se pugnant, & se non compatiuntur.

§. XI. *De Adjunctis.*

Adjuncta sunt, quæ rei alicui inhærent vel adhærent, tanquam socii vel comites viatori, famuli Domino; ideo etiam circumstantiæ dicuntur, quia rem aliquam circumstant. Accidentia autem vocantur, quia accidunt rei, id est, non insunt rei necessariò, sed quasi ca-

su & contingenter; possunt enim adesse vel abesse, quin res destruatur. Hinc gratiosè oblata munera (gratialia vocant) officium gerentibus, accidentia sunt, quia etsi non obveniant, tamen officium illorum non persistere necesse est. Triplicia autem sunt adjuncta Alia quæ rem & negotium præcedunt v.g. colloquia, injuriæ, consuetudo, promissa, susceptum iter, & omnis reliquus apparatus. Alia sunt comitantia Locus, tempus, occasio, modus, facultas seu instrumenta. Alia demum sunt consequētia, quæ ordine posteriora sunt, id est, quæ rem gestam consequuntur: ut pallor, rubor, incessus titubans, frequens anhelitus hæsitatio, laus, divitiæ, infamia, reprehensio, publica pœna, exhaustum patrimonium, conscientiæ pavor. &c. Ubi adverte me hîc non agere de illis adjunctis, quæ *necessario* præcedunt vel consequuntur; sed quæ *contingenter*; si enim necessariò præcedant vel sequantur, ad sequentem locum Rhetoricum spectabunt. Porrò circumstantiæ omnes plerumque hoc versiculo explicantur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Particula *quis* denotat rem, seu personam cum suis adjunctis, corporis bona & animi, ut sunt ex *parte animi*, mores, prudentia, scientia, ingenium, memoria, virtutes, vitia &c. ex *parte corporis* bona vel mala complexio, humor sanguineus, bilis, pallor, rubor. &c. Particula *quid* significat negotium seu rem, quæ agitur, aut facta est, vel facienda, & est fundamentum aliorum potius adjun-

adjunctorum, quàm adjunctum aliquod. *Ubi* denotat circumstantiam loci, an sit sacer an profanus, an publicus, an privatus, an terrestris, maritimus? an patria aut non patria, regnum vel provincia, urbs, pagus, &c. *Quibus auxiliis*, vindicantur socii, ministri, instrumenta, arma, quorum ope res peracta est, v.g. an fuerint honesti, an inhonesti, cives? an milites, studiosi, an lurcones &c. qui hoc vel illud perficere sunt jussi vel ausi, an per gladios vel baculos, cultros vel secures &c.

Particula *Cur* significat causas finales rei factæ, id est finem ob quem res facta est, vel etiam causam impulsivam, seu motivũ quod illos impulit, & movit ad hoc faciendum v. g. an ad honorandum illum vel infamandum, vel decipiendum? an propter æternam vitam? porrò ordinariè causa finalis est honestas, vel utilitas, vel necessitas alicujus rei, aut etiam voluptas, & his contraria.

Quomodo denotat modum, quo res gesta est, an facilè an tardè? an suaviter, an crudeliter? an cum risu, vel lachrymis? plausu, vel luctu &c.

Quando significat tempus, an die festo, vel profano? die an nocte? manè vel vesperi? hyeme vel æstate? senectute vel juventute? &c.

Nota in particula prima *Quis* posse adhuc multa alia considerari v. g. ex parte corporis & animi in homine color, forma, vires, valetudo, natura, propensio ad varias corporis & animi affectiones; sic à natura alii sunt

ingenioſi; acuti alii, alii ſtupidiores, alii memores, alii oblivioſi, alii humani, prompti, alii tardi & inculti moribus, alii fortes, alii timidi, alii manſueti, alii iracundi. Quò etiam revocatur ætas, ſic infantum eſt lallare & mammare, luſus aliqui ſed pueriles; ut crepiracula rotare, equitare in arundine longa, ludere par impar. Adoleſcentia eſt præceps & vehementer appetit, iram & animum in fronte geſtat, ulciſcitur, laude paſcitur, prodigendo quàm conſervando habilior, parùm ſuſpicax, abundè credula ſibi ipſi lex, ſocietatis ſtudioſa ſoluta in jocos. Si bene educata fuerit, obnoxia verecundiæ ubi peccatum eſt; ſi malè, ſemper frontem gerit impudentem. Juvenes feroces, audaces, violenti, faciles ad iram, promptæ voluntatis. &c. Senes moroſi, novarum rerum obtrectatores, laudatores temporis acti, parci, & in futurum providentes; cauti & ſuſpicioſi, lenti ad perſuaſiones, ſua liberaliter juvenibus præferentes. Huc revocatur etiam natio & patria, & varii Gentium mores: Sic Cretas dicimus mendaces, Perſas voraces, Lacedæmonios fures, Syracuſanos adulatores, Coas vagos, Siculos dicaces, Italos ingenioſos, ſed vindictæ cupidos, Hiſpanos graves, Gallos facundos & hoſpitales. &c.

Hic locus maximè valet ad ornatum, & res amplificandas, in nulla enim re deeſſe poterit materia, ſi vel ſola ejus adjuncta, & circumſtantiæ perpendantur. Hinc deſumuntur plurima epitheta & abjectiva. v. g. Miles gene-

nerosus, vigilans, celer, alacer, ærumnarum tolerans, famis & sitis patiens, &c. Hinc habetur materia pro Hypotyposi, ethopœja &c. Sic Virgilius describit Didonem venatum procedentem 4. Æneidos.

It portis jubare exorto delecta juventus,
Retia rara plagæ, lata venabula ferro,
Massilique ruunt Equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem, ad limina primi.
Pœnorum expectant, ostroque insignis, & auro
Stat sonipes, ac fræna ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo;
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem,.

Argumentum ad probandum aliquid non est desumendum ex uno, vel paucis adjunctis, sed coacervanda & colligenda sunt multa; ut si unum fallat, aut ad probandum non sufficiat, alia adjuvent; unde sic argumentum formatur.

Paulus visus est noctu cum gladio, minatus est Petro occiso, expalluit, cum accusaretur, instabilis est in respondendo, inventus est in illo loco, ubi Petrus occisus est, ergo videtur occidisse. Cur enim gladio armatus obivit occisi domum? cur noctes, quid

quid illa manuum jactatio ? quid minæ? quid tacitum murmur? quid pallor in vultu? quid incessus trepidus designabat &c. Hîc juvenis ad rapiendum à natura proclivis est, velut alter Mercurius, auditusque est se illam rem vehementer cupere, circuivit locum sæpius in quo pecunia erat, & tali tempore, quo à nemine videbatur, ergo furatus est. Ex his collige *regulam pro formando argumento* esse hanc, ut in antecedenti ponantur adjuncta, & in consequenti aliquid conveniens seu connexum cum adjunctis, quod indè infertur. Dixi ad argumentum ab adjunctis non sufficere unum eorum, sed coacervanda plura, quia alioqui fallit. Sanè ex eo quod malè præcinctus in pueritia incesserit Julius Cæsar, arguit Cicero improvidum belli ducem esse eundem, atque ideo Pompeji partes se secutum cuipiam asseruit. At Sylla, tum senex animadvertebat Cæsarem omnem industriam ad intetna animi decora conferre, neglecto exteriori corporis ornatu. Unde optimates monere solitus, ut malè præcinctum puerum caverent. Hujus fallaciæ argumenta sunt, quæ Physiognomi ex hominis complexione ac formatione perunt; potest enim mens in deformi corpore esse eximia, & quod corporis vitio depravari posset, ab animo emendari. Sic tamen illi ratiocinantur. Incompositus oculus similem significat mentem, truculentus aspectus agrestes ostendit mores: venter crassus, & mens similis. Digitus tenuis ingenuum quid & decens. Lata frons, solertia

bovis,

bovis. Vitæ, dentes rari, brevis cursus. Cor æquale, pectus latè patens tegit. Crines crispi capitis ignei germen : vires validæ, & niger color, virum ostendit. Pupillæ vibratio amorem jaculatur: luporum ad aures usque voracium scissum os. Nasus prælongus æqualis prudentia, mentium asininarum aures: longæ vela sunt: flava, astutorum vel biliosorum coma. Unguis aduncus vulturis, aut avari est; barba densis pilis virile quid & sapiens est: Nares latæ præceps in periculum audacia: graves serenus oculus ostendit mores, cervix mollis virile fert nihil, superborum supercilia elata, acutum caput parvum cerebrum tegit: manus amplæ mentium liberalium, humerorum latitudo corporis, & mentis robur. &c.

Nota Ciceronem in Topicis adjuncta vocare signa, quia attributa, & proprietates (quo nomine Philosophi adjuncta vocant) indicant essentiam & naturam rei: quod quia etiam effectus præstant, idem Tullius in Partitionibus Effectus vocat signa. Quæ utraque Ciceronis ratio & probabilis est, & vera inquit P. Voëllius in Verrinam: namque signa earum quidem rerum, quas propriè inducant sunt effectus, hominum autem, & negotiorum sunt adjuncta, v. g. pallor, tremor, hæsitatio, conscientiæ quidem (quam significant) sunt effectus; cædis autem factæ, & ejus, qui arguitur feciſſe, adjuncta sunt. Pari ratione voluntas, & judicium tum Siculorum, tum Verris de Cicerone, & Cæcilio, si cum agendi facul-

facultate, cujus indicium est, comparetur, eventus & effectus est, si cum hominibus ipsis Cicerone & Cæcilio conferantur, adjunctum erit.

§. XII. *De Antecedentibus & Consequentibus.*

Antecedentia sunt, quæ rem sequentem, *necessariò* antecedunt; Consequentia sunt, quæ rem antecedentem *necessario* consequuntur; unde opus est ut necessariam inter se connexionem habeant, ità ut posito uno, necessariò sit vel fuerit alterum v. g. exivit ex musæo, ergo necesse est illum fuisse intus; evigilavit, igitur dormivit; mortuus est, aut expiravit, ergo vixit. Per necessariam hanc connexionem & dependentiam unius ab altero distinguitur hic locus ab adjunctis, & causis: adjuncta enim non insunt alicui rei necessariò, nam possunt adesse vel abesse, quin res pereat? unde carent necessariâ illâ connexione. Effectus, licèt aliquando necessariò sequantur causam v. g. calor ignem, lux solem, potest tamen ille effectus esse, quin oriatur & fiat ab *hac* causa v. g. lux potest provenire à luna, etiam ab igne, etiam à face; similiter calor potest provenire etiam à sole, vel vehementi corporis commotione: unde non sequitur infallibiliter & simpliciter sinè alio addito: est lux, ergo est sol; est calor in aëre, ergo est ignis; possunt enim hæc aliunde provenire. At verò si dicam mortuus est, possum infallibiliter

liter inferre quòd vixerit. Præterea, si effectus necessariò proveniat à causa, ità provenit, ut causa in *effectum influat*, seu ut causa debeat dare esse effectui, quod enim effectus in rerum natura sit, hoc habet & accipit à causa. Consequens autem ex hoc præcisè, quòd sit Consequens, non habet à causa: nam mors non habet suum esse à vita (mors enim nihil est, cùm sit vitæ privatio) nec tenebræ accipiunt esse ab occasu solis, cùm etiam nihil sint, sed tantùm & præcisè mors sequitur vitam, tenebræ occasum solis vel lucis. Si tamen sit effectus qui necessariò hanc causam sequatur & inferat, eò quòd essentialiter ut Philosophi loquuntur, & necessariò ab ea dependeat, dici potest, quòd partim ad locum de antecedentibus & consequentibus, partim ad locum de causis referatur, sed diversa respectu. In quantum enim necessariò antecedit & consequitur alterum, erit antecedens & consequens; in quantum autem simul influit in consequens, & ipsi dat esse, erit causa & effectus: nam etiam omnem causam antecedere necesse est suum effectum. Vel etiam dici potest tali casu, quo effectus essentialiter & necessariò est connexus cum sua causa antecedente, tantum esse locum de causis, propter influxum: & ad locum de antecedentibus & consequentibus revocari debere ea tantùm antecedentia, quæ necessariò quidem cohærent cum consequentibus, sed nullum præter ea habent influxum in illa.

Huc

Hue aliqui revocant præsagia naturalia, qualia sunt; sol purus oriens, neque fervens, serenum diem nunciat, concavus oriens, pluvias prædicit; si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuro diei spondent; sin spargentur, pluviam ventosque significabunt. Cum oriente radii non illustres eminebunt, pluviam portendent, si nocte rubescunt nubes, maxima ostendetur tempestas; si oriens cingitur orbe, ex qua parte is se aperit, expectetur ventus; si totus defluxerit, serenitatem dabit.

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.
Clara dies Pauli bona tempora denotat anni.
Si fuerint venti designant prælia genti.

Autumni serenitas ventorum hyemem facit. Nubes vehementiùs atræ ab oriente in nocte pluviam minantur. Nube gravida candicante grando imminebit, nebulæ cœlo cadentes serenitatem promittunt. Iris imbrium est nuncia. Alcyones nidulantes futuræ tranquillitatis fidem non dubiam faciunt; hirundines redeuntes ver indicant, sicut ciconiæ avolantes hyemem. Præcox pueritia vaticinium est vitæ brevis, stridor dentium in ægrotis, mortis indicium est, dentium series brevis, & continua, longævitatem arguit, immodica felicitas signum est futuræ calamitatis, sicut nimius solis æstus futuræ tempestatis; immodi-

modicum gaudium index triſtitiæ, uti enim diem ſequitur nox, ità bonum malum; ante ruinam exaltatur Spiritus, & multi tolluntur in altum, ut lapſu graviori ruant: ex pueritia & adoleſcentia etiam colligere ſolemus qualis quis in adulta ætate futurus ſit. Sed horum aliqui, quia non habent neceſſariam cum conſequenti connexionem, ideo cum delectu accipienda ſunt.

Hic locus non multùm confert ad amplificationem, eſt enim valde ſterilis & exſuccus. Valet tamen ad validè & acutè perurgendum. v. g. è taberna viſus es exire, & in ea te fuiſſe inficiari audes? multa nomina in Mercatorum Cauponumq; officinis contraxiſti, & exſolvere recuſes? nondum manè erat, & veſperum affirmabas. Nondum orientem viderat tellus, & occidentem arbitrabaris Jam triumphum canis, de victoria tibi plaudis, & belli arenam non ſubiiſti. Senem te futurum exiſtimas, qui in virum adhuc non evaſiſti. &c. Hinc patet.

Regula pro formando argumento, videlicet, ut eorum aliquod præmittatur, alterum ſublequatur, affirmando vel negando. v. g. educuntur milites in campum, ergo erit belſum. Non eſt multùm oblitus, igitur parùm ſcivit: perdidit cum crumena augentum, ergo habuit. Judas retulit argenteos, quare accepit. Convaluit, ergo fuit infirmus. Emendavit vitam, ergo malè vixit.

§. XIII. *De Repugnantibus.*

Repugnantia ſunt, quæ inter ſe diſconveni-

unt, seu, quæ non possunt esse simul; non *ratione sui* vel *propter se*; sed ratione unius ex contrariis, à quo proveniunt: sunt enim repugnantia unum ex contrariis & alterius contrarii effectus; unde, quemadmodum ipsa contraria non possunt esse simul, ità neq; se ista compatiuntur, propter illud contrarium, cujus effectus sunt. Hinc pugnant non ratione sui, quemadmodum contraria, sed ratione contrarii à quo proveniunt; hac de causa dicitur in Rhetorica, quòd repugnantia neque *certâ lege* neque *numero* inter se dissideant, sicut contraria dissident; nam *lex contrariorum* est, ut per se, & ratione sui, & immediatè sibi opponantur; quia scilicet unùm per se, non per aliud tollit alterum immediatè v. g. frigus, calorem; amor odium; at repugnantia non opponuntur sibi immediatè, sed mediante illo contrario, cujus effectus sunt; & unum repugnans non tollit alterum, nisi sublato illo contrario, à quo provenit v. g, rigor digitorum, tremor membrorum in hyeme, rubor nasi &c. non tollitur per calorem, nisi priùs sublato frigore; lædere, verberare, convitiari, non tollitur nisi sublato odio, à quo dicta proveniunt. *Numero* autem à contrariis distinguitur; quia in contrariis tantùm sunt duo, quæ sibi opponuntur, non plura; at in repugnantibus sunt plura; amori enim non tantum opponitur verberare, sed & furari, destruere, convitiari, impedire in promotione ad dignitates &c. Hujus ratio est, quia plures sunt ef-

fectus

fectus unius contrarii, quàm unus tantùm. Et per hoc etiam à dissimilibus distinguuntur, quia licèt dissimilia etiam inter se disconveniant, sicut repugnantia, in dissimilibus tamen tantùm duo sunt, quæ sibi disconvenire ostenduntur. Hîc autem plura. Ex his.

Collige modum inveniendi repugnantia esse istum: accipe duo contraria, tùm vide, quales effectus habeat unum ex illis: dehinc accipe illos effectus, combina cum altero ex contrariis, & habebis repugnantia. v. g. modestus, & immodestus sunt contraria: jam vide quid soleat facere immodestus, & hoc oppone modesto, unde sic argues modestus es, & circumfers oculos in templo, & compitis, clamosè cachinnaris, brachia seminantis instar jactas, curris &c. Es sobrius & nunquam es sinè cantharo in ore, sinè vertigine in capite, sinè trepidatione in pedibus, sine turbitatione in mente, sinè hæsitatione in lingua &c. Catholicum te profiteris & exomologesin, synaximque sacram non curas, carnes vòras in quadragesima, opera bona contemnis. &c. Impositum memoriæ pensum callere te affirmas, & ad quodlibet verbum hæsitas, ad singulas voces inspicis, vel suggeri tibi cupis, ultima primis, media ultimis permisces?

Regula pro formando argumento est eadem, quæ contrariorum. Unde sicut in contrariis uno negato contrario, non potest affirmari alterum (nisi quando inter illa non datur medium) ità nec hîc, nam non bene infero:

non videt, ergo est cæcus, medium enim est claudere oculos, non tantùm dum dormit, seu etiam dum vigilat. Solùm ergò affirmativè procedit argumentum, ità ut uno affirmato ex repugnantibus, alterum negetur, & quidem suppositò quod sint effectus unius contrarii, si enim non sint effectus, tunc argumentum fallit, v. g. Parens castigat, convitiis afficit filium, ergo non amat &c. fallit seu falsum est, quia potest castigare non ex odio, sed ex amore, quo filio vult bene, ut nempe sit probus, & aliquid addiscat Sic etiam non sequitur, sanctus Pachomius Eremita habitum sæcularem induit, cauponam adit, cum meritrice conversatur, ergo est sceletatus; quia effectus hi non proveniunt ex amore peccati, sed boni, ut scilicet meritricem convertat, quod & factum est. Unde patet non necessariò concludi & formari argumentum infallibile ex hoc loco, sed priùs attendendum, an horum repugnantium causa (nempe contrarium) subsit, & subsistat? si subsistat, adest campus & sylva pulcherrimæ amplificationis propter multiplicitatem effectuum seu repugnantium, & datur occasio acriter pungendi, & urgendi adversarium ut patet ex exemplis suprà allatis.

Nota quosdam esse, qui dicunt legem contrariorum esse, ut sibi immediatè opponantur, seu inter contraria non dari medium, dari autem inter repugnantia, & per hoc repugnantia à contrariis distingui: quòd licèt verum sit de negantibus relativis & privantibus, non tamen

men de adversis. Nam inter nigrum & album datur medium, rubrum, viride, inter amorem & odium similiter, quia possum Petrum quem non novi, & de quo nihil audivi, nec amare, nec odisse. Sic etiam inter bellum & pacem datur armistitium, & in infante nec vitium, nec virtus. Tenenda igitur superiùs dicta lex, quòd nempe unum contrarium alteri per se, non per aliud opponatur. & unum per se, non per aliud tollat alterum; Repugnantia autem non per se, sed per contrarium sibi opponantur & sese tollant.

§. XIV. *De Causis.*

Causa est, *quæ sua vi efficit* &c. hoc est, cujus potestate & virtute influente, fit aliquid, quod antè non fuit. Seu est id, à quo aliquid oritur naturaliter, vel moraliter. Quando oritur naturaliter, vocatur causa physica; quando moraliter, id est, dirigendo; instruendo, consulendo, mandando, dissimulando, &c. est causa moralis.

Nota verò *efficere*, quod ponitur in definitione, non esse strictè accipiendum (aliàs quælibet causa, etiam finalis, formalis & materialis erit efficiens) sed laxè, & hoc sensu, ut significet idem, quod *facit ad esse rei*, vel dando esse, & tunc est causa *efficiens*; vel constituendo, & tunc est *formalis*; vel recipiendo esse, tunc est *materialis*; vel dirigendo & movendo ad esse, quod facit *causa finalis*. Hoc autem significatur per particulam *suâ vi*, id est, virtute sibi propriâ, vel activâ, vel passiva, vel forma-

li, vel finali. Ex his collige quadruplex esse causarum genus, eò quòd quatuor modi sint, quibus res quælibet esse potest; quælibet enim res habet *finem* propter quem est, cùm nihil sit frustrà in rerum natura, cò quòd Deus & natura oderit, quidquid otiosum est, & frustrà Deinde quælibet res creata non potest esse à seipsa, ergo necesse est ut habeat aliquid à quo in rerum universo esse incipiat, & hæc est *causa efficiens*. Præterea quia Deus non semper creat, id est, non semper rem facit ex nihilo, causa autem creata, nec potest quidquam facere ex nihilo, ideo prærequirit aliud quid: ex quo aliquid faciat, vel in quo, & hæc est *causa materialis*. Denique quia materia juxta Philosophos non potest esse sinè forma, eò quòd rem oporteat esse in certa specie, ut constet quid sit, & distingui possit ab omni re alia, quæ non est talis, requiritur etiam *forma*, est enim forma, ratio & modus quo res est talis, seu hujus speciei, & hujus denominationis (id est tale nomen habet) non autem alterius; seu est ratio, propter quam res v. g. est lignum, & non lapis; statua & non truncus; & propter quam res nominatur lignum & non lapis; statua & non truncus; Unde sicut differentia cum genere rem metaphysicè constituit in certa specie; ità etiam forma cum materia facit rem physicè esse in certa specie physica. Simpliciùs & clariùs sic *Causa finalis* est finis propter quem aliquid fit; & cognosci potest interrogatione *quare* v. g.

causa

causa finalis est id, propter quod litteris operam navas, nempe doctrina acquirenda, *Efficiens* est quæ rem efficit, seu facit ut sit, & cognoscitur interrogatione *quis hoc fecit? materialis* est ex qua, vel in qua aliquid fit, & cognoscitur interrogatione *ex qua re*, vel *in qua re*, est hoc factum. *Forma est ratio* seu modus, non quo res fit vel facta est (unde non cognoscitur interrogatione, quomodo hoc est factum, id est quibus auxiliis) sed quâ constituitur in hac specie & non in alia (& ideo forma vocatur, quia speciem rei, quasi formositatem, & apparentiam confert quâ fit, ut distinguatur ab omni alio, quod non est in hac specie) & hanc denominationem seu nomen accipit, & non aliud. Seu *est modus propter quem res est id, quod est, & non aliud, & dicitur hoc esse & non aliud quid.* v. g. forma statuæ est id, quo lignum hoc habet, ut sit & dicatur statua, & non simpliciter lignum sicut antè: sic forma ollæ est ratio & modus per quam res hoc est, quòd sit olla, & non simpliciter limis. Cognoscitur autem ex interrogatione *quomodo*, non quomodo fiat, sed *quomodo appellatur* & *denominatur istud* aut illud: hoc autem, quod respondetur, est forma, per quam res est talis, & non alia, per hoc enim distinguitur ab omni alio. Pro claritate hîc.

Nota Formam multipliciter dividi à Philosophis. 1. Dividitur in Physicam, & Metaphysicam. Physica est, quæ est in re (ideo & realis dicitur) & distinguitur realiter à materia

Ut forma ligni à materia ligni. Metaphysica est, quæ non est distincta realiter à materia sua, sed tantùm per intellectum separantem suâ cognitione unum ab altero v. g. rationale ab animali. Unde omnis differentia est forma metaphysica, genus autem est materia, quia facit cum illa unum Compositum metaphysicum, sicut v. g. forma ligni cum sua materia facit compositum physicum. 2. Dividitur in formam intrinsecam, quæ non videtur, nec ullo sensu percipitur, & extrinsecam, quæ vel visu vel alio sensu percipitur, ut albedo, dulcedo, durities, rotunditas &c. Iterum alia forma est Naturalis, alia Artificialis. Naturalis est, cum qua res quasi nata est, seu quæ illi est congenita, vel quæ ei à natura debetur aut convenit, uti quod sit & dicatur lignum, facit forma naturalis. Artificialis est quam artifex inducit, sicut est forma statuæ, quam artifex in ligno exsculpsit. Porrò materiam etiam esse duplicem, unam naturalem, alteram artificialem etiam certum est. Circa quam se natura occupat, est naturalis; Circa quam se artifex occupat, est artificialis. Eadem materia subdividitur in materiam *ex qua*, & *in qua*: materia *ex qua*: est res, ex qua aliquid fit, quæ plerumque definit esse quod fuit, sicut lignum ex quo fit ignis. Dixi plerumque: nam non semper id accidit; lana enim ex qua est pannus, manet lana, etiam postquam est pannus; unde in materia artificiali non semper id evenit, quod dictum est. Materia *in qua* est res, in

quam

quam forma aliqua de novo inducitur priori materiâ non mutatâ, sed manente: sicut lignum, esto in illud forma statuæ inducatur. Similiter & causa efficiens notari potest, esse duplex, naturalis & artificialis. Naturalis, quæ sine arte efficit: artificialis quæ per artem operatur Adde etiam causam efficientem moralem dici, quæ non agit aliquid in ipsa re efficienda, sed solum directivè, id est ulterius intellectum, & voluntatem dirigendo, & movendo. Sic causa moralis est, qui docet alterum, qui mandat, suadet &c. aliquid fieri, & ad hanc spectant inventores artium, fundatores urbium, regnorum, religionum, authores librorum & scientiarum. Dividitur etiam causa efficiens in Totalem & Partialem. Totalis est, quæ totum in re aliqua facit. Partialis, quæ non facit sola totum, sed cum altera comparte. Denique nota etiam finalem esse duplicem, ultimatam & minùs ultimatam. Ultimata est finis ultimus, ad quem omnia referuntur, & diriguntur: minùs ultimata est, propter quam quidem aliquid fit, in illa tamen non sistitur, sed itur ulteriùs: sic quod studeas diligenter, finis ultimus, est in hoc mundo, ut fias v. g. Prælatus, minùs ultimus, ut fias doctus; qui finis refertur ulterius, quia ideo vis esse doctus, ut fias Prælatus.

Modus ponendi argumentum à causis est ut in antecedenti ponatur causa, & in consequenti effectus, qui vel laudetur vel vituperetur, ideo quòd causa sit laudabilis, aut vitupe-

rabilis. Potest etiam in consequenti negari effectus de aliquo, si antehac causa est negata, & illi non convenit: sicut vicissim effectus alicui potest attribui, si ei causa fuit attributa, sic affirmato fine de aliquo, etiam medium (quod in causa finali est effectus, quia finis facit, ut medium assumatur) quod juvat affirmo, aut removeo quod impedit v. g. Juveni est scientia amanda, ergo etiam diligens studium, vel, ergo otium fugiendum. Sic Cicero arguebat pro Milone: Clodius oderat Milonem, ergo cupiebat illum esse occisum: cædes enim est effectus odii, odium causa. Aut negatâ causâ finali, negatur effectus: non amas scientiam, ergo nec diligens studium: non est cur eas in patriam, ergo mane in curriculo studiorum. Sic etiam in causa efficiente illâ affirmatâ, aut negatâ, affirmatur aut negatur effectus: ut sol ortus est, ergo est dies: non est ignis in fornace, ergo nec calor. Itemque affirmantur (debent autem affirmari de causa in ratione causæ, seu quia causa est, aliàs non sequitur bene; v. g. Pharisæi sunt improbi, ergo & doctrina illorum, quia illi non docent ideo, quòd improbi sint: bene autem sequitur, Hæresiarchæ sunt improbi, ergò & illorum doctrina) aut negantur de causa efficiente, affirmari & negari etiam possunt de effectis; ut homo doctus æstimandus, ergo & doctrina. Consilium Petri non fuit sapiens, ergo nec opus inde secutum.

Nota hos duos argumentandi modos etiam

am in causa formali servari; nec multùm differunt in materiali; v. g. agri sunt lapidosi, ergo in iis vix quidquam excrescet. Materia Rhetoricæ sunt res omnes; ergo Rhetorica est latissima scientia. Corpus hominis est mortale, ergo & homo, qui sit ex corpore, est mortalis: sicut è contra à forma v. g. Animus hominis est immortalis, ergo & homo ex animo constans est immortalis, & aspirare debet ad immortalitatem.

Nota 2. Si ostendas aliquid fuisse causam hujus effectûs totalem, tunc in consequenti etiam negare potes causam esse omne aliud v. g. Petrus solus occidit, ergò non Paulus.

§. XV. De *Effectis*.

Effectus est res, ab aliqua ex causis proveniens Et quia quatuor sunt Causæ, etiam quadruplex est effectus, cùm cuilibet causæ suus effectus correspondeat, nec aliter in effectuum cognitionem venire possimus, quam per causas. Unde quoties scire vole ad quam causam hic effectus pertineat, considera priùs qualem causam habeat, & tum videbis in quo genere causæ sit effectus v. g. Bellum est effectus pacis, quia bellum oritur à pace: sed in quo genere causæ? ut hoc scias interroga v. g. *quis* efficit bellum an pax? nequaquam; igitur pax non est causa efficiens belli, sed milites juxta dicta de causis. Interroga ulteriùs *quare* ducatur bellum? propter pacem; ergo bellum est effectus pacis in genere causæ finalis, non in genere causæ efficientis. Effectus

causæ

causæ materialis est id, quod *ex* vel *in* materia factum est. Effectus formalis est id; quod forma *constituit* & *denominat*. v. g. homo est materialis effectus corporis, quia fit ex corpore, est idem homo effectus formalis, quia anima constituit hominem, seu est ratio per quam homo est, & dicitur homo, & non aliud.

Modus ponendi argumentum est idem, qui in causis, ut priùs in antecedenti ponatur effectus & deinde in consequenti causa. Hinc argumentum sumpsit Cicero pro Milone dicens: Clodio proderat Milonis Mors, & cædes, ergo verisimile est, quod ipsi fecerit insidias. Quòd si laus vel vituperium attribuatur effectui, etiam tribui potest causæ. Si autem nescis, quodnam inter duo sit causa, vel effectus, attende, quodnam ex illis duobus præcesserit, seu priùs fuerit. v. g. dubitas an fatigatio an labor sit causa? vide quid præcedat, & cognosces quòd labor præcedat, quia ex labore sequitur fatigatio: sic ut suscipiamus bellum, solemus priùs cogitare & velle pacem, quia propter pacem cupidam & desideratam bellum incipimus.

§. XVI. *De Comparatione.*

Compatatio est duorum inter se collatio cum aliqua illatione; seu est locus in quo duo inter se conferuntur & comparantur, eò quòd in aliqua re inter se conveniant v. g. in dicto, facto, modo, causa &c. ut ex iis tertium inferatur. Et quia potest vel majus cum minori,

vel

vel minus cum majori, vel æquale cum æquali componi & conferri, ideo est triplex Comparatio. Majorum, Minorum, Parium. Majorum est, quando majus cum minori confertur; Minorum, quando minus confertur cum majori; Parium, quando par pari comparatur. Differt autem Comparatio à similitudine, quia in similitudine duo conferuntur inter se ideò tantùm, ut unum per alterum magis innotescat, & declaretur, non autem ut ex priori aliquid inferatur & probetur, similitudo enim non probat ut quod (si Philosophicè loquamur) sed solùm ut quò, id est adhibetur solùm ad argumentum aliquod declarandum & illustrandum, non autem probandum; non secus ac candela ad legendum, non autem ad intelligendum & persuadendum. Comparatio autem ad probandum adhibetur, ut aliquid majus vel minus vel par inferatur, concludatur & deducatur. Unde Comparatio præter similitudinem & convenientiam duorum in aliqua re, requirit etiam illationem aliquam & consequentiam; quia scilicet non tantum novum lumen, sed robur & pondus addit, quod non facit similitudo: quod exinde patet, quia comparatio habet *ergo* particulam illativam, quam similitudo non habet, cui competit sicut, ità

Alii dicunt quod per hoc similitudo distinguatur à Comparatione, quod ad similitudinem spectet *qualitas*, seu qualis res sit, ad comparationem autem *quantitas*, seu quan-

ta

ta res sit. Sed si expendantur exempla comparationis, invenietur in pluribus nullam esse quantitatem. v. g. hominis anima æstimatur, quia est spiritus, ergo magis ipse Angelus, & Deus. Et potest dari comparatio, uti etiam est qualitas v. g Scientia, pulchritudo corporis &c. amantur, ergò multò magis virtus & gratia est amanda; vel à pari: Prudentia est laude digna, quia est virtus, igitur & justitia est laude digna. Præterea possunt duo quanta inter se conferri, ut tantùm sit similitudo, si scilicet alterum adhibeatur ad declarandum, non autem aliquid inferendum. v. g. Leo est tam longus, latus profundus &c. sicut canis. Expendantur exempla loci utriusque in Authore.

Alii dant hanc differentiam, quòd similitudo debeat esse circa *res diversæ speciei & naturæ*; comparatio autem circa *res ejusdem generis* & naturæ. Sed contra est, quia dicam: non potest ferre morsum pulicis, vel puncturam acùs, ergo nec ignem inferni, est comparatio, & tamen non sunt ejusdem naturæ vel generis, pulex, ignis, acicula. Consule exempla in authore.

Alii per hoc distinguunt, quòd Comparatio sit *personarum*, similitudo autem *rerum*. Sed ex datis exemplis falsum apparet; scientia enim virtus, justitia & prudentia, acicula & pulex non sunt personæ.

Alii dicunt, quòd in Comparatione duo conferantur cum respectu, & *in ordine ad tertium*,

tium, in similitudine autem tantùm duo conferantur inrer se. Sed contrà est, quia in similitudine etiam datur tertium, in quo, & ratione cujus, duo inter se conferuntur; debet enim esse causa, & ratio propter quam duo inter se conferantur, quæ est convenientia duorum inter se. v. g. Flos & adolescentia propter pulchritudinem, in qua conveniunt. Non videntur igitur subsistere datæ distinctiones: ideo prima tenenda est.

Porrò *comparatio differt ab exemplo* (prout exemplum est argumentatio quædam) quia Comparatio est materia: exemplum est forma, per quam argumentum à comparatione desumptum proponitur: seu comparatio dat rem, quæ proponenda est, exemplum autem dat modum, quo res proponitur: Comparatio enim est argumentum, Exemplum est argumentandi modus. Quòd si exemplũ non accipiatur pro ipsa argumentationis specie, sed pro re quæ in exemplo proponitur; tum exemplum pertinet ad hunc locum, aut ad similitudinem; exemplum enim nil est aliud, quàm factum simile, unde si in facto simili solùm sistamus, & præcisè ostendamus esse similitudinem seu convenientiam inter duos v. g. inter Alexandrum magnum, & Xaverium, est similitudo: sicut est, quando B. Aloysium cum lilio, S. Ignatium cum stella matutina in medio nebulæ, vel cum leone confero. Si autem non sistamus in demonstratione convenientiæ, & similitudinis: sed aliquid

quid ampliùs inferamus, tunc est comparatio v. g. Alexander est glorioſus propter orbem ſubactam, igitur & Xaverius. &c. Hic enim est aliquid ptopter convenientiam & ſimilitudinem, quod infertur.

Expoſitâ difficultate circa diſtinctionem, reſtat alia major, circa regulas formandi argumentum, à majori, minori? &c. præſertim ſi accipiantur regulæ prout ponuntur in tabulis, & non ex ipſo Cypriano Soario.

In tabulis ſic habetur regula pro comparatione majorum: *ſi non convenit majus, neque minus conveniet.* Sed hinc ſequuntur falſiſſimè hæc, & alia multa: Petrus non eſt princeps, ergo non eſt nobilis: non poteſt bibere urnam, ergo nec ſextarium: non poteſt ferre bovem, ergo nec pulicem: non poteſt ediſcere centum carmina, ergo neque decem. &c. quia majus Petro non convenit, ſeu de illo non verificatur, ergò nec minus. Et quidem ſunt propoſitiones negativæ, prout aliqui juxta ſenſum regulæ requirunt, & tamen falſæ. Similia ſequuntur in regula minorum: *Si quòd minùs videtur convenire, conveniet etiam id quod magis*, nam malè infero: poteſt bibere ſextarium, ergo & urnam. Poteſt eſſe Rhetor Nobilis &c. ergo etiam Doctor Theologiæ, Princeps: poteſt ediſcere ſex carmina, ergò & centum: avis poteſt volare, ergo etiam homo: Petrus poteſt mactare pulicem, ergo & bovem &c. quæ illationes & conſequentiæ falſæ ſunt, & tamen. (ut videtur) con-

for-

formes regulæ, & quidem affirmativo modo factæ, ut aliqui requirũt. Hinc alii ut falsas has illationes evitent, dicunt, Comparatione majorum debere esse affirmativam, & minorum negativam. Exempla in comparatione majorum dant hæc : potest mactare bovem, ergo & muscam : potest bibere congium, ergo & sextarium : potest discere centum carmina, ergo & sex. In comparatione minorum dant hæc: non potest discere sex carmina, ergo nec decem : non potest bibere sextarium, ergo nec urnam; & sic de reliquis jam positis, si negativo modo invertantur. Verùm, licèt in aliquibus casibus subsistat, non tamen in omnibus : contrà enim sunt alia exempla falsissima v.g. à Comparatione majorum. Gigas potest induere magnam vestem, ergo & parvam : vir potest elevare centenarium, ergo & puer : elephas potest intrare per magnam portam, ergo & per parvam : templum potest stare in magno loco, ergo & in parvo. &c In comparatione minorum fallit invertendo jam posita argumenta. v. g. Gigas non potest induere parvam vestem, ergo nec magnam : puer non potest elevare centenarium, ergo nec vir : elephas non potest foramen muris intrare, ergo nec portam &c. Secundò dantur exempla *majorum* negativa, & tamen vera, & similiter *minorum* affirmativa vera v.g. vir non potest elevate centenarium, ergo nec puer : centum milites non sunt contra Alexandrum, ergo nec duo &c. *In minorum* v. g.

Grammaticæ ſtudioſus poteſt loqui latinè, ediſcere ſex lineas, ergo & Rhetor: elepha poteſt intrare portam minorem, ergo & majorem poteſt. Tertiò contrà ſunt exempl in tabulis Rhetoricæ poſita:

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones,
Ut corpus redimas ferrum patieris & ignem,
Ut valeas animo, quidquan perferre recuſas?

Accedit, quod iſte modus formandi argumenta, ſit contra regulas majorum & minorum; regula enim majorum eſt in ſenſu negativo, minorum in affirmativo. Pro hac difficultate explicanda,

Nota primò, *majus* aliud eſſe phyſicum & *reale*, id eſt in re: aliud *morale*; in hominum judicio, & æſtimatione, aliud *logicum*, jam etiam *Rhetoricum*, quod eſt in ordine ad formandum argumentum; phyſicè majus eſt aliquid, quod ſuperat alterum naturæ præſtantiâ, ut ſubſtantia accidens, anima corpus, vel quod excedit quantitate, id eſt magnitudine, mole, menſurâ, numero, pondere &c. Moraliter majus eſt, quod ſuperat dignitate & æſtimatione hominum. v g. licèt Princeps, civis, ruſticus ſint phyſicè & in natura pares, tamen moraliter major eſt Princeps reſpectu nobilis, hic reſpectu civis, hic reſpectu ruſtici. Rhetorice majus es, pro quo fortior & potentior & major ratio eſt ſeu argumentum, &c.

Nota

Nota secundò, deceptionem argumentationis oriri potissimùm à majoritate physica & morali, ex eo enim quòd aliquid sit majus physicè, & in re, putatur statim esse argumentum à majori, cùm majoritas (ut ità dicam) hîc non sit desumenda à re, sed à causa, seu ratione; hîc enim agitur de argumento majori, non de re; argumentum autem est idem, quod ratio & causa: unde illud hîc est majus, pro quo major stat ratio & argumentum. Ut autem scias pro quo ex duobus, quæ inter se conferuntur, ratio, in qua conferuntur, sit major, attende, cui magis competat, congruat & conveniat hoc, quod dicitur seu affirmatur, aut negatur: ideo *spectanda est major vel minor convenientia prædicati ad subjectum*, & non quantitas, dignitas, numerus. &c. Sic si dicas: Petrus potest bibere congium, ergo & sextarium, non est argumentum à majori ad minus (idem est de aliis exemplis falsis suprà positis) quia licèt congius in se, & in re, seu physicè sit major, non est tamen major rhetoricè & logicè, seu in ordine ad argumentum, hic enim sextarius est major, quàm congius; quia magis est conveniens & congruum, ut quis possit ebibere sextarium, quàm congium: Sic etiam magis competit subjecto & rei, de qua agitur, discere sex carmina quàm decem. Dum autem dico: potest puer ebibere sextarium, ergo & vir, hic vir est majus (argumentum) non quia vir puero magnitudine corpus est major, sed quia vi-

ro magis competit tam multùm ebibere, quàm puero conveniat. Si dicam ruſticus habet jus ad cœlum, ergo & nobilis, eſt argumentum à pari, quia intrare cœlum æqualiter convenit ruſtico, & nobili: quòd enim aliquis ſit nobilis nihil confert ad cœlum; uti nec obeſt, quòd ſit ruſticus. Hac de cauſa uſus eſt author his verbis: *magnis convenire minus* (adverbialiter) *convenire*, ut majus ſit cui prædicatum, ſeu id quod dicitur, magis convenit, competit, & conſentaneum eſt; minus autem, quod cum ſubjecto minorem habet convenientiam. Unde in formandis argumentis à majori vel minori non attendendum ad illa duo, quæ inter ſe conferuntur ſed ad tertiũ, propter quod inter ſe conferũtur id eſt ad convenientiam, ſeu cui magis vel minùs conveniat id, quod dicitur. Falluntur itaque illi, qui ſolùm attendunt, an propoſitio ſit affirmativa vel negativa, ex hoc enim præciſè, quod ſit talis non ſequitur, quòd ſit minorum vel majorum comparatio, ut patet ex allatis ſuprà exemplis; ſed attendẽdum quodnam inter illa quæ inter ſe conferuntur, habeat majorem convenientiam (ut ei magis competat, quod dicitur) quod minorem; & tunc in argumento à majori ponendum eſt id, cui magis convenit in antecedenti, & cui minùs convenit in conſequenti; in argumento autem Minorum ponendum eſt in antecedenti id, cui minùs convenit, & in conſequenti id, cui magis convenit. Quia verò

verò tali modo positum non solet esse verum antecedens, nisi in argumento à majori antecedens sit negativum, & in argumento à minori, non solet esse verum antecedens, nisi sit affirmativum, inde fit ut regula pro argumento majorum sit negativa, pro minorum affirmativa. *Regula enim Majorum* est hæc: *Si non convenit quod majus est* (scilicet logicè non Physicè, Rhetoricè & non realiter) *neque minus* (minùs Logicè & Rhetoricè, & non realiter) *conveniet. Minorum* hæc est: *Si quod minus* (Logicè & Rethoricè) *videtur convenire* & competere, *conveniet* & competet *etiam id quod magis.* Clariùs res posita est in ipso Soario, quàm in Tabulis: ita enim ibi à comparatione majorum. Si quod magis videtur convenire, non convenit, nè id quidem, quòd minùs (subintellige) videtur convenire, conveniet. A Minoribus sic: si quod minùs videtur convenire, tamen convenit, ergo & id quod videtur magis (subintellige) convenire, conveniet. Regula Parium est: quando utrique æqualiter convenit, quia ratio convenientiæ pro utroque est eadem v. g. pro rustico & nobili, par conditio moriendi.

Hactenus dicta breviter. Comparatio est collatio duorum inter se propter tertium, cũ aliqua illatione seu ratione. Est triplex, Majorum, Minorum, Parium. Majorum est: quando à majori sumo argumentum descendendo ad minus. Minorum est, quando ar-

gumentum ſumo à minori deſcendendo ad majus. Parium, quando æqualia inter ſe confero. Eſt autem Rhetoricè majus quod uni ex duobus videtur magis convenire, quã alteri; ſeu pro quo eſt major convenientia, ſeu pro quo ſtat major ratio. Minùs Rhetoricè eſt, pro quo minor ſtat ratio, ſeu pro quo minor eſt convenientia, ſeu quod alicui ex duobus minùs videtur convenire. Par eſt, quando pro utroque eſt par & æqualis ratio, ſeu quando æqualiter utrique convenit aliquid. Dixi rhetoricè majus, quia non curatur hic an aliquid ſit majus phyſicè aut moraliter, ſed in ordine ad argumentum ſeu rationem, propter quam ſunt loci rhetorici, undè licet pulex ſit minor phyſicè ſeu in natura elephanto, tamen poteſt eſſe major logicè ſeu rhetoricè in ordine ad argumentum v. g. quia illi magis convenit intrare per parvum foramen, quàm elephanto. Sic etiam nobilis poteſt eſſe major moraliter ruſtico, non tamen logicè & rhetoricè, dum agitur quod ſit moriendum, pariter enim utrique convenit mori.

Regula pro argumento Majorum eſt hæc; ſi id quod videtur magis convenire non convenit, neque conveniet id, quod eſt minus. Hinc patet regulam Majorum eſſe debere negativam; alioqui ſequitur falſum v. g. Rhetori fas eſt adire latinam concionem, ergo & Ruſtico. Regula minorum eſt: ſi quod minus videtur convenire, convenit, conveniet etiam id quod magis videtur convenire. Hinc re-

gula

gula minorum cùm sit affirmativa, etiam propositiones debent esse affirmativæ in antecedenti & consequenti: unde malè & falsè sequitur: Rustico non licet ire ad declamationem, ergo nec Rhetori.

In ordine ad praxin dato quocunque exemplo, vide 1. quodnam sit majus, quod minùs, quod colliges ex dictis, si attendas, cui magis vel minus conveniat id, quod dicitur. 2. Vide, an majus sit in antecedenti, an consequenti, si est in antecedenti Majus erit à majori ad minus; si est in consequenti, erit à minore ad majus. 3. Vide an sit juxta regulam Majorum? an minorum? si enim sit à majori, tunc propositio debet esse negativa; si autem non est; mox est rejiciendum exemplum, quia plerumque fallit. Si verò sit à minori ad majus, tunc propositio debet esse affirmativa, alioqui etiam plerumque fallet.

§. XVII. *De locis extrinsecis.*

In his intelligendis tanta difficultas non est, unde paucis exponentur. *Præjudicia non sunt* simpliciter exempla, vel res similes (sic enim ad comparationem vel similitudinem spectant) sed prout judicio seu sententiâ judicis affectæ: unde bene definiuntur: quod sint judicia in casu simili lata. Hinc non est præjudicium, sed comparatio, si dicas: Ephebus Alexandri ob reverentiam sacrificii carbonem vivum immotâ manu sustinet, igitur & nos reverentiam sacrificii habere oportet. Est autem si dicas: Horatius absolutus est

licèt ſororem occiderit, ergo & Milo abſolvi poteſt licèt Clodium interfecerit, hic enim à judicio priùs habito, ducimus argumentum ad caſum ſimilem ; quod in priori exemplo non fit ; ibi enim nulla ſententia a judice lata eſt. Præjudicia etiam vocat Cicero in Miloniana & Verſina, communem populi ſenſum qui condemnationem, vel abſolutionem rei præcedit in populo : eſt enim judicium populi, quod præcedit judicium judicis. Sic poſtquam audivit populus Romanus, quòd ſiculi Verrẽ eſſent accuſaturi; præjudicârunt illum certò certiùs condemnatum iri Hoc ſenſu acceptum præjudicium vocari poteſt præſumptio de aliquo abſolvendo vel condemnando.

Fama eſt communis rumor, & ſermo populi de re aliqua ab hoc vel illo facta v. g. omnes clamant hunc cædem perpetraſſe, quæ noctu facta eſt, ergo videtur eſſe nocens. omnes aut plerique dicunt hanc eſſe meretricem, hunc adire tabernas, ergò eſt meretrix, potator. &c.

Tormenta hîc non ſignificant pœnam, & ſupplicium à tortore illatum ; ſed per metonymiam, effectum illius : eſt igitur confeſſio veritatis expreſſa per tormentum ſeu ſupplicium. v. g. iſte dum torqueretur, faſſus eſt ſe hoc feciſſe, igitur fecit.

Tabulæ hic ſignificant leges ſcriptas in tabulis olim, accipiturque continens pro contento. Huc revocantur chyrographa

in fœderibus & contractibus data, item literæ ab aliquo scriptæ, maximè manu propriâ. v. g. scripsit hæc ad hostem de nobis, ergo est proditor.

Jusjurandum est juramentum, quod præstat aliquis ad probationem rei alicujus. v g. vir honestus jurat à se visum alterum in homicidio, ergo occidit.

Testes dicuntur illi qui aliquid affirmant & testantur, sed sinè juramento. Si enim juramentum accedat, revocatur ad jusjurandũ. Ad testes reducuntur effata authorum, apophtegmata, sententiæ, proverbia; item symbola, emblemata, & hieroglyphica, quæ ab aliis confecta sunt. v. g. ab Alciato, Petra sancta & aliis, apud Causinum & P. Masen in speculo imaginum. Quod si ea nos effingamus, pertinebunt ad similitudinem, in qua emblemata, symbola & hieroglyphica fundantur, tunc enim authoritate destituuntur, & testimonii ratione, cùm nemo sibi ipsi sit testis. Quod idem intellige de sententiis, quas orator ipse conficit. *Quæres an* somnia, auguria, oracula ad testes revocari debeant? Respondeo meliùs revocari ad præjudicia, sunt enim quasi judicia, quæ rei eventum præcedunt, de illaque judicium, & sententiam ferunt. Sic dum Joseph Patriarcha somniat adorari suum manipulum in agro ab aliis, præjudicium divinum erat illum olim à suis honorandum fratribus in Ægypto. Sic etiam dum Pharao spicas septem, & boves in som-

no vidit. Et Nabuchodonosor statuam, cujus caput aureum, pectus & brachia ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, & ultima pars pedum fictilis. Sic mater S. Dominici visa est sibi gerere catulum ferentem in ore facem S. Xaverius Æthiopem &c. Augurium fuit quando Romulus & Remus de Principatu contendentes vultures vidêre volantes hic sex, ille duodecim; & quando Cicero jamjam occidendus corvos funibus nauticis insidentes habuit, uno etiam rostro togam arripiente, & faciem detegente. Oraculum erat illud. Imperium summum Romæ habebit, qui primus vestrûm, ô juvenes osculum matri tulerit: osculum autem matribus ferre properantibus aliis, Brutus terram osculatus est, matrem communem nascentium. Sic monitus erat Philippus Macedo, ut à quadriga sibi caveret, hac enim se perituram. Hic princeps omnes currus à se removit, at confossus est gladio Pausaniæ, in cujus manubrio quadriga fuit exsculpta. Henrico Bavaro vox allapsa dixit: post sex; ille post sex dies se moriturum interpretans, ad mortem se dispoluit: his elapsis post sex hebdomadas, tum menses, denique annos se moriturum putavit; ast in Imperatorem electus est. Ad oracula referuntur vaticinia & præsagia, quale fuit, quando S. Xaverius Petro Vellio prædixit moriturum ipsum, ubi vinum in mensa acidum fuerit factum. Alibi præsagia mortis fuerunt rosæ in sede

cui-

cuique propria repertæ in hyeme alibi sudor lapidis sepulchralis, &c.

§. XVIII. De *Usu locorum.*

Jam suprà docui, ante omnia statuendam esse quæstionem, tum verò expendendæ erunt ejus conditiones, finità ne sit, an infinita, conjecturalis, definitiva, an qualitatis, simplex an composita. Juverit etiam videre an verba in propria significatione accipiant, an in translata v. g. mataphorica, quæ eorum etymologia & conjugata. Nec inutile erit verba illa, aliis, atque aliis synonymis commutare, sic enim & quæstio melius perspicietur, & copia verborum pro elocutionè enascetur, nè iisdem perpetuò verbis propositionem tuam efferas. Hoc peracto excutiendæ voces omnes quæstionis seu propositionis assumptæ. Sunt autem principales *prædicatum & subjectum quæstionis*; quibus accidunt aliæ, quæ modificare dicuntur, id est, complere sensum & significationem. Accipe igitur 1. subjectum, & cum eo per locos deambula investigando, quæ ejus natura, seu quid sit? & quomodo ab aliis distinguatur, quæ ejus partes &c. Semper verò quod argumentum inveneris ex subjecto, in chartam conjice, & annota, idque cum prædicato conjunge, ut videas, quàm aptè rem tuam probet. Excusso subjecto, similiter

liter age cum prædicato, atque aliis adjectis in tua quæstione, & cum iis locos percurre. Noli verò anxius hærere in singulis, sed si in aliquo eorum nihil occurrerit, transi ad sequentem: quemadmodum enim nō omnis fert omnia tellus, teste Poëta, sic nec quilibet locus semper argumentum suppeditat, aut si facit non semper satis habet roboris ad probandum. Unde monet c. 32. Author; levia & aliena (qualia sunt, quæ ad propositam quæstionem parùm aut nihil faciunt) esse resecanda & rejicienda, cùm ad persuadendum, qui finis oratoris est, non deserviant. Placet hactenus dicta elucidare exemplo. *Sit hæc quæstio* An ebrietas homini sit fugienda. Hæc, licèt restricta sit ad hominem (nec enim de pecore hic agimus) tamen erit *infinita*, cùm non fit de Petro, Paulo &c. in particulari, sed universim de homine, sive is mulier sit, sive vir, sive Christianus, sive Gentilis. Erit *composita*, quia præter *subjectum* quod est *ebrietas*, & *prædicatum* quod est, *fugienda*, accedis modificatum, *homo* cui fugienda dicitur. Unde tria expendenda veniunt, *ebrietas*, *homo*, *fugienda*, Quomodo autem expendi per locos possint, ostendet sequens paradigma, cum notis in margine positis.

* * *
* *
*

PA-

PARADIGMA.

Quo per Rhetoricos ordine suprà positò, locos ostenditur,

Ebrietatem esse homini fugiendam.

Nota hoc paradigma exercitio scholastico declamatum esse á juvenibus, scutis, quibus suus cuique locus inscriptus erat, instructis, effecto ad ebrietatem repræsentandam monstro, quod oppugnandum susceperant.

Exordium

Assurgite vestro è pulvere redivivi Eloquentiæ Principes, sive quos obsoleta in veritatis caligine, sive quos posterior in veræ religionis luce, dicendi gloriâ celebres, suspexit antiquitas. Assurge Pericles! qui perorando vibrare fulgura, jactare fulmina, omniaque permiscere consueveras. Assurge Demosthenes assurge Tulli! tu Romani, Græci alter eloquii princeps, qui verborum impetu, sententiarum pondere argumentorum robore, frangere obduratos, percellere sublimes noveratis animos, Huc aurei oris illustria lumina Chrysostome, & Chrysologe! qui sacrâ eloquentiâ tumescentes vitia impetere acriter, eluere fortiter, evellere radicitus soliti. Assurgite inquam eloquentiæ Principes jarripite clypeos, enses stringite, non quos de Vulcani officina depromat Mars bellator, sed quos suo de penu Pallas armata subministrat. Non in Martium sed in artium campum descendendo est, non gladio, sed style, non telis,

sed

sed ingenii acie, non manu, sed linguâ decertandum, depugnandum. Ecce enim ut monstrum immane, fædum, atrox, in humanam irregit societatem, ut ebrietas grassatur, omni peste nocentius, omni hydra capitaliùs, omni Cerbero formidabiliùs. Hæc est sanitatis scopulus, opum charybdis, innocentiæ, atque omnis honestatis naufragium. Est dulcissimum venenum, blandissimum tormentum, rabies voluntaria, sensuum ac rationis eclipsis, belluinæ naturæ fædissimum simulacrum. Est tempestas linguæ, animorum turbo, litium furorisque parens, seditionum incentivum, calcar impudentiæ, libidinum fomentum, scelerum omnium sentina, æternæque felicitatis excidium. Et tamen impunè suâ dominatur nocendi libidine, exultat diritate, triumphat fæditate. Adeste igitur! & contra hoc ventris idolum, libidinis monstrum, generis humani tyrannidem dimicate. Adeste! & rationum momenta, argumentorum præsidia, verborum lumina, sententiarum fulmina apportate. Adeste! adeste dicto citiùs; periculi gravitas moram non patitur, nè malum crescat in immensum. At ubi sunt? animatverte, inexorabile mortis fatum rusurgendi negat facultatem; dormiunt suo in pulvere exanimes, interque umbras silentes, silent & ipsi. Vos igitur Neo-Rhetores, Tullii nepotes, metum excutite, animos assumite, vires exerite vestras, quibus

quibus eorum invicem hac in arena decertetis hodie. Locos Rhetoricæ veſtræ inſpicite, excutete, & quid valoris, quid roboris, à definitione, notatione, reliquiſque argumentorum ſedibus deſumi valeat, perveſtigate, & intrepidè opponite. Non enim ferenda hæc morum pernicies, hominum inſania, rerum confuſio; ſed quâ poſſumus contentione obtinendum, nè graſſetur ultrà; quin etiam enitendum, ut profligetur, aut excidatur. Quod ipſi præſtare dum adlaborabunt, veſtrum A. A. Aſſenſum, favoremque in auſcultando conſuetum non ſubtrahite.

Ea eſt hominis reliquas ſuper animantes præeminens dignitas, ut non ſolùm os ſublimè ferat, cœlumque tueri poſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus; ſed intellectu rerum cauſas, cœlorumque motus perſcrutari, finem reſpicere, ac vitæ ſuæ rationes ad certam normam moderari. Atque hinc eruditiſſimorum hominum enata ſunt præconia. Trismegiſto illi antiquitatis Numini, homo magnum eſt miraculum, in quo rerum omnium perfectionem ſit reperire: Pythagoræ Deus eſt mortalis, Platoni divinum genus, Plotino univerſum quoddam. Lucretio divinæ auræ particula, aliis rerum ſublunarium faſtigium, aliis creaturarum compendium, aliis divinæ naturæ imago, deitatis ſimulacrum, aliis mundi ectypon & finis, aliis quod ſol inter ſidera, aurum inter metalla, inter flo-

Definitio. Homo præſtantiſſima creatura poſt angelos ſit turpiſſima per ebrietatem, ergo ebrietas homini fugienda.

res

res rosa, Helena inter formosas, Imperator inter Reges : una una hunc prætergreditur Angelorum felicitas, à quibus paulò minor effectus, reliqua transcendit, reliquis imperat, & dominatùr. At quò proh dolor quò tandem turpitudinis, ac fœditatis se abjicit tam illustre plasma, quò vilitatis se præcipitat tam excelsa, & nobilis progenies! quoties ebrietatis vitio se commaculat. Fit enim fœdissimum, ventris mancipium, sordium receptaculum, abominationum sentina ac vomica, lerna malorum omnium. Exuit humanæ rationis, quâ animantia cætera vincit, formam, lutulentæ suis induit, omnique bruto detestabilior ab insensato, immobiliq; trunco abjectior efficitur. enim verò, quàm torpent sinè robore membra, stipiti, saxoque haud difformia! veluti vitâ vigoreque ad agendum prædita non essent : quàm manus ac pedes usu motuque destituti! quorum dexteritate mira in omni arte opera fabrefieri novimus! quàm caput mentis regia, atque unum facultatum animi instrumentum in gyros vertigine agitur! ut ædes atque omnia suo cum cerebro verti opinetur, atque inde in præceps truncus homo persæpe volvitur, mactatæ in sterquilinio sui, quàm viventi bestiæ similior. Quàm oculi, quibus pulcherrimam cœli terræque faciem spectare datum est, caligine suffusi! nec hominum, nec viarum, nec rerum norunt discrimina : quàm lingua cujus ope animorum sensa revelare, ac humanam stabilire societatem fas est,

Partium enumeratio Omnia membra hominis pervertit ac usu suo spoliat, ergo est homini fugienda.

est, nec eloquendi, nec gustandi retinet facultatem! quàm auditus, quo aliorum in nos voluntatem percipere, sapientiam atque artem edisce re valemus, confuso stupet sonitus? Quid de mentis necesse queri dotibus: quando memoriæ, cujus adminiculo præteritorum & absentium recordamur, facultas interturbatur: intellectui, qui perscrutatur omnia, virtus adimitur, atque acies hebetatur: ratio, quæ facultates & opera moderatur, sopitur, & tollitur: voluntati deniq;, quà dominamur omnibus, libertas præpeditur. Videte, quid in homine una nõ procreet ebrietas, quàm membrorum ac rerum ordinem, usumq; perturbet? quàm hominem suâ formâ destituat? atque à nobili naturæ suæ conditione, in præceps agat. Et hominem non dedeceat? ab eodem non removeatur, quàm longissimè? Ipsam adeo nominis nostri originem attendite, & sentietis naturæ dissonam ebrietatem: quæ nimiâ illa liquorum inundatione nativæ origini adversatur. Meministis hominem ab humo nuncupatum, de qua in primo sui exortu productus est. Verùm nonne humo ac telluri ea congenita est indoles ut arida & sicca, non humida non liquida esse appetat? aquæ frigus & madorem, aëri subtilitatem, igni calorem natura parens indidit: at terræ siccitatem ariditatemque. Hinc est, quod dum quidpiam proferre germinum, parturire florum, sementis educere, & ad maturitatem producere gestit, non valeat, si nimia humorum, ab aquæ,

Notatio. Homo ab humo, humus autem humoris excessum refugi, igitur & homini fugienda ebrietas.

seu imbrium effusione, ingruentium, turgeat redundantiâ; sed in putredinem in fœtorem abortit flores,& germina, in cœnum, ac fimum, culmos, & spicas convertit; quin ipsa dissolvitur, deperdita velut basi soliditate, inutile vel ad figenda vestigia elementum. Quid verò experimur aliud in homine temulento? vivus, vivus in adipem, in phlegma, in catrharma, in hydropem, in putredinem,& fætorem abit, dissolvitur, diffluit, vivum cadaver, telluris inutile pondus. Ecquid igitur tandem agimus? quod tellus invita, reluctansque patitur, nos sponte nobis accersimus? affundimus ipsi liquorum intemperiem, quibus corpus nativumque nexum dissolvimus? itàne nos deperimus? ut interitum aut boni saltem incrementum ipsi præpediamus? Homines sumus ab humo; moderato ad fæcunditatem operum, humore opus habemus; temperantiam teneamus, fugiamus excessum, & redundantiam. Tum enim verò eos proferemus fructus, quos generis nostri conditio exposcit ab unoquoque. Hominis enim cùm indolem nacte simus, non stipitis, non belluæ, ea nos agere ac præstare addecet, quæ humanæ non belluinæ indoli consentanea sunt,& conformia. At, amabò edicite, quid humani elucet in eo, qui impetum, & libidinem sequitur, honestatem ac virtutes pensi habet, qui artes laboremque non colit, qui vitam inter fumantes tabernas otio, aut vino obrutus, inerti somno transigit? quid humani in eo? ingeri

Conjugata. Nos homines sumus non bruta igitur humanos actus præstare debemus nõ belluinos.

rit ut egerat, haurit ut vomat, helluatur ut insaniat? qui ratione non utitur, sensibus etiam destituitur, jacet velut exanimis, sinè viribus, sinè motu viventium indice; aut si quis in eo est non hominis at bruti est, Liquoribus enim innatat, ut mergus, in sordibus volvitur, ut scarabæus, grunnit, ut porcus, rudit ut asinus, furit ut leo, fætet ut hircus, vomit ut canis, saltat ut caper, murmurat ut ursus. En multiplicem in uno homine belluam, non hydram septicipitem; at centicipitem; tot enim in eo brutorum formas intueri licet, quot ferarum mores unus exprimis helluo. Quamobrem si Diogenes homines requirens in hujusmodi farinæ gregem delaberetur, jure fustibus abigeret ut pecora, in quibus humani nihil, ac honestatis promicat. O quò tandem, Deum immortalem! devolvitur fæditatis? adeòne nos naturæ piget, ac pudet nostræ, ut ferinos potiùs referre mores, quàm humanos eligamus? Næ verè vaticinatus est Rex Idumæe, dum ingemuisti: Homo, cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis, per mores belluinos. At enim oggeret aliquis, homo cum animal sit, & sentiendi polleat facultate, posse brutorum exercere actus, nec ejus naturæ repugnare, si sensibus ad libidinem indulgeat. ô vesaniam! ô cæcitatem interpellantis! ità nimirum ebrietas rationem sustulit homini, ut non sentiat ab animalis sorte, nullum sibi præberi argumentum ad sectandam

Genus. Homo est animal, animalia autem in bibēdo modum.

non excedunt, ergo nec homo debet excedere.

temulentiam. An enim bruta ejus effrænis sunt cupiditatis, ut postquam ad satietatem sitis ardorem restinxerunt, ampliori sorbitione ventrem impleant, ac distendant vasis instar? an non quemadmodum pabulum oblatum satura respuunt, ac rejiciunt vertice, pedibusque obluctando, sic & potum redundantem? quisquis igitur animalis se naturæ participem gloriatur, agat enim verò quod brutum, potet, hauriat, sed ad naturæ duntaxat necessitatem, ad sitis refrigerium, non ad libidinem, non ad cupiditatem oculorum, non ad rationis naufragium, non ad naturæ horrorem, non ad nauseam, vomitumque, hæc enim bruta non agunt, hæc refugiunt, hæc aversantur ac rejiciunt. Et verò sinamus id agere bruta, admittamus hanc iis inexplebilem naturæ cupiditatem ut ultrà, quàm natura exposcat, liquidis se immergant, & impleant, adhuc tamen erit ob quod homini ingluvies ejusmodi non sit concedenda, sed removenda; repugnat enim ea in homine pars, quà brutis longè superior est ratio, obstat intelligendi facultas, quam animantia cætera sortita non sunt. Constat animalis indole homo; sed & ratio eidem addita est: præditus est sensibus; sed & discurrendi pollet virtute: hæc verò uti priore illâ præstantior, ac eminentior est, ità præesse, ac dominari eidem opus habet, non subesse, non ejus sequi libidinem, ac cupiditatem sensibilem. Ratio enim operationum norma, ratio morum regula, ratio potentiarum animalium

Forma seu species. Homo est animal præditum ratione, excessus autem est contra rationem, ergo homini fugiendus.

malium amussis est constituta, ut quæ sola videt, quid naturæ nostræ expediat ad finem præstitutum, quid legibus conforme, quid honestati, ac decori sit consentaneum. Videt hæc verò quàm sibi hæc insana potandi licentia officiat, quàm se debitis in actionibus remoretur efficiendis, quàm animum à superna felicitate avertat, terreniſque immergat, quàm sanitatem corporis infringat, ac seipsam evertat: qua ex causa non potest non eidem adversari camque refugere, ut inimicam. Quantùm igitur à vera, rectaque ratione exerras, quisquis hominem in vitæ functionibus brutis æquiparas. Poterit ergò hæc ad sitis,& ventris excessum, supergrediantur naturæ necessitatem, & capacitatem; at homo rationis compos, ratione metiatur bibendi cupiditatem, comprimat potandi libidinem, teneat mediocritatem, habeat licèt sentiendi virtute cum animali communionem. Namque velut aurum, quamvis commune quidpiam cum reliquis habeat metallis, quod tamen præstantiâ valoreque præeminet, etiam pondere supergreditur, naturâ ipsa ordinante. Non aliter homo quantumvis commune quid cum brutis nactus sit in sentiendi facultate; præcellere tamen in eo oportet illud, quo iisdem excellentior ac sublimior reperitur. Ut igitur aurum reliquis pretio ac pondere prævalet metallis, ità majoris in homine sit, fiatque ratio est necesse. Est tamen, in quo hominem ab auro dissentire ac

Simile ab auro

Dissimilitudo in auro.

discrepare animadverto; pondere illud nativo in inferiora eò magis deprimitur præ metallis aliis, quò nobilioris est indolis; at hominem non ad infima quæque dejici, non terrenis ac sensibilibus immergi convenit, sed alta, cœlestia, atque æterna toto mentis affectu, nisu, ac contentione consectari. Auri quippe centum in visceribus est globi terraquei, scopus hominis, ac terminus superna, ad quem Dei favore conditus est, beatitudo. Ad quam quidem assequendam, quid ebrietate perniciosius? quid sobrietate utilius? ebrietas enim rationem subvertit, sobrietas conservat, ebrietas mentis aciem obtundit, sobrietas acuit: ebrietas vaporum caligine cerebrum obfuscat; sobrietas depurat, ac serenat: ebrietas fædas rerum imagines ingerit; sobrietas à fæditate repurgat, aut dissipat: ebrietas sensum ad inferiora solùm deprimit; sobrietas ad superna attollit & elevat: ebrietas in libidinem ac impudentiam projectum efficit; sobrietas pudorem tuetur, ac honestatem; ebrietas tædium parit cœlestium, sobrietas orexim excitat: ebrietas ignavum ad bonum, sobrietas alacrem, atque expeditum ad virtutem reddere consuevit. Non enim corpus replet humoribus at excitat; non torpere facit sensus, at facilitat; non aggravat sed allevat, & attollit. O cognatam igitur supernæ felicitati sobrietatem! ô adversam eidem ebrietatem! Et hanc præ illa deligamus, expedamus? vitium præ virtute, torporem præ alacritate, cæcitatem

Contraria. Ebrietas & sobrietas.

tem præmentis acumine, vesaniam præ intellectûs perspicacia? Excutite igitur omnem de ea admittenda cogitationem, cane pejus & angue refugite, abhorrete, & toto pectore in sobrietatem feramini, animis vestris salutarem, corpori proficuam, ad exoptatam beatitatem. Quin & hoc emolumenti apportat sobrietas, quod boni nominis famam tueatur, quam ebrietas fædissimè commaculat, ac pessumdat. Quàm enim infames sint helluones, tempus indicat, locus designat, loquuntur socii. Dies non sufficit, in noctem protrahuntur compotationes: at nox quorum non scelerum pares? nox & amor vinumque nihil moderabile suadent: excutit nox fronti pudorem, impudentiæ pandit libertatem obducto tenebrarum velamine, inflammat amor, impellit generosus Bacchi, Cerisque liquor, in omne facinus, in omnem turpitudinem. Famulatur & locus taberna, otiosorum, libidinosorum, petulcorum, impudentissimorum, ac perditissimorum hominum receptaculum, omnis pudoris atque honestatis vorago, omnium scelerum officina. Quare si Muræna in Asia fuisse non caruit luxuriæ & infamiæ suspicione; quid sentiemus dies, noctesque egisse in hujusmodi malorum lerna? Et adest sceleratissimorum hominum colluvies, lonones & pellices, ganeones & fumivenduli, alcatores, cruminisecæ, scurræ &

Adjuncta hominis ebrii, socii nimirum, tempus & locus dedecent hominem ergo & ebrietas

homines nauci, quibus omnis in moribus levitas, in verbis procacitas, in factis turpitudo, qui non minùs ad loquendum, quàm audiendum projecti, quidvis sibi licere arbitrantur, nullius boni habitâ ratione. Quod si igitur.

Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se.

Quàm fœda & infamis sit helluonum conditio facile est perspicere. Et quanquam abesset aliorum depravatorum sentina, solàque afferet potatorum turba, non potest tamen non eadem combiboni vergere in dedecus & opprobrium. Illi enim sunt, qui honestatis & humanitatis exuti formam, nulla provocati siti, jejunio persæpe ventriculo, reluctante appetitu, inexplebili tamen ardent cupiditate, quoties vel oculos, vel mentem cyathus subierit. Tum enim verò congium arripiunt, rictum in immensum distendunt, infunduntque torrentis instar velut Ætnæ incendia restincturi. Illi sunt quibus lingua faucesque sunt aridæ, etiam dum stagnantibus innatant humoribus, ingerunt ut egerant, bibunt ut vomant canum more, neque desistunt, donec ratione sepulta, corpus etiam collabascat liquore obrutum. Bellum itaque minimè bellum indicitur, concertatur poculis, multiplicantur salutes; provocare & provocar, vincere & victis insultare, hic gloria, & triumphus, victis probrum & ludibrium habetur. Quæ demum hæc morum! hæc temporum perversio! in flagitiis, collocare gloriam,

am, contemnere ad bibendum segnes, extollere potentes, ebriis laudem, sobriis contumeliam irrogare? Et tamen cum hujusmodi Epicuri de grege porcis habere commercium: fraternam inire societatem probrosum non sit, neque ignominiæ obnoxium. Interim verò dum sic assidetur combibonibus, dum evacuantur Scyphi, & dolia, dissolvuntur in crumenis æra, exhauriuntur opes, nomina in tabernis contrahuntur; tempus verò rerum omnium pretiosissimum deperit, & diffluit cum liquore, quod muniis & negotiis tribuendum erat, ad rem familiarem, seu augendam, seu conservandam. Quid enim sub hæc œconomiæ solertia? quid statûs officiique rationes? quid uxor, quid liberi? nulla de his omnibus cura, ac nè quidem recordatio. Inculti obsolescunt agri, domus aëris ventorumque injuriis interit, lascivit aut stertit familia, otiantur liberi, uxor, quod libet agit, artis sordescunt instrumenta, negotia hærent intacta, lites indiscussæ, munia neglecta. Hinc abliguritis unde unde præhabitis opibus, domi rerum penuria atque egestas, uxor liberique sinè veste, sinè pane, familia sinè stipendio, crumena sinè pecunia, creditores sine solutione; hinc lites & jurgia inter domesticos, & extraneos, hinc à publicis muniis ametiones, hinc fidei honorisque dispendium, probrum, vincula, carceres, quæ aliaque complura ex helluandi consuetudine emanant & consequuntur. Et verò

Antecedentia. Ebrii pecuniam prodiunt, debita contrahunt, tempus perdunt.

Consequentia. Penuria, abjectio, confusio.

Repugnantia. quo pacto res familiaris sumat incrementum si diu noctuque ad vitra & vasa desideat ebrius? aut inerti somno vinoque sepultus stertat? labore augetur res familiaris; otium colit ille: præsentiâ heri ad opus stimulatur familia; absens ille in caupona: vigilantiâ ac industriâ, negotia promoventur; hanc ille procul à se rejicit: cura ac solicitudine opes, ac honores accumulantur? hæc longè à se amandat: spe aluntur creditores; hanc illis excutit potatoris profusio: lites studio componuntur; hoc ille refugit, ac abhorret. Quid aliud itaque sequi necesse est, ex tam dissonis ac repugnantibus ebriorum moribus, quàm opum, quàm honorum, quàm bonorum omnium jacturam, malorum incrementum.

Amplificatio utriusque loci præcedentis. Hic jam quisque secum reputet, quæ rerum foret confusio si natio omnis, sexus omnis, ætas omnis calicibus vocaret epotandis, si nullus curiis senator, judiciis judex, regno Rex præsideret, non dux exercitus, non Consul cives gubernaret, non miles mœnia custodiret, sed omnes in taberna helluarentur. Quis negotia disponeret, lites dirimiret, bellum administraret, hostes repelleret? & unde alimenta eduliaque ad depellendam famem, unde vestimenta ad frigoris, caloriscque injurias, ac nuditatem tegendam? si nullus in agris, in horreis agricola, in pistrino pistor, in coquina coquus, in macellis lanio, in officina sutor aut sartor? quis araret, sereret, meteret, trituraret, moleret, pinseret, pecudes abdu-

abduceret, laniaret, appararet in esum. quis pannos ac vestes conficeret; imò quis æra congregaret exponenda cauponibus? ad emendos cyathos, merum & zythum? imò quis scyphos efformaret, quis Cererem coqueret, quis vites coleret, quis uvas colligeret & exprimeret, si in tabernis otiarentur omnes? quis tabernas ipsas erigeret? nimirum necesse foret segetes crescere, ac maturare sinè cultore, panem conflari sinè pistore, amictum parari sinè artifice, ædes surgere sinè fabro, edulia venire sinè foco, & coco, argentum cudi sine malleo, terram crui sine fossore, zythum atque vinum affluere sinè labore: alioque enim humana perdurare nequiret societas, sed in chaos redigerentur omnia, fame ac nuditate contabescerent. Verùm quænam tandem recensitorum malorum causa & origo? anne liquor granis frumenti aut uvarum expressis? fallimur, si hoc sentimus. Ad virium restaurationem, animique hilaritatem, vinum, (idem de Cerere ferendum judicium) à numine conditum est. Enim verò si in potu assumendo congrua teneatur mensura, si necessitutis leges, sitis limites non transcendantur, si nativæ vires ultra modum, ac capacitatem non obruantur, nunquam ad temulentiæ flagitium quempiam videbimus devolutum. At plùs ultrà, fulgurans in vitro allicit vini Zythique color, oculosque tentat, incitat ad delibandum appetitus, impellit gustus, & siquidem quali quali infusione non

Causarum genera Efficiens inordinata potus cupiditas. Finaliter movens voluptas materialis liquor vini aut cereviſiæ. Formalis forma ebrij.

non expletur, nec extinguitur, nullus modus, mensura nulla est infundendi, donec lingua gravetur, guttur reluctetur, manus concidant, ratio sopiatur. ô homo! si tamen homo es, qui ratione non moderaris appetitum? quid agis? quò imprudens ab una te rapi brutali sinis cupiditate? cur ratione eandem non moderaris? non refrænas, non comprimis? una una voluptas, una titillatio, quæ liquoris meatu sentitur, allicit, inducit, impellit. At quam brevis est illa, heu prope momentanea! nec enim demulcet, ac blanditur deinceps, ubi in stomachum demersus est Bacchus, aut Ceres, sed quousque palatum, gutturque permeat, afficit & recreat, quod unius anhelitûs intervallum non excedit. Quàm verò etiam tenuis, quàm remissa illa est delectatio? imò quàm vilis? quàm abjecta? ab aqua namqu' virtute aliqua vitis, aut frumenti imbuta cap ar, & hauritur, eaque ex causa vitis, aut sementis pretium, ac æstimationem non exsuperat. Et tu rationis, ac honestatis jacturam potiùs, quàm illius pati mavelis? imbrium aquarumque liquores, vitis sementisque succum pluris, quàm rationis ducas imperium? ô cæcam cupiditatem, ô cupitam cæcitatem! quò enim te præcipitas, quò devolveris? ad imam usque rationis subversionem, quâ belluis non impar effectus, invitus ac reluctans, impetu in quæque rapiris, liquorum æstu jam sustolleris, nunc gravitate deprimeris, nec manuum nec

pedum,

pedum, nec virium tuarum potens. Lurida interim squalet facies, distorti capilli, oculi caliantes, fædus narium meatus, fædus oris hiatus, fædus halitus, fæda eluvies, grunnitus & ronchus. Quid multa? abruti non hominis imaginem in corpore humano licet intueri. Ubi verò vini Zythique virtus incaluit ac invaluit, tum verò per membra diffundit se omni toxico crudeliùs, & immaniùs, si dolores spectes: caput enim excruciat, viscera laniat, cor lancinat, nervos arteriasque pedum ac manuum contorquet, unde innumera morborum progenies. Hinc enim capitis vertigo ac suffusio, oculorum caligo ac lippitudo, narium sordes, fædæ tusses, corruptus halitus, apoplexia, colica, phthisis, chiragra, podagra, & sexcenta morborum tormenta, quæ corpus humanum miserabile spectrum efficiunt, tandemque enecant. Prætereo hic libens animi damna, in quæ hominem conjicit ebrietas, dum verecundiam removet, in libidinem concitat, jurgia accendit, impellit in cædes, & funera chariſſimorum. Illa solùm commemoro, quæ corporeis ingruunt sensibus, ut judicetis, dignumne sit tantillam tantis cruciatibus emere voluptatem, & tot membrorum lanienam invehere, ut fluxâ liquoris illecebrâ palatum afficiatur. Iniquum profectò, ac insanum censebitis omnes, quando censent ipsimet, qui blandientis ebrietatis illecebrâ delusi sunt, postquam in morborum torcular se delapsos per-

Effecta Ebrietatis.

Amplificatio hujus loci.

perſentiſcunt. An non enim podagræ aliorumque morborum aculeis confixorum helluonum in ſtrato decumbentium lamenta audiiſtis,& execrationes? ô dementem me! qui bibonum in ductus cohortationibus, vim naturæ intuli, ac hauſta aliorum ſalute meam deperdedi ô veſanum; qui breviculæ voluptatis ergò tantis me doloribus indui, ô infauſta dies, ô infelix hora, quâ me in tabernam, in hoc illudve ſympoſium contuli, ô lingua nunquam non ſitiens; quid me ſic infatuâſti; ô ſuperi; quantis ſupplicis puſillum voluptatis in me plectitis; ô dolores quàm me lancinatis, quàm torquetis: ſatius foret me gladio confodi ocyùs, quàm tantis inequleis vitam protrahere. Utinam me liquoris dulcedine abripi paſſus non eſſem; darent ſuperi revaleſcere;darent ad primum ſanitatis redire vigorem quàm ego tabernas, quàm helluones refugiam, quam ori ſemper amplius appetenti frænum injiciam. Hæc querulantur, ſed fruſtrà, quando morbi virus ſemel venis infuſum expelli ſe non ſinit. In veſtra id poteſtate eſt, qui hâc peſte necdum præoccupati eſtis, ſi combibonum commercium ac Bacchi. Cereriſque redundantiam. velis, remiſque fugiatis. Et quid ni fugiatis? ſi enim virus ſumere abhorretis, eſtò colore blandiatur, ſaporis dulcedine delectet, & alliciat, quod noxium ſanitati, ac mortiferum prænoſcitis; an non idipſum ad temperandum à potûs exceſſu vos

Comparatio

indu-

in ducat, in quo perspicitis eam latere vim, quâ vires corporis enervantur, sanitas infringitur, ægritudines invehuntur, mors denique accersitur. Refugeretis calicem massico optimo repletum; si in eo admistum quis toxicum assereret: par igitur ac æquum est, eam vos refugere in potu superfluitatem, ex qua eandem membrorum, ac vitæ corruptionem emanare est compertum. Quæ cùm ità se habeant AA. quid supereſt ut ad hoc ebrietatis monstrum debellandum afferamus ultrà? an tabulas, an testes, an præjudicia, an famam, an jusjurandum, an tormenta desideratis? frustra hæc, nec enim opus jurejurando, ubi fæditas per se liquet: neque tormentis, ubi ebrietas ipsa carnificem agit, membra hominis dilaniando, & secretum extorquendo. Fama suapte sponte divulgata, quâ Germani aliæquæ nationes ebrietatis studiosi pessimè audiunt apud omnes. Nec reliqua desunt, si quis pondus ab his derivare desiderat; sed brevitati consulimus, & sapientiæ vestræ, cui etiam pauca dixisse sufficiat. Hoc agite solùm, ut quæ in medium allata sunt, pondus apud vos habeant, præsertim dum ebrietatis dulcedo quempiam aggressa, attrectaverit. Tum enim verò quisque meminerit se hominem pulcherrimum mundi ac Dei Simulachrum, nè se ventris mancipium, & sordium cloacam constituat. Tum membrorum suo in corpore præcel entiam

Loci extrinseci.

Epilogus constat enumeratione positorum argumentorum.

expen-

expendat, ne eorum usu se ultrò destituat. Tum ab humo se sumptum recolat, quam nimio liquorum affluxu in cœnum abire non ignorat. Tum se hominem non brutum esse cogitet, à quo humanos non brutales actus oriri oportere non ignorat. Tum se animali quadam sensuum communione sociari non exoidat, & cum brutis abhorrebit, quidquid ultra necessitatem oggeritur. Ubi verò se bruta supergredi intelligendi facultate, in mentem venerit, tum ratione sibi metiendam corporis refectionem meminerit, non appetitûs libidine: hanc enim Ducem quisquis non sequitur, quid habet amabò quòd à brutis agi non comperiet. Et tamen hæc præcellere hominem oportet virtutis obsequio, honestatis amore, utilitatis ac posteritatis studio. Ubi verò virtus? si vitium sectatur temulentiæ; ubi honestas? si famam suam fædissimorum hominum commercio, ac propudiosæ tabernæ, ac noctis usu commaculat? ubi posteritatis studium, si nulla prolis educandæ, familiæ administrandæ, hæreditatis conservandæ, negotiorum componendorum est cura? nulla capitur cogitatio. Ah proscribite, proculcate hujusmodi hominem AA. nec enim ferendus est inter homines, qui humano generi, suâ ignaviâ, otio ac temulentiâ creaturus est exitium. Nec illius vos tangat commiseratio, quisquis ab hoc vitio desistere renuit: brutum enim censendus est non homo, qui rationem mergit excessu, vitam voluptate metitur,

metitur, rei viliſſimæ amorem honeſtati præfer, ac, ut paucis dicam, nihil humanitatis in moribus repræſentat. Quis tam cæcus eſt, ut cum abhorreat ac deteſtetur morborum lanienam, capitis, manuum, viſcerum, pedumque dolores, tamen non refugiat horum malorum originem, potûs exceſſum. Vos verò quibus ſanitas in votis, virtus cordi, honeſtas amori eſt, amate ſobrietatem, ſobrietatem ſectemini, contenti naturæ ſitim explere: ingurgitare verò, atque ventrem obruere ut inſanum, ut belluinum deteſtemini, ac refugiatis.

PARADIGMA BREVIUS.

Laus Eloquentiæ ſeu Rhetoricæ per omnes locos.

Tanta ſunt Eloquentiæ præconia, ut ubi principium, ubi finem capere oporteat, dubius hæream. Si enim naturam ejus comtempler, invenio *artem* eſſe, & facultatem, quæ *optimis ſententiis verbiſque lectiſſimis* auditorum aures, & animos *ſt effundit*, velut mentis interpres, morum Magiſtra, vitæ norma, animorum Domina & Moderatrix. Si partes in quas ſecatur diſpiciam, comperio, quod fortiſſima rationum momenta adinveniat; quò quid melius? quòd eadem pulcherrimam digerat; quò quid accommodatius? quòd illa verborum coloribus ſententiarum luminibus illuſtret; quò quid ornatius? quòd denique memoriæ commendet, & ad audi-

Definitio.

Partium diſtributio.

audientes proferat gratissima vocis ac gestûum moderatione, quò quid humanæ societati opportunius? Quam quidem ejus præcellentiam innuere voluerunt sapientes, qui ab *eloquendo Eloquentiam*, ab antiquato Græcorum péo *Rhetoricam* vocitaverunt. Quare si *Eloquentes*, & dicendi facultate prædîti præconio digni semper sunt habiti, quis ambiget *Eloquentiam* dicendique facultatem præconio dignam, cujus beneficia idipsum sunt consecuti. Hinc est quòd in *artium* & quidem *liberalium* censum reposita sit, ut pari cum iis haberetur in pretio, quæ non infimum inter eas locum occupat. Et verò hæc ipsa est, quæ reliquas *oratione facit splendescere*, dicendi gratia radiare, quando earum arcana disertè expromit, leges & commoda concinnè explicat & dilaudat. Mihi quidem horto omnigenâ florum prosapiâ consito semper similis visa est Eloquentia. Quemadmodum enim ille illustrum illorum germinum decore, non oculos solùm delectat, sed & tactum, odoratum ipsosque animos ad se rapit; sic Eloquentia non solùm aures lenociniis afficit, sed & vi ac potestate mentes hominum permovet, & trahit in sensum, quem voluerit. In hoc tamen inferior longè est illa florum gloria, quòd ætatem non ferat, sed breviſſimo temporis decursu emarcescat. At Eloquentiæ decus æternitatem spectare potest, si chartis ærique commendetur, namque etiam post authorum fata mutæ loquuntur

Notatio.

Conjugata.

Genus

Species

Simile

Dissimile.

quuntur oratorum linguæ, perorat silentium. Et præconiis laudibusque digna non sit; quin imò dignissima est. Ità judicat vel ipsum naturæ beneficio omnibus gentibus insitum aurium judicium, quibus *odio* est verborum *barbaries*, horrori incultus neglectusque sermo, abominationi numerorum asperitas, quô quidem fit manifestum *gratam* esse politam, cultamque *dicendi copiam*, arridere animis, placere auribus: Atque inde quantùm priorem detestantur, tantum hanc comprobare, & extollere laudibus est necesse. Nimirum argumentorum vigore robusta est, partitione eorundem concinna, rerum & verborum gratâ suavis, comis, erudita, liberalis, affectuum varietate vivida, sententiis gravis, & admirabilis, quô non potest non fieri laude condigna. Sed & illa est quæ excussâ ignaviâ & torpore *appositè dicendi leges* consectatur, *imitatione* præstantissimorum Oratorum combibit, & *exercitatione* in usum deducit infractâ constantiâ: unde mirum non est esse cultu, & vultu tam mirificam. *Non* illa perplexo rerum ordine *confundit* audientium animos, *non* verborum neglectu *offendit aures*, non hiulca numerorum junctura exasperat, non inconditâ vocis ac gestûs vibratione patientiam exercet, sed optimis sua promit sententiis verbisque lectissimis. *Finem* enim sibi unicè præfixum habet, verborum decore, & rerum pondere *suas in partes*, quas sectatur honestissimas semper, *pertrahere* audien-

Contrarium.

Adjuncta.

Antecedentia.

Repugnantia.

Causa finalis.

tium animos. Hinc est, quòd non qualem qualem suæ disciplinæ cultorem sibi deposcat, sed qui probitate prudentiaque instructus celeres & acutos ingenii nactus sit motus, memoriam facilem, latera firma, canoram vocem, solutam linguam, oris ac totius corporis conformationem: qui rerum omnium etiam abstrusissimarum peritiâ imbutus de singulis valeat disceptare, cùm res universas sibi Eloquentia in materiam vindicet, ut eas deinde in sua divisas membra troporum floribus exornet, figurarum apparatu illustret ac fœcundet: demumque proferat ad audientes cum aptissima vocis & motuum inflexione. Hinc illæ enascuntur illustrationes mentium, inclinationes voluntatum, animorum metamorphoses, quas longum foret recensere. Quapropter si *reliquis* ingenuum hominem addecentibus *artibus* suus tribuitur honor, atque æstimatio, non video, eccur huic *dicendi facultati* tribuendus non sit amplissimus.

Efficiens.

Materialis.

Formalis.

Effectus.

Comparatio

Simile exercitium de lilio invenies apud Causinum l. 3. c. 13. De Castitate apud P. Pomeii progym. 3. c. 1. §. 1.

ANNOTATIO.

Quæ hic l. 1. de amplificatione in Authore habentur, & quæ de genere exornativo, & deliberativo, uti & quæ l. 2. de partibus orationis, commodiùs (praxim spectando) parte quinta ponentur.

PARS

PARS SECUNDA

DE DISPOSITIONE ARGUMENTORUM.

QUO AD FORMAM

SEU

DE ARGUMENTATIONE.

DE dispositione orationis suas in partes (quæ sunt exordium , narratio , confirmatio , & peroratio) hîc non ago adhuc ; sed de collatione argumentorum quâ in formam certam rediguntur, ut vim habeant illativam, seu majus pondus ad aliquid probandum & inferendum : Ad hanc enim formam referendum est excogitatum argumentum , si non tantùm Philosophos , sed & Ciceronem imitari velimus , qui ex argumentis suis,argumentationes confecit , ut ex earum Analysi patet apud diversos. Quare post argumentorum inventionem , proxima danda est opera Oratoriæ facultatis Candidato , ut nôrit facere argumentationem. Est autem *argumentatio forma & modus , quo argumentum proponitur , ut vim & pondus habeat ad probandum & inferendum* ; ut enim telum ad arcum attractum , aut globus fistulæ æneæ impositus , validùs & majori fertur impetu ; sic & argumentum argumentatione concluſum. Sunt verò quatuor ar-

gumentationis speeies, ad quas aliæ reducuntur: de singulis hîc aliquid non Philosophorum rigorem, & latitudinem sectando, sed captum Rhetorum, dicam aliquid.

§. I. *De Ratiocinatione seu Syllogismo.*

Ratincinatio est oratio seu *argumentatio, tribus constans partibus à quarum una progredimur ad alteram, ut ex utraque tertiam inferamus.* Vocatur *ratiocinatio*, quia *ratio* seu argumentum inventum artificiosè ponitur, ut aliquid concludat, & inferat Partes autem, quibus constat, sunt *propositio* (quæ apud Philosophos semper vocatur major) *Assumptio*, (quæ Philosophis minor dicitur) & *Complexio*, quæ Philosophis est conclusio & consequentia, vel illatio. Prima pars propositio dicitur, quia proponit argumentum ex aliquo locorum Rhetoricorum desumptum: unde dicit Author: *per quam locus ponitur*, id est argumentatio ex loco desumptum: accipit enim continens pro contento per Metonymiam. Secunda vocatur assumptio, quia ad rationem & argumentum jam propositum assumit, & adjungit id, de quo est quæstio, & dubium. Tertia appellatur complexio, quia complectitur, & colligat duo, de quibus dubium erat, an conveniat unum altèri: dubium enim erat: an prædicatum subjecto conveniat. Est autem subjectum, ut suprà dictum est, id de quo aliquid dicitur. prædicatum *verò est, quod de aliquo dicitur, hic.*

Nota

Nota 1. licet Syllogiſmus ex ſe ſit oratio tripartita, tamen ſi propoſitioni ſua addatur ratio, & aſſumptioni rurſum ſua, dicitur apud Rhetores quinque partita, quod quinque partibus conſtet; quod totics eſt faciendum, quoties oritur dubium: an propoſitio & aſſumptio vera ſit.

Nota ſecundò facilem, pro captu Rhetorum, modum ſyllogiſmum conficiendi, nullibi, quod ſciam, traditum apud Authores, qui tamen Rhetorum exercitationes in ſyllogiſmo oratoriè deducendo potiſſimùm collocant. ut eſt A. Radau. P. Sigis. Lauximin. Eſt autem iſte, prorſus conformis præceptis Rhetoricæ. Primò *fac quæſtionem*, deinde inveni rationem, ſeu argumentum, prout jam ſuprà monui: poſthæc argumentum inventum conjunge cum *prædicato* quæſtionis relicto interim ſubjecto; ità tamen, ut prædicatum quæſtionis maneat prædicatum, & ratio inventa fiat ſubjectum; & ſic habebis *propoſitionem*; hæc enim eſt *per quam locus ſeu argumentum ex loco proponitur*. Hoc tamen obſervandum, cùm ex particularibus meris nil ſequatur juxta Philoſophos, eò quòd medius terminus (qui eſt ratio inventa, reſpectu cujus prædicatum & ſubjectum quæſtionis ſunt duo extrema conjungenda per hoc medium, cùm non detur tranſitus ab uno extremo ad alterum ſine medio) non diſtribuatur, ac extendatur, ut utrumque

extremum, prædicatum & subjectum, complectatur & conjungat, tanquam vinculum quo unum alteri conjungatur: Hoc inquam observandum est, ut si ratio sit particularis, facias universalem reducendo hypothesin ad thesim, speciem ad genus: quod fit, si omittas circumstantias ad unam personam, vel rem tantùm spectantes, & constructionem sic ponas, ut de omnibus in illo genere verificetur; ad quod serviunt particulæ: *nullus, omnis, nunquam, nuspiam, quandocunque, ubicunque.* Ut verò alteram syllogismi partem conficias, arripe jam *subjectum* quæstionis, & iterum adjunge rationem inventam, ità tamen, ut subjectum quæstionis maneat subjectum, & ratio ponatur pro prædicato, & habebis assumptionem. Tandem accipe quæstionem, pro complexione (nec enim aliud inferri debet quàm quod est in quæstione, hoc enim probandum est) sed locò *an*, ponas vocem *ergo, igitur* vel similem particulaum illativam. Res pateat in exemplo Sit quæstio: *an Medea diligat filium*? inveniatur ratio, quæ v. g. pro affirmatione detur, quòd *sit Mater*: jam hæc ratio ponatur cum *prædicato* quæstionis, quod est, *diligit filium*, & maneat prædicatum quæstionis prædicatum propositionis: unde subjectum erit ratio inventa: nempe: *Mater*: quia verò propositio sic erit particularis, cùm ratio sit de sola Medea, revocetur ad universalem hoc modo: *omnis mater diligit filium*. Deinde accipiatur iterum ratio, &

ad

ad illam assumatur *subjectum* quæstionis, ità ut maneat subjectum, ideoque ponatur ratio pro prædicato; unde fiet hæc constructio: *Medea est Mater*. Demum accipiatur quæstio, & loco *an* ponatur *ergo*, sic mox erit complexio hæc: ergò *Medea diligit filium*.

§ II. De *Enthymemate*.

Enthymema dicitur ratiocinatio imperfecta, quia duas tantùm syllogismi partes complectitur apertè & expresè, tertium interim reticendo & subintelligendo: Hanc ob causam etiam *commentum* dicitur, quod una Syllogismi pars in *mente* remaneat. Prima pars vocatur *antecedens*, eò quòd antecedat: altera *consequens*, quòd ex priori consequatur. Unde definiri potest, quòd sit oratio seu *argumentatio duabus constans partibus ex quarum una infertur altera*. Potest autem in mente reticeri tam major, quàm minor syllogismi, id est, jam hæc, jam illa pars omitti potest. v. g. omnis Mater diligit filium, ergò Medea diligit filium. Vel: Medea est Mater, ergo diligit filium. Solet autem plerumque omitti pars illa, quæ per se est nota, idcoque facile subintelligitur, idque non tantum in conficienda argumentatione, sed etiam in deductione seu tractatione illius: superfluum est enim atque ideo vitiosum, hujusmodi deductioni immorari: Undè fit, ut sæpe syllogismi loco in oratione tractetur solum enthymema, cùm aliqua partium obscura atque dubia non est, ut patet in orationibus Ciceronis;

qua ex causa etiam enthymema syllogismus oratorius appellatur. Perrò optima censentur enthymemata, quæ fiunt ex repugnantibus, aut contrariis: tunc enim, si antecedens verum est, consequens negari non poterit, ideoque ad syllogismi formam recurrere opus non erit, ut rectè inferri ostendatur: per se enim patet, utrumque simul stare, atque verum esse non posse: v. g. hæret in popina, aut vagatur, ergo non studet: non est bellum, ergo est pax. Quia verò contraria sæpe amplificationi non dant locum in oratione, hinc nè nudè argumentatio proponatur & appareat, solet per interrogationem sic proponi: nullam in studiis adhibes diligentiam, & tamen doctus fieri appetis? tota die hausisti, & miraris dolore tibi caput? pacem vult Antonius? arma ponat, roget, deprecetur. Sic Poëta: nox & amor vinumque nihil moderabile suadent, quis fugienda neget? simile exemplum est in authore.

§. III *De Inductione.*

Inductio est *argumentatio in qua ex pluribus rebus non dubiis* (id est certis) *sibi tamen similibus infertur aliquid de aliquo, quod ipsum illis est simile.* Hinc tria ad inductionem requiruntur 1. ut res in antecedenti sint plures: per hoc enim differt inductio ab exemplo, in quo unum tantùm simile ponitur. 2. ut illæ res sint certæ, & non dubiæ, ut sit necesse eas concedi, alioqui conclusio, quæ ipsis innititur, non posset esse certa. 3. ut res illa, quæ in conclusioni ponitur, sit similis prioribus

oribus in antecedente positis ; aliàs non foret par ratio pro utroque,& sic , quod de uno dicitur,non posset de altero dici , si sint diversa, seu si non conveniant. Hinc breviter definitur:est argumentatio , quæ ex pluribus collationibus(id est,quæ inter se conferuntur , seu sibi sunt similia) certis pervenit ad id , quod probare intendit. Non curatur autem hîc,an illa similia quæ pro antecedenti ponuntur, sint *res*, an *facta* , seu exempla : sufficit si sint similia : unde huc plurimùm confert , & conducit locus Rhetoricus *similitudo*,comparatio parium , & præjudicia:à quibus tamen inductio (idem intellige de exemplo, quod etiam in simili facto consistit ut patebit(distinguitur per hoc,quòd similitudo,comparatio, & præjudicia solùm dent materiam: inductio autem & exemplum formam : id est : illa solùm præbent argumentum , & rationem seu causam; hæc autem,modum , quo argumentum ex illis desumptum proponitur. Exempla rerum similium dat Cyprianus Soarius in pomo , cquo &c : factorum autem in Hectore Tiphi , in Phœbo,adjicio plura,cùm alibi de iis dicendi non recurrat locus S. Hieron. ex compassione creaturarum aliarum infert, & hominem debere Christo patienti compati : sol , inquit obscuratur,terra concutitur,petræ finduntur, velum templi dividitur,sepulchra aperiuntur, solus homo non compatitur , pro quo tamen Deus patitur. Sic cuiq; moriendum esse, probari potest, Sol oritur & occidit;flos nascitur,

& emori-

& emoritur ? virescit arbor,& emarcescit & hominem de muliere natum , non credimus moriturum ? Idem per facta probari potest: mortem non effugit potentia Alexandri , non fortitudo Sampsonis aut Herculis : non sapientia Salomonis , non divitiæ Cræsi,non pulchritudo Helenæ &c. nec nos igitur ab ejus incursu immunes fore credamus. Aliud è rebus desumptum : munditiem amas in domo , nitorem in patinis, splendorem in vestitu , & animæ puritatem atque ornatum negligis ? Ovidius 1. de Pont. lib. 6.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus.
Et capiant vitium, nî moveantur,aquæ.
Et mihi si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit , estque minor factus inerte situ.

Tale est illud. Domus, ut rectè administretur,éget patrefamilias, exercitus duce,navis gubernatore , currus aurigâ, ergo etiam mundus Rectore Deo opus habebit. Vide Eleg. 9. lib. de Ponto.

Nota 1. inductionem plurimûm servire ad probandam propositionem universalem v. g. Petrus est bipes. Paulus est bipes. Joannes est bipes,ergo omnis homo est bipes. Item prudentia est laudabilis , justitia est laudabilis, fortitudo est laudabilis , temperantia est laudabilis, ergò omnis virtus est laubabilis.

Nota 2. Oratores in consequenti non ponere *ergò*; sed interrogationis vel subjectionis figuram,

figuram, tum ut non appareat artificium: tum ut vim majorem habeat: hinc superiora exempla pleraque sine hac particula elata sunt. His adde sequens: an non inter planetas astrum præcellentissimum sol? & tamen rubet. An non inter metalla principatum tenet aurum? & rubet: an non inter pomorum decora & delitias, quod aureum dicimus eminet? & rubet, an non regina florum purpurascens rosa? & rubet, &c. quid igitur dedecus existimas capite mentove rubere hominem?

§. IV. *De Exemplo, quarta argumentationis specie.*

Exemplum est inductio imperfecta, quia solùm unum simile ponit pro anteeedenti, non plura. Unde distinguitur ab *Inductione perfecta*, quod hæc *à pluribus particularibus* procedat ad aliud ipsis simile: *exemplum verò ab una re singulari*, seu particulari: ideoque duabus tantùm constat partibus, sicut enthymemate. A quo tamen differt per hoc, quod in enthymemate semper generale seu universale aliquid ponatur expressè, vel subintelligatur (debet enim ex eo fieri posse syllogismus, qui ex merè particularibus fieri non potest) exemplum autem ab una re particulari procedit ad aliam itidem particularem. Licèt verò unum duntaxat simile contineat exemplum, tamen majorem sæpe motum facit, quàm inductio per plura, propter amplificationem Oratoriam quâ proponitur: unde

unde & inductio Oratoria nominatur : quia plerumq; Oratores boni, insigni historiâ aut facto contenti, illud eleganter exponunt & amplificant ad delectationem & motum v.g. Cæsarum ille Princeps Julius Romaniq; Imperii fundator, bello clarissimus, victoriisque celebratus, tanto literas studio est complexus, ut gladium sæpè calamo permutârit, armilustria lectione, tumultus erudita quiete. Et ea manu, quâ hosti palmas eripiebat, stylum tractabat, non sanguinem eliciturus, sed characteres efformaturus, quibus res à se gestas posteritati commendaret. Et nos literas militiæ, Musas Marti, stylum ensi malè convenire putemus &c. Nota parum referre hîc, an illud simile sit *res* an *factum*: nam exemplum non tantùm dicitur factum, sed etiam res, quæcunque ideam, & exemplar præbet ad aliud simile sibi exprimendum. Et quorsum revocabis argumentationem? in qua ab *una* re simili, ad alteram similem proceditur, si facta solùm ad exemplum referri asseras. Ad inductionem non, quia hæc vult *plura* similia, non unum: non ad enthymema, quia cùm ab una re particulari ad alteram procedit, nullam, nec quidem occultè habet universalem propositionem, quod ad enthymema requiritur, secundùm dicta superiùs. Dicendum igitur referri ad exemplum, & sic etiam res ad exemplum spectabunt, sicut ad inductionem perfectam: distinctio verò inter hanc, & illud, tenenda, quæ suprà data est; nec curandi ii, qui cum Pa-

latio

latio Eloquentiæ, plura facta pro antecedenti ponunt in exempso: hoc enim est facere inductionem perfectam. Ex dictis collige rectè dictas argumentationes inter se distingui: enthymema enim differt à syllogismo, quia hic tribus constat partibus, enthymema duabus. Inductio & pluribus constare potest quàm tribus, & præterea non habet ullam propositionem genericam & universalem, quam tanquam medium terminum distribuat & applicet aliis, quod tamen habere necesse est syllogismum. Exemplum autem, licèt duabus constet partibus sicut enthymema, non tamen procedit ab universali & generica re, sed à particulari ad patticularem, quod enthymema non facit: in quo expresè vel occultè (saltem in parte illà quæ in mente reservatur) invenire est universalem in antecedenti.

§. V. *De Epicheremate.*

Epicherema est argumentationis quædam umbra, aut, ut plus ei tribuam, simulacrum, imago, *& species. refert enim, & repræsentat in se argumentum*, reipsa verò argumentatio non est: quia expresè non admittit particulam, *ergò*, *igitur* illativam, sicut admittunt quatuor præcedentes: si enim ei apponatur talis particula, transibit in aliquam ex præcedentibus. Unde Græci omnem argumentationem epicherema vocant, quia quælibet dictarum argumentum in se continet. Cicero autem solùm syllogismum sic vocat; quia plerumque & facilè

cilè syllogismus tam perfectus, quàm imperfectus ex eo confici potest, quod reliquæ partes in eo lateant v. g. sine causa dominum servus accusat? in hac propositione continentur hæ tres: nullus servus debet suum Dominum sine causa accusare; hic medicus est servus Dejotari, & nullam habet causam; ergò non debet Dominum suum accusare. Omitte umam ex præmissis, & habebis syllogismum imperfectum, seu enthymema. Idem judicium esto de sequentibus: nobilis adolescens nugas tractet palàm? Sodalis Marianus tot mensibus non confiteatur? tu mihi lavas pedes? Juda, osculo filium hominis tradis? Ex quo liquet, quod epicherema sit *virtualis syllogismus*, non tamen formalis, id est: *virtute* æquivalet syllogismo, formam tamen & modum syllogismi expressum non habet: quia non admittit particulas illativas, quæ sunt signa argumentationis formatæ. Unde epicherema se habet sicut aureus in valore ad tres Rhenenses, enthymema autem sicut duo imperiales, ad eosdem. Sicut autem aureus non est tres floreni in forma & in specie, sed solùm in valore; ità nec epicherema est formalis syllogismus, sed virtualis & virtute æquivalens. *Ex his collige cur enthymema* sit distinctus & specialis modus à syllogismo, licèt in duabus propositionibus idem contineat, quod syllogismus; non sit autem *epicherema*, quod etiam idem continet, quod syllogismus? non enim continet idem cum il-

illatione expressa & formali, sicut enthymema, sed tacitâ, implicitâ & occulta, unde non habet *formam argumentationis*, sicut enthymema. Idem dicendum de *inductione* & *exemplo*, quæ extra orationem admittunt *ergo*, *igitur*; licèt in oratione occultetur, nè philosopho similis videatur Orator in argumentando: hoc ideo addendum erat, ne plures quàm quatuor argumentationis species admittere sit opus. Qua ex causa etiam sorites & dilemma ad aliquam ex primis quatuor revocanda erunt.

§. VI. *De Sorite.*

Soriten vocamus accumulationem pluriumargumentorum concatenatorum, seu rationum à se invicem descendentium, & dependentium, donec aliquid ex iis tandem inferatur: indè acervalis, id est, cumulus dicitur; quia quod per plures syllogismos probandũ esset, hoc breviter colligitur in unum, & per modum unius ad antecedens refertur, sicut plura similia in Inductione. *Differt* autem *ab Inductione*, quia Inductio in antecedenti vult plura sibi similia; sorites autem habet dissimilia, & diversa: deinde inductio nec quidẽ implicitè seu occultè habet materiã universalem & genericam, sed tantùm particularẽ; at sorites illam habet saltèm *occultè* & *implicitè*, sicut enthymema. Unde *non est specialis & distinctus* modus argumentandi ab enthymemate, sed eò revocari potest, quia *habet*

bet formam illius & modum concludendi, nam omnes rationes sunt per modum unius antecedentis, & ad unam solùm conclusionem deservium. Unde sicut enthymema includit & involvit syllogismum, & ex eo fieri potest, sic etiam ex sorite, plures tamẽ quàm unus. Exemplum sorite sit hoc: qui fit religiosus, relinquit sæculũ; qui relinquit sæculum, vitat plurimas occasiones peccãdi; qui vitat plurimas occasiones peccandi, non facilè peccat graviter; qui non facilè peccat graviter, habet majorem suæ salutis spem, quàm alius, qui sæpe peccat, ergo qui fit religiosus, habet majorem salutis spem, quàm alius. Hinc sequentes fiunt syllogismi. Qui fit religiosus majorem habet salutis suæ spem quàm alius qui non fit, sed tu fis religiosus, ergo majorem habes tuæ salutis spem, quàm alius, qui non fit. Maj. probatur, qui fit religiosus relinquit sæculum; sed qui relinquit sæculum, majorẽ habet salutis suæ spẽ, quàm qui non relinquit, ergò tu majorem salutis tuæ spem habes, quàm alius. Major est certa. Minor probatur. Qui relinquit sæculũ, vitat plurimas peccãdi occasiones, sed qui evitat plurimas peccandi occasiones, habet majorem salutis suæ spẽ; ergò qui relinquit sæculum, habet majorem suæ salutis spem. Maj. est certa. Minor probanda. Qui vitat occasiones plurimas peccãdi, nõ facilè peccat graviter; sed qui nõ facilè peccat graviter, habet majorẽ salutis suæ spẽ, quàm alius, qui peccat: ergo qui evitat plurimas occasiones

nes

nes peccandi, habet majorem suæ salutis spem, quàm alius. Vide quod ratiocinationes includantur & implicentur in sorite, *explicitè* tamen formam enthymematis præsefert. Sorite usus est Themistoclis filius apud Plutarchum, quando, ut se Athenienſibus imperare ostenderet, sic argumentatus est. Quidquid mihi placet, placet & matri; quidquid matri placet, & Themistocli; quidquid Themistocli, placet & populo Athenienſi; ergo quidquid mihi placet, placet populo Athenienſi. Aristoteles 8. Phys. animam esse immortalem sic probat: anima seipsam movet: quod autem seipsum movet, principium motûs est, quod autem principium motûs est, natum non est, quod natum non est, etiam non moritur; anima igitur nõ moritur. Seneca epist. 86. qui prudens est, & temperans est, qui temperans est, & constans est, qui constans est, & imperturbatus est; sinè tristitia est, qui sine tristitia est, beatus est. Ergo prudens beatus est, & prupentia ad beatam vitam satis est. Hyparchia Crateris Cynici uxor sic Theodoro illusit: potest Hyparchia præstare, quod honestum est, annuente Theodoro, subjicit illa; quidquid est justum, est honestum; quo iterum concesso, ait: quod non injustum, hoc justum est; cùm & hoc concederet, subdit: quod faciens Theodorus non dicetur injustè agere, id si faciat Hyparchia, non dicetur injustè agere; & cùm hoc admisisset, subsumit: sed Theodorus seipsum percutiens non dicetur injustè agere: igitur

nec Hyparchia, si idem fecerit. Hoc captus Theodorus, & ab aliena muliercula pugnis dignus, convictus est. Indè patet intervenire sæpe fallaciam, nec omnia concedenda, sed cautè examinanda : falsum sanè est illud, quod licet. Theodoro justè facere, id etiam alteri licere: potest enim Theodorus domũ, & res suas incẽdere aut dono dare; cũ uxore sua liberos procreare, quod alteri non licet. Similis dolus latet in illo : qui bene bibit, bene dormit: qui bene dormit, non peccat; qui nõ peccat, est sanctus; qui est sanctus, venit ad cœlum: ergo qui bene bibit, venit ad cœlũ. Falsũ est illud simpliciter prolatum, qui non peccat est sanctus; potuit enim antea peccâsse; esto jam non peccet, unde distingui debet : qui numquam peccat est sanctus, Con, qui jam non peccat, sed priùs peccavit N. peccavit autem dum biberet cum excessu. Captiosum est illud : bibliopola multos libros habet, & eos sæpe volvit; qui autem libros sæpê volvit, multùm studet; qui multùm studet, fit doctus, ergo bibliopola evadit doctus, error est in secunda propositione.

§. VII. *De Dilemmate.*

Dilemma est duorum contrariorum assumptio, quorum quodcunque admiseris, impinges & offendes : unde aliter cornutus syllogismus dicitur, eò quod utraque parte contrariorum feriat, & impetat, velut animal cornutum: v.g. vel vis evadere doctus, vel nõ

vis

vis; si vis, cur negligenter studes? si non vis, cur frequentas scholas. Item vel vis, venire ad cœlum, vel non vis: si non vis, stultus es, tantum bonum negligendo; si vis, quare ergo peccas? Item: vel vis in hac vita pati, vel nō vis si non vis, patieris in altera vita graviora : si vis cur murmuras, blaspbemas &c. Dilemmate usus est Christus alapâ percussus à servo. Vel dixi verum, vel non dixi; si dixi, cur me cædis? si non dixi, probandum tibi priùs & testimonium perhibendum de falsitate quàm cædendum. Medaurensis Philosophus Magiæ accusatus ab Æmiliano, quòd Pudentilla conjux, cùm illum insanè amaret, magum esse scripserit, sic se tuitus est: vel enim Pudentilla hoc scripsit sano judicio, vel insano? si insano, non est illi fides habenda ; si sano judicio, nihil igitur magicis artibus à me passa est. Dilemmati innitebantur Pharisæi, dum Christum intenderunt capere in sermone. Sic enim illi secum : vel affirmabit dandum tributum Cæsari, vel non. Si ita, exosum ipsum reddemus apud plebem, ut quam tributariam Romanis esse vult : si non, erit contra Cæsarem. Eumenides Poëta Cretensis dixit : Cretenses semper mendaces : contra hunc igitur sic quidam insurrexit. Vel est verum quod dixisti, vel non ; si est verum, ergo tu ipse es mendax, quia etiam Cretensis es ; & sic tibi ipsi credendum non est hoc dicenti ; si non est verum, ergo nec sic tibi affirmanti credendum est. Quidam somniis nullam adhibebat fidem, ideò quòd somniâsset, somniis fidem

non esse adhibendam. Hunc sic quidam aggressus est. Vel fides habēda somniis vel non: si est habenda fides? ergò malè dicis non esse habendam; si non est habenda fides? cur igitur tu ipse habes, quando credis ideo non habendam fidem somniis, quia id somniasti. *Confutantur* autem dilemmata si falsa sunt (enim vera sunt nunquam reprehenduntur sed admittuntur) aut *infirmatione*, aut *conversione*; infirmatione quando negatur vel refutatur aliqua pars ut falsa: conversione, quando, quod contra nos afferebatur, in adversarium retorquetur per commutationem, v.g. si quis sic arguat: vel evades per militiam ad dignitatem, vel non evades: si evades, habebis invidos; si non, frustrà molestias subibis. Rhetor queri potest hoc modo: vel evadam, vel non evadam; si non, non habebo invidos; si ità, non frustrà molestias subibo. Sic Antigonus Rex, cùm frater ejus peteret, ut lis, quæ inter ipsos erat, clàm componeretur, dicebat: vel causam habes justam, vel injustam? si injustam cur litigas? si justam, cur hominum notitiam fugis? cui frater. Si justa est, domi sinè tua infamia meliùs cognoscetur; si injusta, minorem ego infamiam subibo. Hâc arte Evathlus mercedem Magistri sui Protagoræ elusit. Dederat Evathlus Protagoræ dimidium pecuniæ pro labore, reliquum daturus, ubi primam causam litigando evicisset. At, nè dare cogeretur, nullam causam agebat. Protagoras igitur Evathlum in judicium vocavit, dicens Evathlo: vel ego causam evincam, vel tu. Si ego; debebis mihi

hi solvere ex judicum sententia; si tu, solvere debebis ex pacto, quo pollicitus es, soluturū te, si primam causam obtinueris. Cui Evathlus: vel tu, vel ego causam evincam? si tu, ergo non tenebor solvere, quia primam causam non evici, quod tamen ex pacto requiritur. Si ego evincam, nîl igitur tibi debebo ex judicum sententia, quâ à solutione absolvar. Hujusmodi dilemmata Crocodili vocantur, eò quòd Crocodilus eò sit usus, ut est apud Politianum. Fingunt enim Poëtæ, rapto puero, Crocodilum sic cum matre collocutum, reddam tibi filium, si verum dixeris; an sim restituturus. Hîc mater negavit fore, ut redderet, atq; sic ex pacto Crocodilum teneri ad restitutionem affirmabat: at crocodilus non reddam igitur, inquit, si enim reddam, non erit verum quod dixisti: si verò dixisses me redditurum, nec sic reddidissem, quia falsum fuit me reddere velle.

Nota. *Dilemma non esse specialem & distinctam* argumentationem à quatuor prioribus; sed *duplex enthymema* ex duobus contrariis conflatum; cùm habeat modum & formam enthymematis: hoc enim enthymema: vel remittis culpam, vel non remittis, si non remittis durus es & crudelis; si remittis, mollis es, & effæminatus: sic resolvitur: non facilè remittis, ergo es durus? facilè remittis, ergò es mollis. Quamquam, cùm apertè non habet particulam illativam *ergò, igitur*, sed solùm implicitè, & reductivè, negari potest esse formalem argumentationem, sed solùm *virtualem* & implicitam,

PARS TERTIA.

DE TRACTATIONE SEU DEDUCTIONE ARGUMENTATIONUM ORATORIA.

PUtabat Zeno Rhetoricam per hoc distingui à Dialectica, quòd hæc breviter, & strictè arguméta sua proponat, Rhetorica verò copiosè, amplè, & fusè: undè similé illam faciebat manui contractæ in pugnum, Rhetoricam verò explicatæ & extétæ. Et verò sic se res habet: quod Dialectici nudâ argumentatione proponunt, hoc latè, & diffusè Oratores; quamlibet enim argumentationis partem verbis & sententiis augent, & dilatant, ut una aliquando argumentatio multas sibi paginas vendicet. Quapropter postquam in praxim, & usum introductum est argumentationis conficiendæ artificium (quod facilè fit, si per ordinem singuli jubeantur ex re obvia fabricare jam syllogismum, jam enthymema &c.) docendi sunt discipuli, quo pacto argumentationem nudè propositam extendere & dilatare valeant Oratorum principum exemplo. Viam hac in re

stra-

ſtravit P. Radau in Oratore ſuo Extemporaneo: ſecutus eſt P. Sigiſm. Lauxmin in Praxi Oratoria. In defectu horum ſervire poterunt ſequentia, in quibus etiam aliquid ex mea praxi adjiciam. Solùm verò hîc ponetur modus dilatandi ſyllogiſmum, & enthymema, tum quòd reliquæ argumentationes rariùs adhibeantur, tum quòd modus eas dilatandi ex his deſumi poſſit.

§. I. *Modus dilatandi ſyllogiſmum Oratoriè.*

Poſtquam igitur quæſtionem inſtituiſti, inveni rationem & argumentum, ex argumento, argumentationem v. g. ſyllogiſmum confice, tum ſingulas ejus partes extende, & dilata v. g. ſit quæſtio: an amicus obvius ſit ſalutandus? ratio occurret, quia de ejus conſpectu gaudeo: hinc formo ſyllogiſmum modo ſuprà explicato, & erit iſte: qui de alicujus conſpectu gaudet, par eſt, ut illum ſalutet; ſed ego de tuo gaudeo, ergo te ſaluto. *Oratoriè* ſic exponetur.

Major. Nunquam facundior ſermo, aut magis diſerta fluit oratio, quàm cũ gaudio, & effectu perorandum eſt, Magne Præſul. *Minor.* Fateor id equidem, tantoque certioribus argumentis profiteri cogor, quanto majore animi ſenſu, & minùs vulgari lætitiâ, ab aſpectu tuo exortâ, ad hanc confeſſionem impellor. *Complex.* Salve igitur charum mihi pectus nec tam voce, quàm animo ſalu-

tatus me tuum agnosce, tuumque inposterum esse velis, jubeasque.

Idem fusius.

Major. Quoties gratissimi hospitis, nobis amicissimi obtingit adventus, cum lætitiis animitus repleamur, non valemus tripudii nostri magnitudinem comprimere, quin exterius signis affectum nostrum expromamus, pedes in occursum, manus in amplexus, os in oscula, linguam in salutem & aggratulationem effundentes. *Minor.* Quidni verò lætitiis & ego totus incedam, quem tua dulcissima præsentia postliminio recreat, vultusque amænissimus rursum florere, ac vigere facit: es enim ille, qui animæ meæ delitium, ac pars altera vitæ meæ, sinè quo degere tædium, cum quo vivere voluptas est, *Complexio.* Ave igitur amice mihi charissime hospes dulcissime; en tibi me amori tuo totum sacro, consecroque: jube quidquid libuerit, impera, ad omnia me tibi paratum promptumque semper es reperturus.

Exemplum aliud.

Sit quæstio an quidpiam ab alio petere debeam: *ratio* quia olim expertus sum, eundem in me beneficum: ex hac formo syllogismum: cujus in aliis casibus experti sumus benevolentiam ab eo ut petamus, quibus egemus, meritò audemus. *Minor* sed tuam expertus sum. *Compl.* ergo petere audeo.

Ora-

Oratoriè sic efferetur:

Major. Multa sunt, quæ alios audaces faciunt, atque ad implorandam beneficam opem, accendunt animos; nullus tamen certiore spe gratiam aucupatur quàm ejusdem experimentis provocatus. *Minor.* Is ego sum profectò, qui me tum præsidiis tuæ beneficentiæ, tum porentiæ auxiliis auctum, non modò memoriâ, verùm maximè beneficiorum usu experior. *Conclusio*: quidni igitur, non meæ dignitatis, aut meriri, sed tuæ gratiæ beneficentissimæ consilio fretus, præsenti necessitati opem implorem? quidni de optimo, optima sperem? hic portus diu jactatæ spei esto, quam non dubiè firmabis, si in casu N. consilio tuo (vel auxilio subveneris,) gratum beneficiorumque memorem, dum vixero experturus.

§. II. *Triplex monitum.*

I. Ne nimium scholare artificium redoleat oratio; cavendum, nè Major ducatur à vocibus: Quicunque, quisquis, unusquisque &c. quod ut fiat, observa majorem occultiùs à prædicato, quàm subjecto deduci v.g. in hac sententia: quicunque est liberalis est laudandus: *liberalis* est subjectum, *laudandus* prædicatum: ab hoc melius ordieris hoc modo: Ea quidem est omnis virtutis dignitas, quæ jure optimo lau-

laudis & venerationis cultum exigit ; nullo tamen id potiore merito vendicat sibi, quàm grata mortalibus & superis liberalitas. Possunt etiam eleganter propositiones universales per modum sententiæ efferri. v.g. adolescens castus est Superis gratissimus. Sic meliùs absolutè per definitionem: Divus odor, divinarum mentium amor, superùm tenerrimæ delitiæ , est ab omni obscænitate remota mens. &c.

II. Nè siccus , rudisque sit hic eloquendi modus, excolitur & dilatatur , per adjunctas partibus singulis probationes, probationum confirmationes per allata similia & exempla, symbola & antiquitates, ac id genus orationum ornamenta, cujus exemplum hîc darem, nî longior forem.

III. Quia salutationes, gratulationes, nuptiales, funebres & similes orationes , certis quibusdam gaudent affectibus , si fortè viâ syllogismi ad exprimendos eos non deducamur, conclusionis locum aptè subire poterunt, aut post conclusionem poni : utriusque modi exemplum cape. *Quæstio*, an amico sit valedicendum ? *argumentum*, quia sum amicus. *syllogismus*. Amicus debet amico valedicere, sed ego sum tuus amicus , ergo debeo tibi valedicere.

Oratoriè sic tractabitur.

Major. Humanitatem quotquot coluere homines, nõ amant è patrio se aliorsum conferre

ferre solo, quin abitûs sui certiorem reddant, verbo etiam ultimùm alloquantur cum, quicum iis dulcissima vitæ consuetudo, commerciumque intercessit. Rationi quippe difforme censetur, ejus te postremò nolle frui conspectu, cujus præsentiam quotidie amplexus es, aut in votis saltèm gerere consueveras. *Minor.* Quid agere igitur me addecebat, Carole dulcissime, quando, fatis ita volentibus, mihi deserendus es? an à te nec supremo dicto vale discederē? an te nec discessus mei facerem certiorem? inhumanum hoc ac barbarum, multò verò magis in amicitiæ nostræ leges graviter prævaricatum. Is enim tu mihi semper fuisti, quô inter mortales nemo charior, cujus non solùm præsentia, atque aspectus intima præcordiorum excitabat ad amœnitatem, sed etiam absentia dulcissimam refricabat memoriam; tecum agere, mihi voluptas, tuo gaudere conspectu, deliciæ; tuo frui alloquio ambrosia, te complecti nectar fuit divinissimum. *Conclusio.* Atque hinc est, quod non eâ mentis alacritate (quâ fortassis fortem oporteret) patriâ excedam: quòd à te, te, inquam, amicissimo mihi recedere quoque cogar: ô quanto mihi hoc dolori est, intimeorum Carole! quàm amara hæc à te mihi separatio accidit! non abire, sed vi divelli mihi videor à te, qui cordis mei dimidium, atque *alter ego*, semper extitisti. Noli proinde metuere, ne quando tui me capiat oblivio: erit, erit profectò in fixa menti meæ altissimè amoris tui recordatio, ubi,

ubi,

ubi, me degere, ac spirare sors dederit; nec enim possum imaginem tui ab animo meo deponere, quæ tam fixè pectori meo est impressa.

Alterius modi exemplum sit hoc: gratulaturus alicui felicem Natalem, facta quæstione & inventa ratione, formetur hic syllogismus.

Major. Dies festi, non animo tantùm, sed & voce sunt colendi. *Minor*: sed dies hic est festus Tutelaris Divi. *Conclus*: Ergo non animo tantùm sed & voce colendus. Hic cùm conclusio sit manifesta, breviter poni potest, indè aggratulatio cum aliis affectibus adjungi. v.g.

Major. Debetur hoc publicæ dierum amœnitati, quos aut illustrius ornavit gloriæ decus, aut sanctioribus serenavit lux cælestis sideribus, ut non animis tantummodò eorũ applaudamus festivitati, verùm vocis ac gratulationis studio conceptã proponamus hilaritatem. *Minor*. Illuxit revera hodierna die auspicatus D. Tutelaris tui dies, dies, inquam, nobis ac tibi optatissimus, & non humano tantùm, verùm etiam cœlesti cultu prosequendus. *Conclusio*. Prodire igitur in vultum debet animus; effundet in plausum sincera gaudia; exundare in gratulationes devota tuæ incolumitati, lætitiæ, felicitati vota. *Affectus*. Et verò emanant, effunduntutque, atque hanc gratulationem, non verbis, sed gaudiis compositam eâ tibi ratione deferunt, ut cùm præsentem gratulantur felicitatem, se-

cutu-

cuturam pari affectu voveant. Sit anni clausula dies hic, simulque sit plurium, elapso huic similium, atque adeo fortunatiorum exordium. Vive donec serus ætate, atque meritis ad natale solum natalis diei transferaris.

§. *III. Syllogismus perturbatus & inversus.*

Nè artificium syllogismi advertatur ab Auditoribus & pariat satietatem, idem modus argumenti formandi; misceatur in deductione partium ut priùs tractetur Minor, postea Major, vel si conclusio est præmissa majori, rursus repetatur, aut ejus loco affectus materiæ convenientes subjungãtur. Sic gratulaturus felicem ex publica convocatione, viro illustri reditum, talem fotmo syllogismum. *Major.* Qui re publicâ bene gestâ redit, ei reditum gratulari debemus: *Minor.* Sed tu redis &c. *Concl.* ergò tibi est gratulandum. Conclusioni affectus subjungi possunt. Initium duci potest *à Minore* v.g. Quãto gaudio, quantâ lætitiâ nos afficiat universos, optatissimus reditus tuus ex amplissimo regni (Reip.) conventu, dicere scitis non valeo, nec mente concipere: reverteris enim non solùm salvus & incolumis, tibi tuisque sed & rebus ad regni emolumentum, ad populorum commodum, ad nominis tui gloriam faustè feliciterq; gestis, namq; &c. *Conclusio* quoq; non rarò primum locum occupat, cui assumptio vel propositio cũ suis cõfirmationibus, vel absque illis subjiciuntur:

in fine

in fine tamen iteratur conclusio. *Exemplum.* Gratulaturus viro de Repub. merito dignitatem, talem formo syllogismum. *Major* cui honor meritò confertur, gratulari debemus. *Minor*, sed tibi meritò est collatus. ergò &c. Sic fieri potest *Conclusio.* Nec potuit equidem, nec debuit fastigium dignitatis tuæ aliter quàm ab humili adiri cultore. *Major.* Ea etenim est majestas virtutis, atque dignitas meritorum, ut honoris vendicet insignia, & venerationis exigat encomia. *Ratio majoris.* Clarius nimirùm in altum provecta virtus emicat, auctoq; glorioſæ lucis splendore, ut illustrius publicum serenat, ità illustrius coli, necesse habet. Honor quoque se ipsum crescendo superat, & ignavis per merita vindicatus ab umbris, laudibus assurgit. *Minor.* Collatus enimverò est tibi Magistratus, sic autè collatus, ut ad alium transferri absq; injuria non tui, cui virtus maximus est honor, sed sui non potuerit. *Ratio minoris*, Rudolphum Imperatorem clavâ cum oleæ ramo depictâ virtutum tuarũ insigne erexisse non dubius asseruerim, cui illa adjecta epigraphe: sive pace, sive bello. *Exornatio.* Occupasti utramq; in Rep. gloriam & sago pariter, atque togâ, cùm te virum probâsti, quem Mars miraretur, pax coleret. Nunquam tuam patria manum, aut consilium desideravit, quando quidem ejus negotia intrà tua numerata, ante tua æstimabas. *Conclusio repetita.* Auspicare igitur feliciſſimè hanc meritis tuis collatam dignitatem, & fortunã virtute promove; ut

majo;

majoribus cumulata ornamentis, illustrior nostris & publicis affulgeat ab alto incommodis.

§. IV. *Syllogismus imminutus.*

Solet quandoque una pars in syllogismo prorsus omitti, *major* vel *minor*, quando per se nota est & manifesta, ideoque enthymema syllogismi loco conficitur & tractatur, uti patet in orationibus Ciceronis: sed de enthymemate postea, hic verò sermo est de syllogismo, qui sic minuitur, ut licèt propositio omittatur, ratio tamen ad illam probandam ponatur, illâ interim subintellectâ, quo casu exercitium hoc à ratione majoris inchoari potest, & ipsa deinde roborari probationibus, eruditionibus &c. tum verò reliquæ partes Minor, & Conclusio, sive ordine connaturali, sive artificiali, & perturbato, subsequantur. Exemplum talis syllogismi sit hoc. Quæstio an gratulari natam prolem oporteat Parenti illustri? argumentum: quia conducit ad nominis gloriam hæc stirpis propagatio. Syllogismus. Quæ ad nominis gloriã conducunt, gratulari debemus; sed ergo. *Oratoriè sic. Ratio majoris.* Etsi magnæ opes & collata imperandi potestas multùm ad bonam beatamque vitam conferunt, summum tamen mortalis generis decus glorioſa nominis propagatio. *Rationis probatio*, Perstringeret maximè sapientum oculos, fulgor auri, nisi facilè pulveri misceretur; raperent universorum ani-

mos imperia, nisi ad misera mortalitatis damnarentur servitia. Nemo non opibus, nemo non potentiâ excellere vellet, nisi hæc aut prævio impetu raperent dominos ad ruinâ, aut subsequente passu raptos obruerent. Sola sola atque unica humanis fatis insultat libertas: famæ, & naturæ fatiscētis lapsu depressos ad immortalitatem erigit, erectos laudi inserit, insertos custodit. *Amplificatio.* Quàm miserè vivimus, si diutiùs quàm vivimus, vivere non liceat! quàm defiendi obimus, si totis simul tumulamur! famæ verò hic felix genius, ejusdemque feliciſſimæ artes, nè mortales cum morte emoriantur, providisse, & inanimes inanes seipsâ alterâ veluti vitâ atq; mente animâsse. *Erudito.* Hac de causa factum est, ut magnus ille rerum arbiter, & sapientissimus fortissimi Imperatoris, apud æternitatem, Orator, non ab exercitu cum imperio gubernato, nec ab opibus cumulatis Herois Homerici laudem quæreret, verùm à propagata carminibus ejus gloria panegyrim dicturus, augustâ voce, atque ad hæc tempora sonorâ inclamaret: ô te felicem, qui talem laudum tuarum præconem merueris. *Minor.* Hæc porrò à fama profecta mortalium prosperitas, quàm ipsa diversè ad homines descendit, tam variè ad gloriæ penetralia homines deducit. Mars alios pari animo susceptus, ac tractatus, quosdam Pallas ingenuè culta perennitate nominis donavit: nonnullis æternitas domi nata, atque cum fortunata eximiorum parentum stirpe edita. *Ratio Mi-*

noris hæreditate nimirum generosa progenies parentum capessit virtutem, & dum vivit, parentes refert: pulsat nobile venas decus, neque oblivioſam paternorum meritorum patitur ignaviam, *Eruditio.* Scipionis edicto, aut te Scipionem nega, aut nomen virtutibus imple. *Conclusio.* Felices idcirco ejusmodi parentes, qui cum aliis vitam partiuntur, largiuntur sibi, atque illis quidem mortalem ac perbrevem (si humanæ vitæ metiamur metas) tribuunt, ipsi perenni successione occupata perennitatem obtenturi. *Affectus* Hac te felicitate beatum hodie superi volunt, nos gaudemus: agnosce fortunam, apparatu magnifico glorioſos intrantem penates; agnosce cælorum munus, ejusque aspectu diu incolumis gaude. Utinam quo nunc animo spes, è flore lætitiæ decerptas offerimus, eodem fructus provectioris ætatis carpamus & offeramus.

§. V. *Enthymema oratoriè deductum.*

Hujus usus est frequentissimus, eo quod syllogismi pars aliqua, persæpe nec probatione, nec deductione egeat; imò quia per se nota est, apponi non potest sinè vitio superfluitatis, unde syllogismi loco enthymema tractatur. Exemplum sit hoc: dum alicui felicem natalem apprecaris, sic argumentum statue: *Antec.* exoriente natali, nova exoritur lætitia, ergo de eo lætandum & gratulandum.

Oratoriè sic:

Antecedens. Redivivum auspicatissimi Natalis tui sidus, quanta, proh Deum immortalem! animum perfundit lætitiâ! qu vultum replet amœnitate! quibus pectus incendit jubilis; nec enim solùm teterrimæroris nubes ab animo meo detergit, frontemq; serenat; sed & intimas cordis fibras ultare, pedes subsilire, manus complodere labra, linguamq; in applausus cogit erumpere. *Eruditio.* Evenire id mihi persentio, quod Memnoniæ illi in Ægypto statuæ, quæ ubi sereniſſimi solis exorti radius affulsit, movere se, immobilis alioqui moles, incipit, vitâ quâpiam redanimari, gestire gaudiis, & humaniſſimum ave depromere siderum principi. Sic festiviſſima Natalis tui lux, ubi animi irradiavit meum è languenti alacrem, ex exanimi, redivivum, è tetrico tripudiantem, è muto & elingui loquacem effecit. *Consequens cum effectu.* Ah darent utinam superi, ut lux ista tibi fauſtiſſima, mihiq; lætiſſima redeat millies, & millies, concatenato ad votum tuum amorum, honorum, favorum, bonorumque fluxu omnium, quibus te abundare non mea solùm in te flagrans expoſcit neceſſitudo, sed & vitæ tuæ, morumq; dignitas commeretur! Vive igitur! perenna (hoc enim tibi apprecor, dum quod in munus offeram dignum te nil comperio) perenna, inquam, non annorum solùm longævitate; sed & animi jucunditate, ac sortis prosperitate, quâ & dies iste tibi semper sit delicioſiſſimus, tuis verò ter beatus, ter optatus. En-

Enthymema aliud, quo alicui novum annum gratulamur. *Antecedens*: novo exoriente anno, nova exoritur lætitia. *Consequens*, ergò mihi de illo tibi est gratulandum.

Oratoriè sic:

Antecedens. Cùm novum annum exortum cogito, novos soles, nova sidera, novam exortam lætitiam contemplor; idem enim exordiũ anni est, quod felicitatis nostræ auspicium; atq; unde principium annorum ducimus, prosperitatem exordimur. *Ratio.* Anni vitam humanam, & officia vitæ partiuntur, iidemque operum pariter, ac fatorum lineæ, metæ, initia sunt. *Eruditio.* Idcirco à Romanis anni novi die, clavos æneos Capitolio infigi solitos, accepimus, tanquam fixam munerũ anni elapsi memoriam spondentibus, & novam ætatem ad favores superûm promerendos inchoantibus. *Consequens cum affectibus.* Auspicare igitur novum annum fortunatissimè, auspicare faustissimè, aggredere amœnissimè. Hîc limen fatorum esto, hæc janua felicitatis & gaudiorum. Cedat quidquid unquam adversi accidit, & non modò successus præsentes tui comites adhæreant, verùm novæ amœnitatis accersione aucti, tibi tuorumque votis obsequantur. *Nota*: interdum antecedens non probari: sive quia certum, sive quia minùs confert ad rem nostram, uti fit in syllogismo; interim autem consequentis deductioni & probationi immoramur, ut si gratulaturus electo alicui dignitatem, hoc utereris enthymemate: *Ant.* tibi est collatum offici-

um, *Conf.* ergò gaudemus. Nonnunquam & antecedens & consequens suis roboratur & expolitur rationibus: ut si suasurus Principi exteros consiliarios, nè adhibeat, domesticis neglectis, diceres, odiosum est, ergo id nè feceris.

Oratoriè sic deduci potest.

Anteced. Non tot ad scyllam aut charybdim marium exploratores allisi, quot Principes in publica odia impegerunt, postquam gubernaculis Reip. tractandis, neglectâ civium operâ, peregrinas admoverunt manus. *Ratio aut.* Nusquam odium magis sævit, quàm ùbi contemptum se solo vindice plecti posse sentit, nec usquam contemptus urget contumaciùs, quam ubi prudentia & fortitudo domestica, peregrina æstimatione damnatur. *Confirm.* Gravis sensus injuriæ privatæ est; quantum vulnus sit necesse publici infamisque judicii? virtutem, & sapientiam, tanquam regno absentem aliunde advocari debuisse. *Ratio altera anteced.* Fallant verò (quæ rebus ineſt vicissitudo) susceptа ab adveni, consilia, quis pœnas alieni facti feret? quis æstimato furori, nè dicam perfidiæ se multùm objiciet? ut ut enim illi bene, ac prosperè domesticis velint; subjecta sensib⁹ damna, quo se experimento probabunt, damnabunt creditos authores. *Conclus.* Hæc ità vera comperi, Princeps, ut simul certissimũ habeam: te nihil magis odisse, quàm odia ubditorum *Ratio Concl.* scis, quâ industriâ imperaturo feliciter Principi, subditorum affectus

standi, cùm non ignores; quanta commoda benevoli animi, ideoque fidi polliceantur. *Comprobatio.* Hæ excubiæ nullis insidiis; hæ vigiliæ nullis laboribus; hæc scuta, nulli dolo, aut roboti cedunt. Remove tantis per amore civium, tuo te ejecisti regno: quidquid vides, hostile est: frustrà cives voces, quos inimicos feceris; aut in tui defensionem armes, quos odio induxeris nulla virtus peregrina in bona patria; præcellere tamen debet, quæ senii authoritate valet.

§. VI. *Via sternitur ad dilatandam quamlibet partem in syllogismo vel enthymemate.*

Difficultas non parva oboritur incipientibus, quando id, quod paucis dicitur in syllogismo, pluribus efferre & dilatare jubentur. Verùm superari illa facilè potest, si pedetentim quis hoc in genere progrediatur. Incipiendum igitur dilatationis exercitium à propositione, id est constructione una, & quidem obvia: v.g. jam dies est: nunc est adolescenti studendum: hyems ingruit. Petrus est doctus &c. Si enim hujusmodi sententiolas, & propositiones dilatare noverint, facilè enthymema, aut syllogismũ deducent; quippe syllogismus, & enthymema, non constat nisi similibus partibus & constructionibus: unde si semel deducant Tirones, artem esse expetendam; altera verò exercitatione exponant; eloquentiam, esse artem; quid opus est ad syllogismi structuram ultrà nisi addere conclusionem, & partium inter se connexionem, quam transitionem vocant Hunc modum observant pleræque artes,

ut ab una, & quidem minimè difficili parte, Tironi proposita, ad aliam difficiliorem procedant: sed potissimùm pictores sic exercere Tirones suos solent, ut imponant primùm aliquam partem in homine expingendam, v. g. cāput, aliâ vice manum, subinde pectus, pedes, quæ ubi seorsim bellè exprimere nôrunt, corporis totius symmetriam efformare jubentur. Hunc in modum Eloquentiæ Tirones exercendi sunt, ut priùs breviculas sententias aliquas deducant, quas ubi addidicerint, non erit difficile ad syllogismi deductionem pervenire. Sed rursum difficultas est, quomodo Tirones in dilatanda propositione hujusmodi condocefaciendi? Respondeo: ut in syllogismi oratorii fabrica pro exemplari respiciendus Orator Extemporaneus & P. Lauxmin. Sic in propositionis extensione condiscenda revidendus & terendus Candidatus Rhetoricæ P. Franc. Pomeii Progymn. 3. ad cujus imitationem alia exempla efformari poterunt. Ad majorem verò facilitatem observari poterunt modi sequentes.

I. Modus est: data quacunque propositione expendere prædicatum, & subjectum illius, & utrumque vel alterutrum saltem fusiùs explicare. Expenditur autem tam subjectum, quàm prædicatum per locos Rhetoricos. v. g. inveniendo plures ejusdem rei definitiones, enumerando partes illius, à genere descendendo ad speciem, à thesi ad hypothesin, à contrariis, priùs dicendo quid non sit,

po-

postea quid sit explicãdo circumstantias rei, & adjuncta, causas, effectus plures ponendo, afferendo similitudinem, & comparationem, seu exempla, v.g. sit hæc propositio: *vita nostra est plena miseriis*; in qua *subjectum* est: *vita nostra prædicatum*: *plena miseriis*; jam *subjectum* dilata per partium distributionem, dividendo vitam in ætates, in infantiam, pueritiam, adolescentiam, robustam ætatem, & senectutem. *Prædicatum* similiter deducere poteris per partium distributionem, enumerando miserias varias, quibus una quæque ætas affligitur. Idem fieri potest, si dicas: Petrus est doctus; ubi licèt subjectum dilatari non possit, tamen potest prædicatum, si recenseam doctrinam Poëticam, Oratoriam, Musicam, Philosophicam, Juridicam, Theologicam, Historicam &c. sic hæc propositio: *otium est laudabile*: à loco definitionis augeri potest. v.g. dicendo: te non intelligere otium, quod fons est & origo malorum omnium, à quo libidines, furta, potationes &c. profluunt, otium te sentire, non fugam laborum, non desidiam, non stertendi assuetudinem, sed necessariam post labores quietem, operis remissionem, viriũ restaurationem &c. hoc de *subjecto*: similiter *prædicatum* accipiens, dicere potes: illud esse quod sapientissimi ac piissimi non approbârunt modò, sed etiam laudibus extulerunt, atque sectati sunt &c. Idipsum à similitudine, desumptâ materiâ, extendi potest. v.g. ab arcu, à jumento, à viatore &c. qui quietem aliquando exposcit. Id-

ipsum exemplis deduci potest, ut M. Crassi, Antonii, Scipionis, Ciceronis, qui in villas suas aliquando secesserũt relictis curis severioribus. Quo casu servit plurimùm exercitatos esse in Chria verbali, & inductione Oratoria similium, & exemplorum, de qua suprà. *A contrariis* sic augetur propositio, ut priùs dicatur quid nõ habeat, deinde subjungatur quid habeat: v.g. dilataturus hanc propositionem: *jam est ver*: priùs dicas desiisse hyemis asperitates, quas potes enumerare sygillatim, tum subjũgere veris delitias rursus in particulari. Ab *effectibus* dilatatur propositio, quando effectus unius rei plures explicãtur: ut si amplificanda sit hæc propositio: *ebrietas est noxia*, referre potes plurimos ejus effectũ, quos invenies apud Masen Palæst. Orat. l. 1. c. 3. fonte 4. Aut si deducenda sit hæc: eloquentia est utilis, apponi possunt effectus eloquentiæ à Soario positi lib. 1. c. 2. Quomodo ab hypothesi ad thesin dilatari possit propositio vide P. Masen. in Pal. Orat. lib. 1. c. 7. §. 4. P. Pomeij Progymn. 9. c. 2. Fœcundissimus autem plerumque locus est adjunctorum, quando res cum suis circumstantiis exponitur: cujus rei exemplum invenies in P. Pomeij Progym. 1. c. 2. de dilatatione periodi, ubi verbum *studeo* per adjuncta explicat. Vide etiam P. Lauxmin. c. 1. q. 6. in Prax. Orat. & P. Radau Part. 1. c. 2. q. 10. ad finem.

II. Modus est. eandem propositionem deducere per figuras verborum, & sententiarum, cujus rei specimẽ legendum ex P. Masen

Pa-

Palæst. styli lib. 2. c. 5. n. 2. aut ex Candidato Rhetor: P. Pomeii Progym. n. 3. c. 2. §. 1. Juglaris in Ariadna c. 27. & ad imitationem Tironibus aliquid hujusmodi de signandum. Non est autem opus, ut eadem propositio semper dilatetur per omnes figuras; sufficit enim ad rerum & verborum copiam, si hæc deducatur per unam, altera per aliam, tertia per aliam, id maximè intellige de iis, quæ principaliores sunt, & plurimùm conferunt ad amplificandum. ut allegoria, Periphrasis, Hypothyposis, Apostrophe, Ethopeia, Prosopæia &c, cujus rei exẽpla prælegi possunt ex P. Pomeii. Progym. 2. & de Lacerda in Cãpo Eloquentiæ. Has inter cùm plurimùm adhibenda sit synonimia (sæpe enim non nisi verbis idem significantibus aliqua pars syllogismi explicatur) ejus usum perquã familiarem sibi reddere necesse habent Tirones; unde quoq; principio exercitandi in hoc, ut eundem sensum pluribus constructionibus, & verbis idem prorsus significantibus exponant; quod fieri potest initio Rhetoricæ, priusquam aliarum figurarum aut locorum Rhetoricorum notitiam habent: unde dictandæ illis Phrases, aut assignandæ, ex quo loco vel authore desumi possint. Videatur Masen in Palæstra styli lib. 2. c. 2. n. 1. & 3. qui prælegi potest. Interim pro exemplo sit hæc propositio: *est vir doctus*: quantùm non excrescet, si dicas: omnigenâ eruditione pleniſſimus est, nihil penitus est, quod oculis ille suis non perlegisset;

ac

ac firmissima recordatione retineret, quod intellectum ejus fugeret, quod mentem ejus lateret.&c.Hoc modo exornatur *adolescens ingenuus & liberalis*:Lectissimus, atq; ornatissimus adolescens,ingenuarum artium, atque officii perituissimus, domi suæ in primis nobilis & illustri apud omnes gratiâ; juvenis admirabili fatorum benignitate,ad gloriam atq; dignitatem natus:nemo hoc adolescente nobilitate, nemo literarum peritiâ, nemo bonorum morum culturâ,nemo vitæ innocentiâ,nemo ullo laudis genere illo præstantiot.Hunc natura ad omnem famæ,atq; nominis celebritatem magnum , & excelsum produxit,voluntas exercuit. Vehemẽs in hoc juvene mentis ardor,ardens vincendi cupiditas,oratio erudita,ac liberalis,mira quædã scriptionis elegantia,contentionis magnitudo,studium gloriæ,eximia Indoles, alta naturæ vis,excellens prosapia,nobilis sanguis, hunc juvenẽ ornatissimum effecere. Summa in hoc juvene spes,summa nascentis eruditionis expectatio,sumũ ingenii acumen, sũma judicii maturitas,summa industria , summa omnia. Videut eadem res , idemque sensus aliis atque aliis verbis expromatur cũ dilatatione propositionis. Tua in re faciles erunt illi, qui in syntaxeos classe variare consueverunt thema suũ,quem ad finem etiam impellendi forent inibi, ut id sedulò præstarent phrasilegiis sibi in hunc usum comparatis:nec desistere in facultate Poëtica , ubisi carmẽ ex uno in aliud genus verterint;mag-

na

na verborum ſynonymorum copiâ inſtructi ad Rhetoricam accedent. Ad eandem ſervient adagia combibiſſe ex P. Maſen. Palæſtra Styli lib. 3. c. 5. vel alio, nam & eruditionis ſapore, guſtum afferunt, & propoſitionem dilatant, exempli gratia ſit hæc: *amicitia inter pares coaleſcit:* Boni ad bonorum convivia accedunt etiam non vocati, & ſimile gaudet ſimili, æqualis æqualem delecta: ſimilem Deus ducit ad ſimilem, & ſemper graculus aſſidet graculo, & ſimiles habent labra lactucas: pares cum paribus facilè ſociantur: & Caſcus Caſcam ducit: Et Balbus balbum rectiùs intelligit, & cicada cicadæ chara, formica formicæ & Cretenſis cum Æginita &c. Ornatum & copiam quoque faciunt comparationes naturales, & hiſtoricæ, ut melle dulcior, nive candidior, oleo tranquillior, auro purior, ſtipite immobilior, aſino tardior, ſillice durior, littore ſurdior, iracundior Adriâ, arenis ſitientior, vitro fragilior &c. Venere formoſior, Minervâ doctior, Marte bellacior, Mercurio facundior, Momo mordacior, Iro pauperior, Harpyâ rapacior, ſcythâ crudelior, Leontinis luxurioſior; Mileſiis effæminatior, Craſſo & Cræſo locupletior &c. Poteſt etiam res ſimpliciter efferri ſine comparatione Grammaticali, uſurpando Metaphoram v.g. adamantinum pectus pro duro, vulpinum ingenium, pro aſtuto, nivei mores pro candidis, & ſi impurum voces ſterquilinium, aut hircum fœtentem, cæcum, talpam; rapacem, lupum; deformem, Therſitem; crudelẽ

Arre-

Atreum;severum,Catonem;facundum,Tullium.Usus etiam esse potest Hyperboles:ut si dicas ipsâ cæcitate cæcior, ipsâ fame esurientior,ipsâ deformitate deformior, ipsâ crudelitate crudelior, ipsâ stultitiâ stultior &:Huc (ad synonymiam)etiam referuntur alii tropi,qui unam vocem ponunt pro alia: ut puppis pro navi,argentum pro pecunia, ales pro aquila,eversor Carthaginis pro Scipione.Maximum aut em affert ornamentum allegoria; præterquã enim, quòd constructionem augeat;etiam delectat propter occultam&continuatam eadẽ in re similitudinem. Quapropter post explicatos tropos (quod principio anni expediret fieri, libro interim primo & secundo dilato) exercendi erunt in formandis eorum exemplis, præmissa interim eexrcitatione per synonymiam, modò suprà dictô:potissimũ enim Tirones formandi in elocutione oratoria,in qua eos oportet excellere,non item in inventione & dispositione, quæ maturius judicium & ingenium Philosophiâ excultum requirunt.

Notandum verò:dum exercentur synonymia,commonefaciendi sunt, ut nullum argumentũ seu rationem afferant; sed præcisè insistant thematis declarationi; probationibus omissis:ad eũ ferè modum, quo fit in secunda Chriæ verbalis parte, ubi exponitur præcisè,non autẽ probatur sententia. Aliâ deinde occasione id ipsum per rationes, per cõtraria,similia, & exempla fieri potest ordine tamen illo,quem chria observat,neglecto.

§. VII. *Via*

§. VII. *Via eadem fit planior incipientibus.*

Post cognitâ artis oratoriæ præcepta, duo præscribuntur ab authore lib. 1. c. 8. *media comparandi* eloquentiam: *Exercitatio & imitatio*; ut enim fabricando fabrifimus, pingendo pictores, scribendo scriptores; ità & orationem concinnando, Oratores; quemadmodum verò pictores inter pingendum respiciunt principio exemplar aliquod ab artifice expictum; & pueri characterem præscriptum in tabula, vel papyro, sic itidem faciendum Tironi eloquentiæ. Unde primùm, & antè omnia occupandi sunt in imitandis Eloquentium virorum scriptis assignato illustri aliquo loco v. g. hypotyposi, allegoriâ, prosopopœiâ &c. ex Cicerone, Seneca, Virgilio, vel authore alio, qui præ manibus est, ut Candidatus Rhetoricæ, Orator Extemporaneus. Hunc mutatâ solùm materiâ ad aliud thema applicent, & ad normam illius exprimant. Juvabit hoc non solùm ad rerum, & verborum copiam comparandam; sed etiam ad phantasiam circa modū dilatandi concipiendam. Hoc modo se plurimùm profecisse experientiâ suâ testatur P. Masen. in Palæstra styli lib. 1. c. 4. n. 3. quem etiam discipulis ad commendationem prælegisse juverit: & ille ipse in Palæstra Oratoria totus est in imitando, non existimans se faciliùs formare posse oratorem, quàm imitando, longum enim

enim inquit ille ex Seneca, iter est per præcepta, breve per exempla. Hinc ipsas Ciceronis orationes sic in Analysin redegit, ut in fine ostendat, quâ in materia quis eas imitari valeat. Quo pacto verò quis partem aliquam imitari queat, docet in Palæstra Styli lib. 1. c. 10. quem vide n. 2 & 3. Item Palatium Eloquentiæ in Atrio Eloquentiæ exercitatione 1. Lectione 3. puncto 4. ego adjiciam quæ habet P. Carolus Pajot in Tirocinio Eloquentiæ.

Ratio imitandi.

1. Cùm mutatur quidem sententia, verba autem eadem retinentur. v. g. Cicero dixit: non placet Antonio consulatus meus; at placuit Servilio: sic quis imitari posset: non placet negligentioribus discipulis meis studium assiduum literarum; at placet diligentioribus. Vel ut Cicero dixit, P. Clodii mortem nemo æquo animo ferre potest: Sic de alio sincerè dici potest: tanti viri mortem nemo æquo animo ferre potest: luget Senatus, mæret equester ordo &c. Vel contrario sensu de aliquo scelerato: perditi hujus hominis mortem nemo iniquo animo ferre potest: gaudet senatus, exultat equester ordo, tota regio affecta gaudio est: florent municipia, eriguntur coloniæ, agri denique ipsi, tam pestiferum, tam immanem, tam exitiosum virum cecidisse lætantur.

2. Cùm mutantur quidem verba, sed sententia eadem retinetur. v. g. Cicero dixit divinatione in Verrem: de te Cæcili, jam extra contentionem, certamenq; nostrum familiariter

áriter tecum loquar: tu ipse quemadmodum existimes, etiam atque etiam vide, & intellige qui sis, & quid facere possis considera: putasne &c. Sic Ciceronem imitabor. Sed de te nimium pertinax adolescens jam extra omnem contentionis acerbitatem familiariter tecum loquar; tu quemadmodum studeas, vide etiam atque etiam, quis sit progressus tuus, & quos judices expectaturus sis, considera: puraſne te posse &c.

3. Cùm mutatâ simul sententiâ, & locutione, eundem dicendi tenorē observamus: v.g. Cicero pro Milone dixit: nam illa præsidia quæ pro templis &c. sic imitari possumus: nam illa castra hostium quæ pro muris conspicitis, etsi ad vim inferendam &c.

4. Cùm sensus propè ad verba eadem, aliquibus insuper additis, retinetur. v.g. Cicero dixit: quousque tandem abutêre Catilina patientiâ nostrâ? sic imitabor: quousque tandem abutêre contumax adolescens præceptoris patientiâ? quousque animus tuus tot, tamque amicis obduratus monitis obstupescet?

5. Cùm pro sententia aliam sententiam, pro verbis alia verba eodem ordine, & tenore collocamus, v.g. Cicero dixit; Novi judicii nova forma terret oculos &c. Sic imitabor: perditissimi viri inaudita impietas affligit bonorum animos &c.

6. Cùm easdem figuras, mutatis verbis, & sententiis imitamur. v.g. Cicero dixit pro Milone: quid porrò quærendum est? at constat.

à quo? ut patet &c. Sic imitabor. Ei verò qui velit in virum doctum evadere, quid præscribendum censetis? ut studeat? at constat, ut præstantissimos scriptores imitemur? at patet.

7. Cùm eadem argumenta, & eundem argumentandi, narrandi, dicendique modum sequimur, v.g. pro Milone Cicero, orationis exordium distribuit in duas propositiones: 1. est, non debeo timere pro Milone dicturus. 2. nova forma judicii me terret. Tum utramque probat & amplificat; tandem concludit, sed artificiosè; cùm enim sic concludere debuisset: etsi timere non debeo, tamen subest aliqua terroris causa: nihilominus ut modestius seipsum ac Milonem commendaret ex libertate quadâ dicendi, conclusionem ad judices convertit his verbis. Quamobrem adeste animis Judices, timorem, si quem habetis, deponite &c. cujus conclusionis rationem proponit, eamque amplificat. Hoc artificium exordii in alia materia potest quis imitari. v.g. pro argumento sit consolatio de morte fortissimi Principis, aut Ducis; sic exordium poterat distribui in duas pariter propositiones: Non debemus gaudere de morte illustrium virorum (en prima propositio) qui patriæ tam fideles sunt, ut cùm de illius salute agitur, nec quorumcunq;, nec sui ipsius mortem curent. en secunda propositio: utraque probanda & amplificanda est; deinde conclusio convertetur ad cives, quibus probabitur gloriosum esse pro patria mori,

suisque rationibus & amplificationibus illustrabitur. Hæc ex P. Carol. Pajot. Quod si porrò difficultas obortiatur in designanda ad imitandum materia, reddetur & ista planior, postquam lectus fuerit P. Masen. in Palest. Orat. liber tertius à 1. ad ultimum; illustrabitur enim intellectus ad similia. Docenti verò nullâ re opus erit aliâ in principio, quàm legere Orationes Ciceronis, aut alior ũ v.g. Porcensium, Mureti, Negronii, Avancini, interq; legendum cogitare, quam in rem aliam transferri, & accommodari possit: tum verò dictate Tironibus, & ad imitandum proponere. Sublevabitur sic Professor magno labore, quam impendere necesse foret in propriis thematibus elaborandis; cujus etiã beneficio perfruetur, ubi aliquam diu in hoc imitationis studio fuerint versati; tunc enim, licèt ipsi Tirones natare, atque volare viribus suis incipere debeant; tamen exemplo illis præeundum; ideoq; licet materia non assignabitur, aut dictabitur, quam exprimant imitando, juverit tamen plurimùm, ut data ad dilatandum propositione, priùs iisdẽ prælegatur, jam deducta, & expressa ab aliquo auctore; idq; hunc in finem, ut imaginationem combibant in phantasia, quâ imbuti faciliùs videant, quo pacto incipiendum, quibus verbis, & figuris utendum, quibus periodis &c. Serviet hic P. Delacerda in campo Eloquentiæ; Palatium Eloquẽtiæ, Causinus, itemq; alii auctores, qui floridè scripserũt; uti Guiel. Stanihurtius in quatuor novissimis;

in Tessera Militis Christiani: Carolus Scribanius de Passione &: in quibus annotari poterit locus aliquis illustris v.g. alicujus propositionis explicatio per aliquem locum Rhetoricum, per aliquam figuram insignem v.g. prosopopœiã, hypotyposin &c. per quadratas periodos &c. illisque eandem assignare propositionem pro dilatione, sed ad majorem facilitatem prælegere prout ab alio facta est. Quod ipsum potest facere Magister in iis, quæ ipse elaboravit themata, quæ etiam postmodum dictari poterunt.

Est adhuc alius ante dictam imitationem (nisi utroque mixtim uti libeat) usurpandus modus Tironibus per utilis, ut locũ aliquem insignem v. g. descriptionem, narrationem &c. è Cicerone vertant è latina in maternam linguam, aut in carmen; aut vicissim carmen aliquod in solutæ orationis numeros; sic enim & verborum sibi comparant copiam, & phantasiam circa modum dilatandi, exornandi, &c. stylique diversitatem notant. Sed advertendum, cùm ex latino aliquid in germanicum, aut è contrà, transfundere volueris, danda est opera, ut verba quidem, quoad ejus fieri potest, propriè reddas in conversione: in phrasibus tamen eam curam adhibeas, ut collatione utriusque linguæ videas, quid idioma ferat, aut requirat; ne dum latinè loqui studes, maternæ linguæ more sonos fundere videaris, & cõtrà, ut si vertendũ sit hoc: Er wil das studiren auf den nagel hencken: non est dicendum: vult studia ad clavum suspen-

pendere, sed vult studia abrumpere, aut Musis valedicere, prius enim in Latino non congruit, quòd locus proverbii hujus apud Latinos non sit. Qui verò Græca vertere latinè voluerit, is primùm quidem proprietatem & vim verborum accuratè exprimendam & reddendam esse putet. Tum si paululùm in hoc exercitationis genere fuerit progressus, sententiam phrasi latinâ exprimere studeat, ità ut non verbum verbo reddere existimet esse necesse, sed secundùm Ciceronem efficiat, ut sententiæ sententiis respondeant: satis enim in hoc genere fuerit, omissis syllabarum dimensionibus, (si carmen est) sententias ipsas bona fide vertisse.

V. reg. 5. Profess. Rhetor. & Palatium Eloquentiæ exercit. 1. lect. 5. puncto 5.

§. VIII. *Monita in dictorum usu observanda.*

I. Attendendum adolescentibus, nè dum propositionem amplificant, per imprudentiam addant aliquid, quod sit impertinens & superfluum. Est autem impertinens & superfluum illud, quod non facit *ad rem probandam* vel *declarandam*. Videndum itaque an propositionem explicandam *declarent* aut *probent* ea, quæ adduntur. Probant autem rationes & argumenta ex locis desumpta. Declarant similitudo & synonymia, in qua etiam attendendum, ut dum idē dicis, aliud tamen dicere videaris, non verò minùs, aut idem quod dixisti: quâ ex causa ordo in collocatione verborum. Si servandus enim priùs

ponas, *trucidavit*, jam superfluum est ponere *occidit*; si verò præponas *occidit*, tum *trucidavit*, non redundat.

II. Dum dilatationi dant operam; non prætermittant figuras verborum, & sententiarum, quarum notitiam ex explicatione in Poëſi, velà principio anni in Rhetorica habere ſupponuntur: non enim ſimplici & nudâ deductione thematis contentos eſſe decet; ſed ad elocutionem oratoriam eniti. Unde hic ordo exercitationum eſſe poſſet 1. occupentur in verſione ex una lingua in aliam, ex ligata in ſolutam: interim figuræ & tropi explicari poterunt. 2. in imitatione ſuprà explicata, 3. in exemplis troporum & figurarũ, & frequentiùs in ſynonimiâ, periphraſi, allegoria, hypotypoſi, ethopeia. Interim liber primus de inventione argumentorũ & ſecũdus de argumentatione exponetur. 4. in dilatatione prædicati & ſubjecti per locos Rhetoricos. Ad numerum verò Oratorum non priùs adſtringendi, quàm ad exercitationem figurarum, & locorũ venerint: nã licèt plurimùm in eò ſit poſitum, atteſtante P. Lauxmin. in Praxi Oratoria, priùs tamen in eo exercitari non poſſunt Tirones, quàm facilitatem habeant rem aliquam dilatandi vel reſtringendi, ut orationem in membra & inciſa ſecent, aut in periodos effluere ſinant; hoc enim eſſet inducere formã ſinè præſuppoſita materiâ, & conſtruere ædificiũ ſinè calce & lateribus. Quâ verò ratione in numero oratorio exerceri queãt Tirones, tradit breviter P. Pomey Progym. 1. c. 2, fusè autem P. ſigiſm. Laux

Ordo Excitationum.

Lauxmin in Praxi Orator Palatium Eloq. Exercit. 1. lect. 4.

III. Stimulandi sunt adolescentes ut mox in principio tirocinii sui lectioni Oratorũ facilè intelligibiliũ se dedãt, quales sunt orationes Mureti, Vernulæi, & Ciceronis, à Magistro jam explicatæ; neq; exercitium aliquod unquã aggrediantur, quin priùs aliquid legerint: hæc enim lectio facilitatem componendi addit, ex speciebus & imaginatione figurarum & numeri oratorii recenter excitata. Porrò ut cum utilitate hæc fiat, observentur præcipuæ eloquentiæ partes in oratione expressæ. Primò itaque investigetur causæ genus, quis status seu quæstio, quis syllogismus, quod argumentum, è quo loco Rhetorico desumptum. Secundò consideretur ordo partium, & earum connexio per transitiones; quale exordium, unde desumptum, quis epilogus, an cum motu levi vel vehementi? Tertiò notentur ornamenta elocutionis, phrases, tropi, figuræ, amplificationes, affectus, incisa, membra, periodi; Observetur etiam quemadmodum nihil hiulcum aut asperum, aut ob vocalium, aut ob consonantium inter se concursum objeiatur: an naturæ ordinẽ sequantur verba, ut decrescat, vel assurgat oratio &c. Vide P. Masen. in Palæst. styli lib. 1. c. 5. Palatium Eloquent. Exercitat. 1. lect. 6.

§. IX. *De Connexione partium in Argumentatione.*

Difficultas quoq; est incipienti, ab una syllogismi parte ad aliam transire & transgredi;

pro qua tollēda servire poterunt sequentia, Explicata una syllogismi parte, ad assumptionem transitus fieri potest per has particulas, Age verò, jam verò: quid autem est quod &c, Quoties rationem ad majorem vel minorem ponimus, sicut & alibi, dum causa redditur, ut fit in confirmatione v.g. epistolæ, serviunt particulæ causales: etenim, enim, namque, quippe &c, Quoties autem aliquid inferendum, ut fit in conclusione & in epilogo, valent particulæ illativæ: Itaque, igitur, quare, quapropter, Quæ cum ità sint. Quoties plures ejusdem rei rationes afferuntur, prima profertur per enim, etenim: reliquæ sic: deinde, subinde, mox, præterea, Ad hæc, accedit, super hæc: Eodem pertinet, his finitimum est, illud nequaquam prætereundum. Cæterùm, porrò, demum, denique. Aliquando transitiones sumuntur ab æquali v. g. at erant hæc jucundissima, neq; minus voluptatis attulerunt illa: Interdum ab inæquali v.g. Sed hæc utcunque ignoscenda, illud verò quis ferat? vel audistis gravissima, audietis graviora. Subinde à contrario v. g. Sed hæc privatim gesta sunt, nunc quæ publicè. Hactenus quæ domi gessit, nunc quæ in castris. A diverso sic: de moribus habes, nunc de doctrina reliquum est, ut dicamus. Vel quasi per occupationem; jam ad reliqua properabimus, si tamen priùs illud unū adjecerimus. Vel per Correctionem. Verùm de his plus satis. Quorsum nos transversos abripuit dolor? ad rem redeamus:

quid

quid his immoror? ad id quod est hujus causæ caput festinet oratio. Vel à consequentibus. Habes quid in illum contulerim beneficii, nunc, quam gratiam mihi retulerit, audi. Quid pollicitus sit, expositum est, nunc quid ille præstiterit, accipite. Hæc sufficiant; plura qui volet, consulat P. Masen. in Palæst. Orator. lib. 1. c. 31. 32. 33. Palatium Eloquent. Exercitat. 4. lect. 4. puncto 5.

PARS QUARTA.

DE EXORNATIONE ARGUMENTATIONIS PER TROPOS ET FIGURAS

SEU

DE ELOCUTIONE ORATORIA.

HAc orator oratore non solùm est excellentior, sed nec orator dici rectè potest, si eâ destituatur; licèt enim amplè & copiosè res à se inventas deducat, tamen sermo ejus à Philosophi discursu, à scribentis historia, vel epistola non differet, si ornatu destitutus sit troporum, & figurarum. Oratio non solùm amplus & copiosus est sermo, sed & ornatus: hæc ejus præcipua differentia est. Unde & Tiro in hoc potissimùm labore occupandus, ut ornatè loqui discat, nunquam aliàs neglectum hunc compensaturus. Invenire ingenii exculti est, disponere judicii præmaturi, utrumque Philosophia perficit; Eloquentiæ Tironi hæc interim

Ma-

Magistri diligentia suggerit & suppeditat. Verùm in elocutione ut præstans sit, hic ei enitrendum est. Qua etiam ex causa in hujus partis expositione prolixior ero, ut obscuriora libri tertii apud Soarium loca, clariora fiant, & pluribus exemplis illustratæ, praxim juventuti reddat faciliorem.

CYPRIANI SOARII.

LIBER III.

EST autem (in genere loquendo) eloqui; rem aliquâ mente conceptam verbis exprimere *Oratoriè verò eloqui, est rem inventam & dispositam cum ornatu verborum & sententiarum explicare.* Unde elocutio potissimum consistit in ornatu troporum & figurarum simul cum numero oratorio. Indè cõsurgit aliquod dicendi genus ex tribus illis c. 51 libri hujus. Tria verò ad elocutionem consequendam præscribuntur media, 1. ars, id est, præcepta quædã circa tropos, figuras & numerum oratorium. 2. Exercitatio. 3. Imitatio. ad primum inserviet fusior libri hujus explanatio; ad secundum frequens exemplorum fabrica; ad tertium sedula troporum & figurarum in Auctorum expositione observatio. Quare explicatâ v. g. parte orationis in Cicerone indicãdi erunt tropi, figuræ verborũ, & sententiarum, incisa mẽbra, periodi, junctura &c. quod etiam in aliorum auctorum prælectione fieri poterit. Ad horum

rum facilitatem exempla infrà ponendi subservient.

Nota verò dum dicit Cyprianus Soarius, eloqui est omnia quæ mente conceperis &c. intellige, omnia quæ judicasti esse apta ut proferantur: omnes enim ineptæ, quæ occurrunt cogitationes & rationes, promi non debent. Dum verò dicit: promere, id est, pandere & manifestare, intellige sinè voce & gestu, alioqui elocutio pronuntiationem in se continebit, & sic non erunt quinque partes Eloquentiæ, quod est contra c. 7. lib. 1. Nisi dicat ab authore elocutionem hîc esse definitam prout vulgariter accipitur, non oratoriè, ut indicant verba, quæ sequuntur, & ad audientes proferre, quod sinè voce fieri nequit. Cæterùm quid elocutio oratoria sit, jam exactè definivit c. 7. lib. 1. Eloquens autem non inani solùm verborum bracteâ sibi plaudet (hoc enim loquaculorum est) sed necesse est, ut simul argumenta afferat, quibus intellectum convincat; ut autem libenter, & cum gustu audiatur, rebus & verbis delectandus est auditor. Ut verò dictione persuadeat, qui finis est Oratoris, voluntatem movere & impellere debet, quod amplificando efficitur. Unde liber primus de Inventione præsupponitur ad perfectum oratorem formandum; ad incipientem verò sufficit elocutio, sicut ad Tironem pictoriæ artis satis est, principio res ab alio æri incisas illuminare: nam & hic Eloquentiæ Tironi materiam illuminandam tropis & figuris offert ipse Magister.

Qua

CAPUT II.

Quæ in Elocutione spectanda sint?

Quod ante omnia in Elocutione observandum est velut fundamentum, est hoc, ut *latinè* loquatur Latinus orator, id est, ut latinis verbis, & latina syntaxi, ac phrasi utatur; neque enim linguæ confundendæ sunt, uti faciunt in lingua Germanica scioli quidam, immiscentes verba Italica, Gallica, Latina. v. g. gratuliren/ resolviren/ pariren/ respectiren/ parliren/ avisiren/ pardoniren/ archibuziren/ &c. quasi verè propria deessent, quibus uti possent. Sic item faciunt sectarii nostri temporis, latinis scriptis Hebræas, Chaldæas, Græcasque dictiones ad ostentationem peritiæ immiscentes. Aliud foret si verba latina non suppeterent, tum Græcis locus dari posset, nō tamen sine venia petita, quemadmodum fecit Tiberius Cæsar ad Senatum Romanum loquens, priusquam vocem græcam monopolium proferret; liberè tamen uti possumus, quæ usu jam recepta sunt, uti sunt egigramma, prosodia, chyragra, prodagra, hypotheca pro pignore, baptismus, Eucharistia, Rhetorica &c. Dicendū latinè

Alterum est, ut *planè* dicat, id est, clarè, & dilucidè, hoc enim per planum hic significari potest ex sequentibus, ubi dicitur: sed de ratione puri, dilucidique sermonis non est &c. ubi purum, ad puram latinitatem, dilucidum ad planum refertur. Et verò quod obscurum est, & obscurè dicitur, tantundem est, planè

ac si non diceretur aut scriberetur, quia à legente vel audiente non intelligitur. Quae causa D. Hyeronimus cùm Persium legeret nec intelligeret, in ignem conjecit, cùm jus sibi utilitatem videret nullam.

Tertium est, ut non sit contentus simplici verborum cortice, sed *ornatum* addat orationi, & splendorem. Est autem hic duplex, unus consistit in usu vocum, quæ minùs vulgares & in familiari alloquio usurpatæ, ut sunt: discere, cogitare, studere, pro his enim elegantiùs ponitur: operari, moliri, mente volvere, versari, literis operam dare. Alter in Troporum & figurarum usu. Ad priorem servit notitia synonymorum & phrasium, quas collegit Ald. Manutius, Buchlerus, Schonsleder, aliique ex Cicerone, & aliis probatis authoribus. Itè variatio thematis ejusdem per regulas syntaxeos minùs communes, ut venit doctum literas, vel docendarum literarum ergò, pro eo quod diceret, venit ut doceret literas. Item particulæ Turtellini, proverbia, cõparationes naturales & historicæ, ut vigilare ad Cleanthis lucernam, oleum & operã perdere, lepore timidior, asino pigrior, saxo durior, Therside deformior, Tullio eloquẽtior, alter Crœsus, alter Tullius &c. Et huic quidem ornatui operam dedisse oportuerat in syntaxi & Poësi, hîc per metrorum ex uno in aliud genus, ibi per solutæ, variationem. Si tamen id prætermissũ est, non inutile foret anni initio dictare multas ejusdem rei significationes, phrases, proverbia, elegantias syntacticas,

ticas, comparationes historicas, quibus habitis rem eandem vertant, atque aliter proferant. Item posset idem thema per varia carminum genera inflecti, faciet enim hoc, & ad notitiam metri renovandam, & ad copiam elegantiamque verborum comparandam. Proverbiorum alphabetum habet P. Masen in Palæstra Styli l. 3 c. 5. Indiculus autem Historicus ex Theatro Ravisii collectus materiam suggeret comparationum. Juvabit hæc docentem legisse P. Masen. in Palæst. Styli l. 2. c. 1. & 2 P. Balbinum in Quæsitis oratoriis parte 1. à quæsito 12. usque ad 15.

Ad alterum verò ornatum, qui in tropis & figuris consistit, acquirendum, juvabit, 1. dilucida & distincta figurarum notitia, deindè verò exemplorum copia ab ipsis Tironibus lectione vel cogitatione conquisita. Hinc rectè fit, quòd in poëtica facultate liber tertius Rhetoricæ explanetur, qui etiam principiò Rhetoricæ ante alios explicandus erit, tùm verò exercenda juventus in exemplis troporum & figurarum, quorum aliqua priùs lecta imaginationem & facilitatem dabunt ad alia excogitanda, quæ primùm quidem inconnexa ac disparata fieri possunt, posteriùs verò in unum aliquem discursum referri, ut infrà exemplum docebit. Inspici hic poterit, atque ad imitandum proponi P. Pomeii progym. 2. P. Masen. Palæst. Styli. l. 2. c. 5.

Quar-

Aptè

Quartum est, ut ornatus *accommodetur ad rem*, quæ tractatur, ut enim alio habitu vestiendus Princeps, alio Nobilis, alio Civis, sic & alio dicendi genere & charactere efferenda materia una præ alia: & sicut non omnia plena gemmis & ligulis esse oportet, licèt hæc ornamenta sint, ità nec omnia verbis exquisitis, tropis & figuris splendescere debent, at suo loco & tempore & subjecto. Quare præ oculis habendum c. 51. lib. 3.

Vitia Elocutionis.

Contra primum ex requisitis ad bonam elocutionem, peccant ii, qui peregrina vocabula latinæ dictioni immiscent. v. g. Bursa studentorum, cum tempore finstere noctis, gassatum fuerat mit geigen/lauten & harphis; hujusmodi sunt, posta, pistola, liberia, halaparta, quietantia, Burgimagister pro Consule, Scultetus pro Judice, fagotum, fletna, compagnia, cataphractura, regimentũ, salva Guardia, Gavalerus, authoritativus, grobianus, guerra pro rixa, pinta, bibale, &c. lancea & gaza jam usu recepta sunt: audientiam habet Cicero. His accensendi, qui contra leges syntaxeos, & Grammaticæ latinæ loquuntur, ut sunt, qui Græcorum regulis utuntur. v. g. certare parati, turbidum vel liquidum aëra, ludentem Orphea, vel Amphiona. Qui verò barbarismos aut solæcismos committunt, hîc prorsus rejiciendi sunt, cujusmodi est ille, qui scripsit. Salutem amicabilem & cordi-

alem,

alem, admodum doctissime Domine Landsmanne. Accepi vestram litteram, quã ad me misistis de Roma per Turnerum aliquem, qui quomodo vocabatur, jã super hoc non cogito; valde lætatus sum in corde meo, sed dolebat mihi, quod nullæ in ea erant novitates. Lætificavit me tamen iterũ liber intitulatus de Mirabilibus super se, quem mihi & uno Compatriotæ meo misistis, & postquam librum legi hinc indè, vidi, quod esset metricò & prosaicè compilatus, & multum in eo Græcum, quod ego non scio legere rectè, speculavi quidem supra, etiam brillam meam apposui, sed non tanxi, donec juvâsset me meus servitor: enim filios meos non admitto discere Græcum, quia postea erunt superbi, quòd plùs sciunt, quàm ego. Sed vos estis homo doctrinalis, in jure bene peritus, & habetis bonam practicam, & in Theologia, & sacra Biblia bonum fundamentũ, & itaq; opto vobis, ut doctrina vestra in mundo notificetur, & ideo dixi ad meos filios, ut vos totâ vitâ respectarent & venerarent, nam este magister, qui est doctus excellenter in Romana civitate, vadit cum magna gravitate, in Philosophia graduatus, in Theologia qualificatus, de his subtiliter disputavit, & multos syllogismos formavit in Baroco & Celarent, ita ut omnes admirarent. Ergo debetis eum honorare, atque reverenter salutare. Commendo vos Domino Deo, & sitis fortis sicut leo, pulcher sicut Absolon, prudens sicut Salomon, dives sicut Assuerus, Poëticalis sicut

Homerus,& ſanctus JoannesBaptiſta à Deo vobis impetret iſta. Datum ex Bononia in utopia.

Contra latinitatem delinquunt & ii, qui verba quidem latina uſurpant, & Latinorum more conſtruunt,ſed phraſim ſequuntur vulgarem. v. g. aperias mihi unum in fidibus; ſi non fregiſti pauperem in bis: quando jaculabantur ex partibus hoſtes,qui ceciderant in provinciam. Sic ſcripſit quidam. Debitam ſervitutem ſemper à parte ante. Non potui me ſatis mirari, quod tuus filius ſit nequaquam in pelle, ego non vellem eſſe in cute illius. Semper ſedet ad cereviſiam, & cereviſia illi ſtatim in caput aſcendit, libros interim permittit jacere; ſi ego ipſi aliquid dico, facit ſe mihi inutilem, licèt ego bene cum ipſo putem, Non debetis mihi habere pro malo, quod verum ſcribam, ad me enim ambulat ſcribere, quomodo res cum filiis veſtris cant. Sed in altero habete bonam ſperantiam, Magiſter laudat eum, & dicit, quòd plus ſciat quàm panem comedere. Multùm condiſcipuli tenent de illo, quando ante illum vadunt,omnes accipiunt pileum ante illum,& cum reverentia ſalutant: quòd cùm ego ſemel viderem,ità fui lætus, quòd ſaltavi præ gaudio. Volui & ego ſemel experimentum accipere, quàm valdè doctus eſſet,interrogavi eum:unde dicitur Mavors, & dixit,quod quaſi Mares vorans: unde Mercurius, & dixit,quaſi mercatorum curi-

us

us, quia habet curam pro eis. Quomodo jus habet in genitivo, & respondit: quando justitiam significat habet juris, quando autem jusculum, habet jutis, & allegavit Horatium in uno passu. Jus juris mando, jus juris in litibus pando. Ego vellem collum meum dare, si alius ità mihi respondisset. Ista pro hac vice, aliàs plùs scribam.

Ad puram latinitatem offendunt & illi, qui verba non accipiunt in propria significatione. v. g. sperare pro timere dolorem, promitto tibi quòd te puniam, pro minor tibi; antiquus homo, pro sene, senex quercus pro annosa; delere candelam pro extinguere; qui nubere, viro; ducere fœminæ attribuunt. Accuratum de vocum proprietate texuit catalogum P. Masen in Palæst. Styli l. 2. c. 2. §. 2.

Contra claritatem delinquunt, qui sensum & rem significandã verbis involvunt, omittendo circumstantias ad rei intellectum necessarias; ordinem præposterum in personis, locis & temporibus notando; amphibologiam & ambiguitatem sermonis non evitando; quis enim intelligat? authorne cædis Clodius, an Milo, si dicam: audio Milonem occidisse Clodium? quis colliget? Pyrrhusne, an Romani victores futuri sint, si oraculum dicat; affirmo Æacidem Romanos vincere posse. vel exiguum vidi leporem jugulare molossum. Item si sermo non incidatur scribendo, vel pronuntiando, ideo enim obscurum erat oraculum: ibis, redibis, nunquã

peribis. Et illud: si omnes consenserint, ego non ero contrarius. Obscuritatem etiam invehunt, qui longâ nimis verborum serie concatenatis utuntur periodis: nam priusquam sententia cum periodo, sensusque finiatur, jam priorum ægrè, ac forsan nullo modo recordatur, quod sensus nimiũ protractus sit: Eodem vitio laborant, qui ut doctrinæ, ac multiplicis sibi eruditionis famã pariant, de industria obscuritatem affectant, implentes orationẽ perpetuis allegoriis, aut continuis allusionibus ad fabulas, & antiquitates; quæ auditori ad quem dicunt, nec quidem per umbram cognitæ sunt. Hujusmodi est illud: (Inde de Æsopi puteo asinus? Lamiæ turres primùm videbantur ejus dicta; at postquam ad scamna productus est, non Hieram quidem fecimus, sed statim ac mappa missa est, qui Scipione militarior audiebat, visus est ficulneus, micas infercire, & peponem cordis loco habere. Ubi per lineam eandem diu seram reciprocavimus, tandem ille licèt Istro fallacior, Hypobrychium irrespirabile accepit. Quibus ultimis ex Græco periculum irremedicabile dicere voluit. Orationem integram huic fragmento similem require apud Causinum l. 2. c. 19. Allegoricam obscuritatem habet illud: Ludibriis ignaviæ torrentes exundant, & humanitatis multiformibus officiis retentabant, & fama rumorum nutrix maligna dispersit: Item hoc: Hyeme verò humus crustata frigoribus, & tanquam levigata, ideoque labilis, incessum præcipitantem im-

apud Causinum de Eloq. l. 2, c. 10.

impellit ; & patulæ valles per ſpatia plena glacie perfida, vorant nonnunquam tranſeuntes. Hæc ex Ammiano refert Cauſinus & improbat l.2. c.8. Obſcuritatem autem invehunt, quia frequens vocis in aliena ſignificatione acceptio, multiplicem exigit in auditore reflexionem, aliiſque intentum diſtrahit ab iis, quæ tum dicuntur, & ſua multiplicitate confundunt. Hinc P. Lauxmin in praxi orator. c.9. quæſt. 2. eos qui claram & apertam orationem exiſtimant eſſe rudem & ſimplicem ; illam autem eruditam ac ingenioſam, quæ habeat ſenſus abſtruſos, qui nonniſi à doctis intelligantur, contra lumen rationis pugnare affirmat; irrationabile enim eſt, velle loqui cum aliquo, à quo intelligi, aut nolis, aut non poſſis. Creato mundo mox Deus lucem creavit; ut fieret aſpectabilis hæc mundi formoſitas, ſine qua fuiſſet, tanquam creatus non eſſet. Removeat Orator tenebras, quas congeſtæ inducunt allegoriæ, aut eruditiones ; quibus orationem quidem exornat, ſed audientem onerat & fatigat aſſidua reflexione & conſideratione. Nolo audiroti loquatur apocalypſes, myſteria & ænigmata. Hæc ſacræ ſcripturæ propria ſint, eò quod nolit Deus arcana ſua cuilibet patere (neque enim margaritæ proijciendæ ante porcos) cùm nec homines ſecretas artes, & ſenſa cuilibet manifeſtent. Orator verò cùm perſuadere velit, loqui neceſſe habet, ut intelligatur, abſq; defatigatione & tædio auditoris. vide Cauſin. l. 2. c.28. Denique obſcuritatem ſectantur, qui

propositionem non faciunt, orationem non partiuntur, ac ipsa argumenta, orationisque partes disertâ transitione non distinguunt; non enim intelligunt auditores, quid dicturus sit, quid antè, quid jam sit probaturus.

Contra Ornatum delinquunt primò illi qui verbis quidem latinis utuntur, sed simplicibus, vulgaribus, & communi usu tritis (culinaria vocamus) rem suam exponunt: Hujusmodi exemplum ex Ciceronе refert Causinus l. 2. c. 11. nam ille hic ad balneas accessit, ad hunc postea dixit; hic tuus servus me pulsavit, postea dixit hic illi, considerabo: pòst ille convitium fecit, & magis magisque præsentibus multis clamavit. Hoc modo scripsit & ille: Valde miror vos venerabilis vir, quare mihi non scribitis, & tamen scribitis aliis, qui non scribunt vobis ità sæpe, sicut ego scribo vobis: si estis inimicus meus, quod non vultis mihi scribere, tunc scribatis mihi tamen, quare non scribitis, cùm ego semper scribo vobis, quamvis scio, quod non eritis mihi rescribere. Verumtamen oro vos præcordialiter, quod velitis mihi tamen scribere; & quando semel scripsistis mihi, tunc ego volo vobis decies scribere, quia libenter scribo amicis meis, & volo me exercitare in scribendo, ità ut possum eleganter epistolas scribere. Ego non possum cogitare, quid est in causa, quod mihi non scribitis, & tamen vellem libentiùs

tiùs vestras literas legere, quàm mel comedere. Hæc, & priora superiùs ideo retuli, ut juventuti prælecta & explosa horrori sint; interim autem stimulentur ad nitorem Tullianum, quem lectione, & imitatione assequi possunt. Hic quoque monendi adolescentes, ne sacræ scripturæ phrasim, sicut & aliorum divino spiritu afflatorum virorum, ut Thomæ de Kempis, contemnant. Hi enim libri non sunt scripti ad ediscendam eloquentiam, sed veritatem & sapientiam, ideoque hæc in iis quæri debet, non stylus & elocutio oratoria. Simplici charactere utitur Spiritus sanctus, ne homines cortice verborum delectati nucleum arripere negligant, interim latent gemmæ in conchyli deformi, & aurum argentumque in venis terrestribus. Cavendum est inquit Augustinus de doctrina Christiana l. 4. cap. 14. ne divinis gravibusque sententiis dum additur numerus, pondus detrahatur; quod si numerus detrahit, quid ni ornatus? jacet enim sensus in oratione, in qua verba laudantur inquit Quintilianus l. 8. in proœmio. Senec epist. 4. Quæ veritati operam dat oratio incomposita debet esse, & simplex. Exempla styli humilis refert Causinus l. 2. c. 11. in fine ex S. Francisco &c.

2. Contra ornatum delinquunt, qui nitorem quidē verborum & phrasium sectantur, sed tropos & figuras negligunt, quibus potissimum efflorescere debet oratio, ut distinguatur ab ea, quam Philosophus aut scri-

ptores alii conficiunt Hic verò defectus indè naſcitur, tùm quod eas ignorent, tum quòd uſum earum habeant nullum. Indè prou jam ſuprà monui, per quàm utile eſt tertii libri explanationem præmittere ante libri primi, vel ſecundi expoſitionem, ut ante omnia notitiam figurarum & troporum habeant: deinde verò exemplis allatis uſum patefacere, ac demum imponere, ut exempla alia ipſi ex ſe afferant, quæ primùm quidem libera & connexa eſſe poterunt, nè eorum defectum patiantur nondum exercitati; tum verò aſſignari poteſt materia certa, circa quam non tantùm exempla exprimant, ſed & diſcurſum forment continuum (cujus rei exemplum infra dabo) hoc enim, & judicium excolit juventutis & ingenium, ſimulque ornatum parat eloquentiæ.

In quartum, id eſt aptitudinem peccant, qui ornatum rebus & perſonis non accommodant, verùm rem quamvis omnigeno eruditionis apparatu, ac verborum flore exornant, & veſtiunt: tumere omnia & turgere metaphoris, & allegoriis, inflari ōnia figuris neceſſe habent, alioqui ſe in ornatorum numerum referendos non exiſtimant. Ecce enim, & ſtylo ſeſe efferunt in unius Veris deſiderio. Reſurge florida florum mater Flora! roſeta, quæ vel purpureus innocentis Adonidis cruor verecundum tinxit ad ruborem, velcaſtum telluris uber, decidua lactis nive albicantem coloravit ad candorem, explica, retexe; jam jam calveſcenti vertici annulatam

rur-

rursus virentis cincinni seu cæsariem, seu torquem, argenteo roris vellere gravidum, incircina, aut intorque: age sis speciosum Apollinis colluforē hyacinthum, augusta Regum nomina sua saphyrino livore adumbrātem, ad floridam vitam resuscita, stellatā suæ formæ victimam, narcissi defunctam animā reciprocante odoris halitu rex anima; ex cordato liliacei bulbi triangulo, in perpendiculari scapi smaragdo eburnea torna lilia, inter nativa labyrinthorum peristromata, floreo discolorum colorum penicillo, gaudentis naturæ vultum effigia, atque volumē amœnitatum omnium, in quo tota in florē contracta polorum legatur formositas pandere, proferre, exordiare. Ne verò soli in amore duces oculi venustā, quâ oblectentur habeant speciē, huc huc dulces aurium titillatrices, canoræ nemorū sirenes; pars implicata frondiū āplexibus, pars explicata campis patētibus, advolate, bifidum rostrelli cornu in omnigena modulamina depectite, discriminate, diverberate: jam vocis supremum artificii fugâ conscendite, jam in descensu mæstum singultum trahite, jā sonos minutatim scindite, in canora puncta distinguite, modulorum argutias in cincinnulos concinnate, ductum celerrimè spiritum veluti pennis in sublime librate; mox aut ad ima devolvite, aut retrorsū à medio cursu reprehēdite, prorsum versum antè expectatum premite, sistite, revocate, circumagite velut turbinem, nè tā ore & rostro, quàm torno vibratum rotun-

datumque percipiamus. Consulite hîc dul-
cedinis satietati duritate blandissimâ, vocem
improvisâ demissione introrsum flectite,
exultantem cantûs hilaritatem fractis iden-
tidem numeris, quasi mæstitiâ temperate,
sonum denique illidite, implicate, suspen-
dite, variate, producite, suspiriis, trepida-
tione, tremulis, modulatione, concentu, ple-
nè, graviter, acutè. Adesto igitur Chloris,
tædet enim humum algentem pruinoso pa-
ludamento investitam, in niveos floccos ex-
plicatam ampliùs intueri. Adeste volucres;
piget enim rigidissimo Boreæ flatu strepen-
tem audire. &c. Ubi amabò in universo Ci-
cerone condensata hujusmodi troporum,
selectorumq; verborum farrago? an Tullius
tam nitidè excolere orationem suam non va-
luit? valuit equidem, at non voluit: hoc enim
est obumbrare dictionem, quam oportet esse
dilucidam, hoc fucũ est facere auditoribus,
hoc illinire stibio eloquentiæ faciẽ, quæ cu-
pit esse nativa, artemq; habere ac decorem;
sed ut neque ars appareat, neq; decor studio-
sè quæsitus sit. Verborum cura inquit Quin-
tilianus l. 9. c. 3. in fine, derogat affectibus fi-
dem, & ubicunque ars ostentatur, veritas
abesse videtur & in principio dicit: quòd si-
cut verborum exornationes vulgaris sermo-
nis fastidium levant; ità suâ copiâ satiant, &
sicut si quis parcè iis utitur, sunt condimẽto;
ità qui nimium affectaverit, ipsam illam grã-
ciam varietatis amittit. Omne quippe nimiũ
vertitur in vitium. Sed nimirum pueri sunt hu-
in

in eloquentiæ palæstra, quibus ut luxus arridet in vestitu, in cibo dulciaria, sic in oratione luxuries. Prudentibus ostentatio hæc esse videtur & affectatio, quæ non potest non displicere, nec æstimationem parit, sed animi levitatem & exilitatem judicii, atque artis indicat. Qui narratiunculas rerum viles, inquit Causinus l. 2. c. 11. verbis Juliani loquens, & contemptas, orationis suavitate ornare atq; expolire student, aliquando magis ridiculi sunt, quàm qui in tornando milio operam ponunt, & opellarum fabricati minutias, quasi vetus ille Myrmecides audent adversus Phidiam (dico ego Ciceronem) operum majestate præstantissimū decertare. Ità ibi. capite autē nono ampliùs hoc genus loquendi exagitat, ubi stylum hunc affectatum taxat fusiùs in Ennodio. Inter alia sic ait: At dices: pulchræ sunt metaphoræ; sed & pulchrorum modus est. Melleæ sunt; & mellis suavitas affert satietatem. Gemmeæ sunt; distinguant igitur opus non obruant &c. Addo judicium Lyricorum hoc sæculo principis, ex præfatione ad vanitatem mundi nu. 11. Certum videri, dari etiam studiis contrarios, qui suam musam non amant, nisi eam instar Zenobiæ grandibus gemmis onerent, laborantemque & prægravatam in triumpho ducant Aureliano. Sed an non stibium, & cerussa, & timiditas animi, & forma naturalis attrita pariunt fastidium? enitendum tamen Vati, subdit numero sequenti: ut quæ profundit, inter elaborata censeantur, quæ elaboravit, profusa

vi-

videantur. ità ille. Sed hoc artis est, artem ipsam dissimulare. Denique concludo cum Quintil. l.12. c.10. Falluntur plurimùm, qui vitiosum, aut corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentiâ resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit; aut immodico tumore turgescit; aut inanibus jocis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, floscu-lis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insânit, magis existiman populare atque plausibile. Sic ille. Hæc prolixiùs adnotare placuit ad detegendum multorum hâc ætate fastum, & errrorem in comenda exquisitè nimis oratione. Cæterùm incipientibus largissimè hæc styli luxuries indulgeri potest, ut copiam sibi, facilitatemque comparent, quam ætatis progressu sinè difficultate attemperabunt assidua M. Tullii lectione, & imitatione. Unde prælegi poterunt, aut etiam ad imitandum proponi Styli luxuriantis exempla ex Nucleo Rhetorico Sultzbachii edito parte 3. aut in defectu hujus, ea quæ ex Ennodio refert Causinus l.2. c.9. maximè autem c.21.

* *
*

CA

CAPUT III.

De Ornatu.

Quatuor ad Elocutionem oratoriam requisivit Soarius cap. præcedenti; sed duorum priorum notitiâ jam præsupponit ex Grammaticæ institutionibus: ad Rhetoricæ verò doctrinam solùm spectare, ut Orator combibat dicere *ornatè*, &, ad id quod agitur *aptè*. Hoc ut assequatur de utroque imposterum acturus est. Et de ornatu quidem ab hoc capite usque ad caput 51. ad ornatum enim spectant tropi, figuræ, collocatio verborum, & numerus oratorius. Abhinc autem tractat de adaptando, & conformando ornatu ad materiam, prout majorem vel minorem exigit. Et præsenti quidem capite docet, quid requiratur ad ornatum in genere, & universaliter acceptum, nempe gravitas, suavitas, eruditio &c. nam hæc non sunt *singulorum articulorum*, id est, non est opus ut hæc in qualibet orationis parte, aut qualibet periodo reperiantur, sed sparsim & hinc indè diffusa per orationem, in una v.g. parte eruditio, in altera suaviras &c. Universim igitur solùm requiruntur, eò quòd vividam faciant orationem, & succo plenam, eamque variis velut coloribus distinguant, & exornent, ut picturam aliquam: sinè his autem exucca, straminea, & insipida, lurida & deformis manet. Est autem oratio *gravis*, quæ levitatem

in

in rebus & verbis fugit; ut sunt argumenta parvi momenti, acuminella puerilia, lusiunculæ in verbis fugit; ut sunt argumenta parvi momenti, acuminella puerilia, lusiunculæ in verbis, affectatæ figuræ &c. *Suavis* quæ res gratas, verba lenia, non aspera, fluxum non hiulcum, sed lenem, modumque proponendi res invisas artificiosũ sectatur. *Erudita* est, quæ historias, fabulas, antiquitates &c. involvit, quod uno aliquando verbo fieri potest v.g. cornicum oculos configere, ubi allusio est ad proverbium. *Liberalis* est, quando nec in rebus retexendis, nec verbis est parcus orator, nõ utendo semper stylo arguto, & inciso, sed etiam circumscripto. *Admirabilis* est, quando res novæ, ac raræ recensentur, aut antiquæ inexpectato ac novo modo proponuntur, quò etiam acumina, ac inventiones ingeniosæ pertinent. *Polita* est, quando tropis, ac figuris exculta, & non ex tempore fusa, sed accuratè elaborata, & limata est. *Sensus & dolores* habet, quando affectibus suo loco & tempore accommodatis animatur. Est enim hebes illa oratio ut Quintil. ait l. 8. c. 3. in qua nihil est acuminis; sordida, in qua nullus nitor, nullus sermonis cultus & elegantia; sterilis & jejuna, quam nulla dicendi ubertas & copia eloquentiæ ornat & dilatat. qualis imperitorum est ārte carentium; subtristis quæ nihil habet lætum, nihil floridum, quo capiat auditorem, ingrata, quæ nihil suavitatis, & jucunditatis præsefert. Vilis denique, in qua nihil dicitur accuratè. Ut autem constet, quan-

tum prædictis virtutibus implenda sit, nè plùs vel minùs in earum usu peccetur, priùs prævidendum, quod genus dicendi conveniat materiæ, quam tractamus: an genus tenue, an mediocre, an sublime, de quibus cap. 15. Universim autem hoc attendendum, quid quàm maximè placeat Auditoribus, ad quos dicturi sumus. In quo tamen ipso cavendum, nè quid nimis, nè satietatem, & fastidium ipsa rerum dulcedine pariamus. Hoc innnitur verbis illis: *Genus igitur dicendi eligendum est* &c. Ex dictis colliges necessariam esse Oratori suppellectilem, & copiam rerum, ac verborum; debet enim & res, & verba affere, gravia, erudita, suavia. &c. Verborum copia nascitur inter alia ex rerum copia, ut enim inquit Horatius in arte.

Verbaque, prævisam rem, non invita sequentur.

Rerum autem copia lectione, & annotatione ex libris, qui res & sententias graves, eruditas, suaves & admirabiles continent, ut est Seneca, Plinius uterque, Plutarchus, Florus &c. Hîc de modo legendi & excerpendi Tironibus dicenda aliqua ex P. Francisco Sachino, qui libellum hac super re edidit. ex Palatio Eloquentiæ, exercitatione 1. lect. 6. P. Balbino, Quæsito 6. Masen, in Palæst. Styli à cap. 4.

* * *

CA-

CAPUT IV.

De Ornatu Orationis.

Priori capite dictum est de ornatu in genere, qui consistit in rebus, & verbis: hic jam de ornatu magis in particulari agere aggreditur, qui in solis verbis consistit. Possunt autē verba considerari dupliciter, vel quodlibet seorsim & secundum se; vel prout conjunctum cum aliis sensum, & constructionē efficit Hæc vocantur conjuncta, & continuata, illa verò simplicia. De verbis conjunctis agit incipiendo à tropis sermonis c. 17. usque ad numerum oratorium. De ornatu autem qui est in verbis singulis, & seorsim acceptis ab hoc capite usque ad allegoriam; verba enim seorsim & secundùm se considerata, aut sunt *propria*, id est in propria significatione accepta, aut *translata*, id est à propria significatione in aliam traducta, unde dum agendum est de ornatu in verbis singulis, de utrisque dicendum est. Et primò quidem de iis, quæ in propria significatione accipiuntur, quorum aliqua illam habent unà cum rebus natam, alia verò posteriùs, & de novo acceptam, alia denique penitus amiserunt, & hæc vocantur prisca & inusitata, sicut priora dicuntur Nova & Novata. De his omnibus tractabit hic Auctor, & 1. de iis, quæ primam & veterem significationem tetinent.

2. de

2. de iis, quæ illam perdiderunt. 3. de verbis novis; denique de verbis translatis.

CAPUT. V.

De Verbis simplicibus.

Verba simplicia (id est quæ secundùm se seorsim considerantur, non composita & conjuncta cum aliis in constructione) aliqua naturâ suâ sunt *consonantiora*, id est *majorem sonum* habent; alia *grandiora*, id est, *majorem significationem*; alia *nitidiora*, id est *pulchriora* & gratiora quoad sonum & significationē. Consonantiora sunt, moliri, triumphare, luctari, obsecundare, quàm facere, vincere, concurrere, parere. Item Orator, Imperator, Numen, quàm eloquens, Cæsar, Deus. Sic consonantiùs est, si dicas, dominatrix animi cupiditas, quàm si dominam dicas; regnatorem Asiæ, sonum habet majorem, quàm si dixisset Virgilius, Regem Asiæ. Fiunt autem vocabula *sonantiora* ob certas vocales v.g. a. o. u. & concursum consonantium, ut patet ex illo Virgilii:

Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras.

Tale est illud, cui etiam longitudo syllabarum, & dictionum sonum auget:

Conturbabantur Constantinopolitani
Innumerabilibus sollicitudinibus.

Grandiora sunt sacrilegus, immanis, trucidare, quàm fur, magnus, occidere; plus enim significant: nam per hoc grandiora distin-

guuntur à consonantioribus, quod ampliorem & majorem habeant *significationem*, & non tantùm *sonum*. Unde huc referuntur *superlativi* pro positivis usurpati, ut Cicero pro lege Manilia: quanquam mihi frequens conspectus vester multò jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus est visus. Item *composita* pro simplicibus accepta, ut permovere, excruciare, pertractare, pro movere, cruciare, tractare *Nitida* sunt, bos sus, sentina respectu horũ, vacca, porca cloaca; habent enim asperum, distortum, & ingratum sonum: hac de causa infrà c. 33. certa junctura verborũ requiritur; ut enim syllabæ è literis meliùs sonantibus clariores sunt, ita verba è syllabis magis vocalia, & quò plus quæque spiritũ (in pronunciando) habet, eò pulchrior: & quod facit syllabarum, idem verborum quoque inter se copulatio, & junctura, ut aliud alii junctum meliùs sonet. Sed de hac suo loco. Cæterum universim de verborum delectu loquendo optima ex simplicibus sunt, quæ aut maximè exclamant, aut sono sunt jucundissima, v.g. Tu tu mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo reddidisti. Verùm notandum hîc: quod, quemadmodum non quævis vestis cuilibet corpori habilis (neq; enim gigantis veste induendus pumilio, v.g. Saulis loricâ David pusillus) ita nec quævis verba grandia, aut consonantia quocunq; loco usurpanda *materiæ modo concernenda*, & aptanda sunt, ita ut rebus parvis non accommodentur gran-

grandia, vel consonantiora; rebus autem magnis non vilia, & humilia: quod enim suô locô magnificum, ad rem exilem applicatum, tumidum erit, & fastosè inflatum; & sicut in oratione nitida humilius verbum, est velut macula, ità à sermone tenui sublime, nitidumpue discordat, ut si voces Jovem regulum, vel Imperatorem Dominum. Rebus accommodata sunt hæc verba:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Quippe rem grandem sonoris, & gravibus verbis expressit. Rectè & ille cursum fluentis aquæ descripsit in hunc modum: scaturientis aquæ venam uberiorem, si libero, faciliq; alveo sinas excurrere, manante jugi fontis perennitate, ut est ejus natura mollis, & lubrica, per immensas camporum declivitates, fluit unda volubilis, elabiturque longissimè, aptè enim celeritatem fluentis aquæ decursumq; repræsentat oratio. Excellit hoc in genere Virgilius; sic enim ille:

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum:
Indè ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
Haud mora prosiluere suis, ferit æthera clamor.

Ubi vides oculis quodammodo cursum equi, tubæque sonum, ac militum concursum acceleratum subijci. Idem alibi tumultum ac viri gravis adventum accommodatè sic expressit:

Jamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat.
Tum pietate gravem ac meritis, si forte virum quem
Conspexêre, silent, arrectisque auribus adstant.

Monosyllabum *quem* in fine positum, vitiosum non est, sed ad gravitatem exponendam positum, sicut in illo: *procumbit humi bos.* Quæ vox non tam rem dicit, quam oculis exhibet. Ex eodem Poëta suavissimum fertur illud esse:

Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

Furiosissimum illud:

Flectere si neque superos, acheronta movebo.

Eodem artificio elaboratum est hoc in fulminis descriptione.

laceratæque nubes.
Succumbens boat horrendum, & cava nubila solvens
Fracta fragor, crepitusque caduca tonitrua torquens.

In qua crepitus, & fragor fulminis exprimitur asperitate verborum: *fracta fragor, crepitus.* Tale est illud Ennii:

At tuba terribilem sonitum taratantara dixit.

Notandum 2. sordidis & turpibus in honesta oratione, seu ad honestos non esse locum:

cum : vir enim honestus,& gravis esse debet Orator,non scurra aut levis : talem autem animum significant scurrilia & fæda verba ; talis enim vir,qualis ejus oratio. Indè fæditates illæ Tibulli,Propertii,Nasonis &c. Sunt autem sordida,& turpia non solùm,quæ castitati contraria , sed & quæ bonis moribus, & honestati repugnant: quô casu , si earum mentionem fieri sit necesse , priùs venia petenda,aut circumscriptione utendũ. Sic pro inquinato vocabulo, quô usus est Martialis, Cicero meliùs expressit per detractionem confect',consumptique cibi:& ille,qui dixit, facere ea quæ edentes, & bibentes cogit necessitas. Nolo dici,inquit Cusinus l.7. c.14. morte Africani castratam esse rempublicam. Nolo stercus curiæ dici Glauciam , quamvis sit simile, tamen est utrobique deformis cogitatio similitudinis.

CAPUT VI.

De Verbis inusitatis.

Verba inusitata sunt , quæ ampliùs in usu non sunt , sed exoleverunt,ac vetustate suâ rubiginem contraxerunt ut ferrum ; qualia sunt illa Plautina:olli prò illi,vorsus prò versus præpositione,Induperator pro Imperator,linquere,pro relinquere,potis est pro potest,oppidò pro valde,pauperare pro pauperem facere, ipsissimus apluda , pro furfure; empsitare titilivitio. id est,filo putido,bovi-

nari pro tergi versari, assulatim pro minutatim, pappare pro comedere, dispatescere pro palam facere, missiculare literas, pro frequenter mittere, adjutare, spicere, amasso, averrúcare, hypobrychium irrespirabile, pro extremo periculo, in quo omnis emergendi spes adempta sit: substillum pro aëre nubilo, in quo stillat, salpictæ pro tubis &c. Vide Eilhardi Lubini antiquarium. Hæc & his similia Oratori cavenda sunt, quod non intelligantur hoc tempore. Quis enim intellexerit hoc? Confluges campum inhumigant, hi altum ocrim (id est collem) ascendunt, & florem antlabant (id est bibebant) liberi ex charcheſiis. Item hæc: Leviso mnamitis sonorinas imagines adfatur, nõ umbrantur somno populæ. Talia sunt apud Accium & Nævium illa: Vagent ruspantes sylvas sextam tesseras: non hercle apluda est hodie, quàm tu nequior, bilbit amphora: buttubata, concipilasti item illa: buccularum cumlatione sacrivoces, & quæ ex reconditis trahit aruspicina nugis, plaseos, polimina, fendicas, magmenta proficias. Plura vide in antiquarii, contra Ceronem, oratione apud Causinum l. 2 c. 19. Simili oratione usus magno omnium risu Causidicus fertur apud Gellium; is enim cùm significare vellet inopi, miseroque victu vivere quempiam, & panem esitare furfureum, vinumque eructum, & fœtidum potare: hîc inquit, Eques Romanus apludam edit, & flocces bibit. Aspexerunt omnes qui aderant, alius alium tristiori primùm, & tur-

bato vultu quidnam illud verbi utriusq; foret, requirentes, mox in risum soluti omnes, quasi nescio quid Tuscè aut Gallicè dixisset. Alter cùm adversarius causam deferri postularet, rogo Prætor, inquit, subveni, quoniam usque nos bovinator hic demoratur; atque id voce magnâ ter, quaterque inclamavit bovinator. Commurmuratio facta est à plerisque, qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus: at ille, non enim, inquit, Luciliũ legistis, qui tergiversatorem, bovinatorem dixit? His inter alia documentum dat Causinus ex Phavorino, & Seneca; vivemoribus præteritis, loquere verbis præsentibus. Poëtis hæc liberiora, ut patet ex Virgilio, quibus etiam verba illa, & locutiones, quæ propriè Poëticæ sunt, relinquenda, ut sunt patronymica, Christiades, Christicolæ, Romulides, Anchisiades &c. & illa Amiani: cùm primũ aurora surgeret, universaq; videre poteram, armis stillantibus coruscabant, ac ferreus equitatus campos opplebat, & colles. Item Apuleii: ut primùm tenebris adjectis dies inalbebat, & candidum solis curriculum cuncta collustrabat &c. Fac pedes inquit Causinus l. 2. c. 8. quid sunt isti nisi carmina, eaq; prætumida, & ubi Poëta ephithesis densior aut verbis tumidior? Hac ex causa taxat stylũ Sidonii, & Ennodii. Prioris exemplum affert hoc. Jam sol adultus roscidæ noctis humorem radio crescente sorbuerat, bestialium, rigidarumque nationum corda

cornea, fibræq; glaciales intepuerant, cùm sermonis Celtici squamam depositura nobilitas, nunc oratorio stylo, nunc camænalibus modis imbuitur. Posterioris hoc: Interea, dum anceps esset fortuna certaminis, & pennatæ morres sibi æthera vendicarent, tellus concita tremuit concussione cornipedum. Excepit te sonipes lituorum desiderii inquietus, & lancearum imber cœlum obtexit. Addit unum ex Tertulliano. Lariſſæus ille heros apud Rupicem, & sylvicolam, & monstrorum eruditorem scrupei scholâ eruditus. Unde fas est colligere, inter verba inusita reponendas esse non solas phrases poëticas, sed & epitheta, ut horrisonus, roscidus &c. *Nota* tamen, habere aliquando gratiam verbum Poëticum, si rarò, & suô locô adhibeatur, quod idem de obsoletis, & priscis intellige: ut sunt effari soboles, nuncupari; in referendis autem veteris juris formulis, & sententiis omnino retinenda sunt, ut suspenduntor, capite plectuntor. Deus optumus maxumus &c.

* *
*

CAPUT VII.

De Verbis novis.

Ut novitate rerum in veſtitu, cibo, aliiſq; delectantur homines leviſſimi, ſic & verborum. Ita Dionyſius Tyrannus non contentus communi vocabulo, virginem, expectativiram; columnam, volidipotentem dicebat, quod hæc valida perduret, illa virum expectet. Murium verè Latibula, myſteria appellabat. Nec ſanioris judicii Alexarchus, qui inter alia verborum genimina, gallum manicinem vocabat, quod manè caneret. Irrepſit hæc licentia in noſtram quoq; ætatem, quâ ſinè numero propè infelix verborũ lolium ſuccrevit: ut ſunt, bibale, gratiale, honorarium, poſta, arreſtum indicere, voiſare, ſtultizare, gallizare, caluppare, compagnia, regimen pro legione, ſacriſtia, ſacellanus, capucium, capucinus, calepodia, quadratus, altiſta, tromboniſta, componiſta, brazeta, fagotum, viola gamba, tocca, nonna pro moniali, robota, taxa &c. ut taceam, quæ apud Philoſophos, Medicos, Juriſtas, Theologos quotidiana ſunt, entia & entitates, quidditates & formalitates, replica, triplica, quæ paſſim excuſat neceſſitas, & locutionis proprietas. Cæterum hæc Oratori remis, veliſque ſunt fugienda, ut pote cui loquendum cum Tullio, & aliis Romanæ linguæ cultoribus,

bus, de quibus Masen. in Palæst. Styli l. 1. c. 6. Quia tamen progressu temporis res novæ inventæ sunt, quarum notitiam cum linguæ latinæ Principes non habuerint, ut nomina inderent, acceptanda sunt nova nomina ut: typographia, tabacum, cerevisia, czoculata, lyripipium, bombarda, sclopus &c. idque in rebus sacris, quàm maximè ut: incarnatio, passio, assumptio, Trinitas, baptismus, missa, offertorium, Papa &c. Nam & Romanorum florente linguâ, nova aliqua efficta sunt, & si iidem hoc vixissent tempore, alia addituri fuissent. Vide P. Masen. in Palæst. Styli l. 1. c. 10. §. 5. ex P. Edm. Campiano. Tempore Ciceronis, novæ voces erant *favor & urbanus*, *declamare* primus dixit Cicero, *obsequium* Terentius. *materia* non adeò usitatum ætate Tullii, uti nec *materiatus*: *piissimum* autem prorsus inauditum. Fabricæ, musicæ, agriculturæ nomina, à suis inventoribus inchoata. Messala primus dixit reatum, Augustus munerarium. Armilustrium pro diribitorio, sicut & armistitium jam recepta videntur. Potest tamen evitari omnis in fingendis novis necessitas, si circumlocutione seu periphrasi utamur: ut si Calviniſtam, aut Lutheranũ voces, Calvini aut Lutheri sobolem, aut assecla. Capucinum S. Francisci è tertio ordine sectatorem. Papam, Christi in terris Vicarium, aut summum divinorum Præsulem. Vocare, in tertia persona, aut plurali numero honoris causâ aliquẽ compellare &c. Quod si tamen vulgari nomine rẽ explicare libeat, id-

idipsum addi potest ad præmuniendas Auditoris aures, v.g. Religiosi, quos vulgus de capucio nominat. Clericus, quem à sacelli vel Capellæ ministerio vulgus indigitat. Ut cum Philosophis loquar essentiam, ut à Jurisperitorum formulis non recedam, intabulatum est, protocollatum est, dicam Græcè, quò meliùs dicam, anthropophagi, antipodes, &c. *Porrò si nova fingenda sunt, fieri id potest uno ex quatuor modis.*

Primus est ad similitudinem vocabuli jam recepti, sicut natum est syllaturit, id est, syllam desiderat, ad similitudinem cænaturit; sic nupturio, empturio, equizo ad similitudinem agazo, galizo ad similitudinem patrizo. Sic sessito ad similitudinem mussito &c. ad similitudinem virescere, natum est crassescere, ditescere, ad similitudinem laureatus, nummatus, barbatus, pileatus, ocreatus, larvatus, personatus; correspondentia ad similitudinem audientia, quod habet Cicero.

Secundus est ad imitationem, quando scilicet vox nova formatur non ad similitudinem alterius *vocis* (hoc enim habet primus modus) sed ipsius *rei*, quam significat; unde huc spectant metaphoræ, quæ necessitatis causâ fiunt, sic vestis sacerdotalis dicitur alba, iris, arcus cœlestis, instrumentum musicum, tuba marina, tormentum, fistula ænea, propter similitudinem unius rei cum altera, sic aurum streperum, cœlestis color, &c. Quanquam hæc vocabula non tam nova, sunt, quàm potiùs res ipsa, unde solùm aliam significationem ad priorem acceperunt.

Po-

Potissimùm igitur ad hunc modum referuntur onomatopæiæ, id est, voces quæ de novo finguntur ad similitudinem *soni*, quem res habet, ut sunt bombarda, bombus, coaxare, boare, sibilus, de quibus in onomatopæja pluribus.

Tertius modus fit inflexione, id est, derivatione unius vocis ab altera usitata v.g. Deus trinus, in personis, à voce tres, Trinitas, à voce trinus. Incarnatus à carne; Dominica, à Domino; Quadragesima à quadraginta; quadratus à quatuor; Nativitas à natus; passio à pati; humerale ab humero, manipulus à manu &c.

Quartus modus est adjunctione. Id est, compositione, quando scilicet duo usitata vocabula conjunguntur, & componuntur in unum, ut pyrobolus, multiloquium, cerevisia, podagra, chiragra, typographus, tergiversari, collipendium, saxifragium, lucifuga, florilegus, duellum, funambulo, muscipula, paniperda, ceroplasta, iconoplasta, Leopolis, Neapolis. Sic incurvi cervicum pecus est apud Lucianum, sed duriùs effictum: quod oratori non permittitur, nè aures offendat. Quòd si tamen rem se meliùs expressurum existimet, præmoneat auditorem, asperitatemque molliat petitâ veniâ. Poëticis tamen abstinendum, ut sunt mare velivolum, navigerum, terrificum, fluctivagum, multijugum, belli potens. &c.

CA-

CAPUT VIII.

De Tropis seu verbis translatis.

Verba translata Tropi dicuntur, quos aliqui sic definiunt: *Tropus* est mutatio dictionis ab eo loco, in quo propria est, in eum, quo propria deest; sed malè: quia Tropi *non tantùm* fiunt *necessitatis causâ*, seu quando vox propria deest, sed etiam *delectationis ornatûs*, & *varietatis causâ*, nè idem semper verbum in orationis decursu ponatur. Meliùs igitur definitur, quòd sit: *Verbi vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* Unde ad rationem Tropi *requiritur* 1. *ut vox*, aut constructio non accipiatur *in significatione* quam aliàs habet ex institutione, & conventione hominum, seu usu communi, & vulgari, sed ponenda est in alia, quam ex se non habet. Dixi *in significatione*: non enim satis est, ut una vox ponatur pro alia, v. g. papa pyrus pro charta, janua pro porta; sed mutanda est significatio in aliam. 2. *requiritur*, ut quoties mutatur significatio, id fiat *cum virtute*; non enim licèt temerè *quid* pro *quo* ponere, cœlum pro terra, terram pro sylva, sylvam pro aqua: quis enim intellectu assequetur, quid velis? *Fit autem cum virtute*, quando fit aptè congruenter & convenienter. Id est, *quando est aliqua convenientia, connexio, relatio, & dependentia inter illa duo*; si enim illa desit, non est ratio ac fundamen-

mentum, cur una vox ponatur pro altera: unde connexio illa est medium, per quod ab uno extremo ad alterum fit transitus. Desumitur autem *Connexio illa* ex locis Rhetoricis v. g. *Partium distributione*, *Genere*, & *forma*, *Similitudine*, *Contrariis*, *Adjunctis*, seu *Attributis*, *Antecedentibus*, *Consequentibus*, *Causa*, *Effectu* & *Comparatione*. *Metaphora* fundatur in relatione similitudinis, sicut & *Catachresis*, *Onomatopœja* & *Allegoria* ex parte; differunt tamen hi Tropi inter se *quo admodum* saltem, si non quoad rem, & ex toto: nam in *Metaphora* debet esse *similitudo perfecta*, & *propria*, in *Catachresi minùs perfecta* & *minùs propria*, in *Onomatopœja* est similitudo non rei unius cum altera, quemadmodum fit in duobus prioribus, sed *similitudo vocis de novo fictæ*, *cum sono* quem res naturaliter habet. v. g. murmur, sibilus. In *Allegoria* autem est *similitudo* non simplex, uti fit in Metaphora, sed *composita* & *multiplex*, in quantum est continuata metaphora, in quantum autem etiam *contrarium* significat per *Ironiam*, fundatur allegoria in loco *contrariorum*. *Synecdoche* fundatur in partium distributione, genere & forma, antecedentibus & consequentibus: nam pars refertur ad totum, totum ad partem, & unum cum altero connectitur ab eoque dependet: sive jam sint partes physicæ ut puppis, sive morales, ut unus pro pluribus, sive metaphysicæ, ut Genus & for-

forma: *In Metonymia* est relatio causæ ad effectum, adjuncti ad rem suam, seu accidentis ad substantiam. In iisdem fundatur *Antonomasia*, sed excellentiori modo: debet enim effectus causæ vel attributũ aliquod non simpliciter, sed *per excellentiam* rei convenire. *Metalepsis* eandem connexionem, & dependentiam requirit, quam habet Metonymia, sed alio modo: debet enim in Metonymia esse immediata, in Metalepsi *mediata & per plura gradatim eundo*. *Hyperbole* habet comparationem, dicit enim plùs vel minùs, quàm sit in re. *Periphrasis* propter *multa & unum* (ponit enim multa verba pro uno) spectat ad adjuncta, sicut & Hyperbaton propter ordinis mutationem accidentalem. Hinc patet, rectè defendi posse *Tropos numero esse undecim*, idque non solâ authoritate Quintiliani, & Tullii, qui eos posuerunt, sed etiam ratione: neque enim viri tam sapientes tropum aliquem affirmârunt esse temerè, sed habitâ ratione, & cognitâ distinctione, & differentiâ unius ab altero, qualem jam dedimus. Quare non est, quòd eos confundamus, unum ad alterum revocando, aut è numero troporum excludamus unum, alterumque cum P. Masen in Speculo imaginum verit. occul. 4. c. 2 qui præter Metaphoram, Synecdochen, Metonymiam, nullum alium agnoscit; Antonomasiã ad Metonymiã, sicut & Metalepsim reducit, Allegoriam verò, cùm est continuata similitudo ad Metaphoram, sicut & Catachresin dum vitiosa non

non est Onomotopæja & Hyberbaton, in-
quit ille,ac,si qui præterea confingantur, nec
locum quidem reperiunt. Authoritati scrip-
toris hujus oppono Cyprianum Soarium ab
universa Societate approbatum , & usu in
scholis nostris receptum, nec ineptè; cùm is
vestigiis Aristotelis, Ciceronis & Quintiliani
insistat. Assentiuntur eidem Commentatores
in Virgilium, Senecam Tragicum, Ciceronē,
ipsique sacrarum literarum interpretes, qui
Tropos dictos contradistinguunt, dum mi-
nus perfectas v.g. audaces similitudinis trās-
lationes, dicunt Catachreses, non Metapho-
ras; continuatas autem Allegorias vocitant:
remotas, & intermedias effectûs cum causis
connexiones, Metalepses appellant non Me-
tonymias: quod autem alicui per excellenti-
am competit aut attribuitur , antonomasticè
dictum volunt ; quod augendo vel minuen-
do veritatem excedit, Hyperbolicè. Sentiunt
igitur hos tropos inter se distingui, non au-
tem in paucos confundendos esse. Et verò
si principio illi insistamus, cur non etiam lo-
cos Rhetoricos ponamus quatuor ! omnia
enim argumenta ad quatuor fontes reduci
possunt: quia quod affertur argumentū , vel
erit extrinsecum rei, de qua agitur, vel intrin-
secum, idq; necessariò vel contingenter in-
hærens. Quod si hoc ipse in locis non admit-
tit in Palæst. orat. l. 1 c. 4. cur nos in tropis ad-
mittamus ? Et cur plures verborum figuras
per adjectionem statuit , cùm omnes ad u-
nam repetitionem revocari valeant ? Cur
item

item plures argumentationum ſpecies, cùm ad ſyllogiſmum vel enthymema reduci poſſint cæteræ. Quod ſi autem alius atq; alius modus repetendi ſufficit ad faciendam figurarum primi generis diſtinctionem, & alius atq; alius concludendi modus, ad ſeparandas argumentationum formas, etiam diverſitas Troporum aſſignata ſufficiet, cum alius in uno ſit translationis modus, quàm in alio, prout ipſe fatetur, dum eos diverſas troporum *proprietates* & *affectiones* appellat, quas in numero locorum ſufficere ad pluralitatem agnoſcit. Conformiùs igitur non ſolùm claritati, cui adverſatur confuſio; ſed authoritati, & rationi penès diverſum translationis modum eos ſperabimus, neque à via trita recedemus, veterum doctrinam caſtigaturi.

Verùm difficultas eſt non parva, Onomatopæjam, Hyperbaton, & Periphraſim in troporum numero retinere, quod in illis verba non mutent ſignificationem propriam in alienam. Nam in Onomatopæja vox priùs nullam habuit ſignificationem, cùm de novo fingatur, & ſic non transfertur à propria in alienam. Hyperbaton autem ordinem duntaxat verborum mutat, non ſignificationem. In Periphraſi verò ſolùm verba multa pro uno ponuntur in ſua tamen ſignificatione, non aliena. Quod ad Onomatopæjam attinet, reſpondet Quintilianus l. 9. c. 1. nomen de novo fictum non transferri quidem à ſignificatione, quam habuit, ſed ab illa quam habere po-

tuisset; nam pro rugitu poteramus dicere, vocem leonis. Addo ego Onomatopæjam transferre *significationem naturalem* soni quam res ex se habet independenter ab institutione & beneplacito hominum, *ad artificialem*, quæ ei per nominis fictionem nascitur. Quod Hyperbaton concernit, dici potest, mutari significationem *quoad modum* licèt non *quoad substantiam*; alio enim modo verba significant, quàm velint syntaxeos leges, quippe alio ordine collocandæ forent voces, si legitima syntaxis observaretur. Periphrasis autem verè est tropus: nam licèt singula verba *seorsim sumpta* significationem non mutent, *simul* tamen *sumpta*, id est tota constructio vel periodus transfertur ad significandum id, quod unâ voce dici posset. v. g. nox. *Responderi* etiam potest, *duplicem* esse *tropum perfectum & imperfectum. Perfectus* est, cui nihil deest, quod requiritur in definitione tropi, ut est 1. *propria significatio*, 2. *usus pro aliena*, 3. *cum virtute* & gratia: *Imperfectus autem* est, cui aliquid horum trium deest. Jam igitur, quia *Onomatopæja* primum non habet, licèt ei alia non desint, erit *tropus*, sed *imperfectus*. *Hyperbaton* autem, quia non habet secundum, transfert tamen cum virtute ipsum ordinem naturalem significandi in artificialem (gratiam enim & ornatum affert orationi hæc transpositio) indè erit similiter *tropus*, sed *imperfectus*.

CA-

CAPUT IX.

De Metaphora.

Metaphora Latine *Translatio* dicitur per *Antonomasiam*, est enim excellentissimus Troporum omnium. Non fit autem solius necessitatis causa, quando scilicet deest verbum proprium, ut cùm dicimus: flos lactis, pes sedis, navis templi; pavo oculatus in cauda, oculi vel gemmæ in vitibus, fluctus segetum, medulla arborum, radix montis, folium in libris &c. Sed etiam cum habemus proprium, translatum tamen melius, elegantiùs & significantiùs rem exprimit, ut eburnei dentes, labra rosea, nasus aquilinus pro adunco &c. Sic rem exornare verbis, & sententiis, & telum manu fugit, meliùs rem exprimit, quàm si dicas, rem bene proferre, vel telum è manu mittere. Hinc Metaphora magnopere facit non solùm ad copiam verborum, sed etiam ad ornatum, & sublimitatem orationis. Definitur Metaphora, quòd *sit similitudo ad unum verbum contracta*: fusiùs autem sic: *cùm nomen aut verbum propter similitudinem transfertur ex eo loco, in quo proprium* est, in eum, in quo proprium deest, aut translatum proprio melius est. Ubi notanda particula *similitudo*: hæc enim ratio & fundamentum hujus tropi est, quòd fiat cum virtute, & est differentia, per quam ab

aliis distinguitur, qui etiã transferunt à propria significatione in alienam. Distinguitur autem similitudo Locus Rhetoricus, à Metaphora Tropo, quòd in similitudine semper unum cum altero conferatur, & ideo utrumque nomen *expressè* ponatur ; & quidem si expressa, & aperta sit similitudo, additur, *sicut, velut* &c. Si implicita & occulta, apponitur utrumque nomen, & quod alicui confertur, & cui confertur. In Metaphora autem non confertur unum alteri, neque utriusque nomen ponitur saltem in recto & æqualiter, sed unum dicitur esse alterũ, proprio, quòd ei competit, vel competere potest, nomine omisso, & altero, cui illud simile est, applicato. Hinc non est metaphora si dicam ; oratio ejus est melle dulcior, licèt omittatur ; *sicut*, sed comparatio Grammatica, unum enim confertur cum altero, non autem unum dicitur esse alterum, vel ponitur pro altero, Idem est *si dicam* : Militia est vita hominis super terram ; adolescentia est flos ætatis, non est Metaphora, sed definitio per similitudinem occultam. Cujus ratio ulterior est ; quia ad metaphoram non satis est, ut omittatur *sicut, velut*, sed etiam unum debet poni *loco alterius* ; hoc enim ad rationem tropi requiritur ; hic autem non ponitur unum loco alterius, sed *ad aliud*, quippe utrumque in recto & æqualiter ponitur : quare, ut foret Metaphora, dicendum esset sinè addito *Militia hominis*, omissâ vitâ : & *flos ætatis*, omissâ adolescentiâ. Ex eadem causa non

est

est metaphora si dicas: Petrus est alter Hercules, alter Cicero, alter Virgilius, ingenio non inferior Aristotele, lupo voracior; est enim hîc Comparatio satis expressa. Ex dictis collige quid de illis & similibus sentiendum sit; butyrum manè est aurum, meridie argentum, vesperi plumbum; vinum est adolescentiæ flamma, libido est animorum venenum &c. non enim *simile* ponitur *loco alterius*, sed *ad alterum*, quod est contra definitionem tropi, qui requirit, ut unum ponatur loco alterius, dum autem aliquid loco alterius est, seu vices alterius agit, locumque tenet, necesse est ut alterum absit, cujus locum tenens est. Ex dictis collige modum faciendi metaphoram (idem de Allegoria, Catachresi &c.) esse hunc. 1. quære cui res illa per nomen significata sit similis. 2. omissâ similitudinis declaratione pone nomen illius rei, cui hæc est similis, loco nominis hujus. Idem hoc notâsse juvabit, ut deprehendas, an hoc vel illud vocabulum metaphoricè, an metonymicè, an synecdochicè accipiatur? quære nimirum, cur v.g. hæc vox pro ista ponitur? cur aquilinus nasus pro adunco ponitur? & causam invenies similitudinem, quæ cùm sit propria, & perfecta, metaphoram esse affirmabis. Si quæras cur puppis pro navi ponatur; ales pro aquila? causam invenies, quia puppis est pars navis, aquila species, seu pars generi subjecta, & synecdochen esse conjicies. Si quæras, cur mors sit pallida? causam

deprehendes, quòd faciat pallidos ; & esse metonymiam (in qua effectus pro causa ponitur) intelliges. Idem est de aliis tropis,& eorum speciebus ; quarum differentias si bene perspectas habueris,facilè dignosces,quò quid sit referendum.

CAPUT X.

Quotuplex sit translatio ?

Metaphora,seu translatio antonomasticè dicta,quia fieri potest modis quatuor, statuitur esse *quadruplex*. *Primus modus* est cùm *ab animato transfertur significatio ad animatum* propter similitudinem,quæ inter illa est. Dicitur autem hîc *animal* seu *animatum*(nam animal hîc latè sumitur pro eo, quod habet animam) quidquid vivit, seu vitâ rationali, ut homo,Angelus , Deus ; seu sensitivâ ut brutum,seu vegetativâ tantùm ut arbor,flos, herba , radix, & quidquid crescit propriè, non accepto augmento ab extrinseco, sicut mons,aut lapis.Exempla ad illustrandum & facilitandum tironibus hunc tropum adjungo complura , quod in aliis tropis similiter eadem ex causa præstabo , ut juvenes inter legendum authores facilè tropicas locutiones dignoscant , & alias ex se facere norint. Hoc itaque primo modo Cato Philosophorum Deus dictus est. Sicut & Augustus Cæsar à Virgilio Ecloga 1.

O Me-

O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi semper Deus.

Et Cicero 2. de Orator. in qua (argumentorum dispositione) tu mihi semper Deus videri soles. Sic etiam homo homini Deus dicitur, & homo homini lupus, & loquax rana, mutus, piscis; fœminæ garrulæ, anseres aut hirundines, innocens ovicula; cantor, chori luscinia; astutus, vulpes compellatur. Ira furem dicemus Mercurium & Cacum; juvenem gratiosum, Ganymedem; senem truce, Saturnum; sagam, Circem, aut Medæam; vetulam, Hecubam; fortem, Herculem &c. Ità pinguem, Catullus appellavit porcum umbrum; & nos passim pigrum, pecus Arcadicum, seu asinum nominamus; sicut & mordacem, invidumque, canem. Huc pertinet ad gubernacula, ad clavum sedere; hoc enim à nautis ad Reipubl. Moderatores transfertur. Sed creberrimæ sunt, quæ à sensibus ad intellectum, aut ab uno sensu ad alium transferuntur. Sic sentire pro judicare accipitur; videre pro intelligere; olfacere, odorari ré pro advertere, degustare orationis suavitatem, vel primoribus libris degustare, id est, obiter cognoscere, rem tangere, concoquere, devorare injuriam, sapere multùm, virtutem nec de facie quidem nôsse refricare præteritum dolorem, abligurire bona. Cicero in Pisonem. Pompejus inquit non gustaverat istam tuam Philosophiam. Sic oculus mentis, intellectus;

conceptus, partus ingenii ; cæcum judicium &c.

Secundus modus est, quando ab inanimatis transfertur significatio ad similiter inanimata ; cujusmodi sunt : res ad votum fluunt, agnosco veteris livoris flammas ; licèt enim livor, odium & his similia sint in re animata , ipsa tamen non sunt animata. Sic etiam dicimus, fulmen vel flumen Eloquentiæ, oratio dulcis, orationis torrens, mare verborum, gutta vel mica consilii , aut judicii non est in te. Item terrena cogitatio, stramineum acumen, tristitiæ nubes , curarum fluctus, terra æstu ardet, radii rotarum, mare vitreum, aqua crystallina , sol aureus, imber igneus pro deciduis in incendio flammis ; Thessala Tempe vel paradisus , pro loco amœno ; tempora nubila, vinculum adamantinum, stellæ gemmæ cœli; flores stellæ vel gemmæ telluris ; nix taciturnarum vellus aquarum ; palæstra literaria , resarcire damna, bellorum turbines, fundamentum pacis , rudera urbium , cadavera.

Tertius modus est, quando ab inanimato ad animatum transfertur significatio. Hoc modo D. Thomas Aquinas est sol Theologorum, sicut Virgilius Poëtarum. Sic Livius de Græcia : Quò cecidisti flos illle terrarum, sol & sal gentium ; accipitur autem hîc Græcia pro Græcis per metonym. continens pro contento. Virgil. incenditque animum dictis. Caput serenum, vino somnoque se-

sepultus, spirare minas, à vento enim transfertur ad hominem: attonitus, id est, perculsus, à tonitru ductâ similitudine; fulmen belli Scipio. Appion Polyhistor à Tiberio dictus est mundi cymbalum ob garrulitatem. Sic Ælius pertinax, quòd multis calamitatibus exerceretur, dicebatur fortunæ pila. Huc pertinet expolire animum, dissuere amicitiam, homo lutulentus, pro sordidus, animo cadere, capitis nives apud Horatium pro canitie, excolere ingenium, culti mores, fulcrum civitatis, columna Ecclesiæ, homo plumbeus, ferreus &c.

Quartus modus est, quando ab animato ad inanimatum transfertur significatio; ùt, divina virtus, divinum ingenium, angelica virtus, angelica puritas, diabolicum ingenium, brutum fulmen, cæca nox, calamitas hominum, strages vel clades; calamitas enim propriè significat calamos segetis grandine quassos. strages autem est arborum cæsarum, & stratarum; clades verò dicitur, cùm tempestate arborum rami sunt fracti. Hæc Civitas, quæ ab hoste nondum capta est, est Virgo stylus floridus, radix montis, sol oculus mundi, flos panis, flos lactis, maris placidi vultus, iratum mare, inhospitalis Caucasus. Pindarus pluviam vocavit filiam nubis. Quæ cœli lachryma etiam dici potest, quo pacto dicimus cœlum flet, tristatur &c. Hoc modo signa in Zodiaco sua nomina acceperunt: Aries, taurus, gemini, cancer, leo &c. Habent enim similitudinem cum his quorum nomi-

na sortita sunt. Sic etiam vinum dicimus sanguinem terræ, vel sanguinem uvæ, lac lennum &c. Habet hic modus miram gratiam, mirificèque animos afficit, si rebus inanimatis actum aliquem, v.g. affectum vel vocem, aut vitam tribuamus. v.g. *Saxa & parietes loquuntur opera tua, scamna testantur, & clamant segnitiem tuam.* Virgilius.

Progredimur portu, terræque urbesque recedunt.

Sic scriptura, Vox sanguinis (Abel) clamat de terra ad me: montes exultaverunt ut arietes & colles &c. Cœli enarrant gloriam Dei. Flumina plaudent manu, & colles exultabũt &c. Inebriabo sagittas meas sanguine: quot homines non devoravit gladius hostilis: Oseæ 9. arca & torcular non pascet eos, & mustum mentietur eis Isaiæ 14. Ejula, porta, clama civitas &c. Cicero pro Marcello: parietes, medius fidius, ut mihi videtur, hujus curiæ tibi gratias agere videntur. Virgilius: respondent omnia sylvæ. Quamvis autem illustrissimus Trogus sit Metaphora, habet tamen suas labes, quibus inquinatur, & vitia, quæ proinde Oratori cavenda sunt. Primum est *Dissimilitudo*, id est, quando primâ fronte apparet major dissimilitudo & discovenientia, quàm convenientia, & similitudo: tunc enim, cùm similitudo lateat, non declarat, sed obscurat intellectum audientis, ideoque placere non potest, cùm interim metaphora ideo assumatur, quòd rem clariùs aut significantiùs exprimat. Errabis itaque si dicas:

ad cu-

ad caudam orationis venio, mactare aliquem beneficiis, lapis doloris cor meum affligit, naves in mari ambulant, tempus, aut diem hodiernum combussit, inaratos habet mores, id est, incultos. Dies ad umbilicum est. Ex cordis centro, mare hydropicum, caseus sigillum ventriculi est, epistomium intelligentiæ, Medicus ægrorùm Consul, animus est succus corporis. Corpus est theca vel vagina animæ, cancer est sartor; baculis verborum te cædam, aves in aëre natant. Tale est illud Ennii: ingentes cœli fornices, fornix enim exiguum quid respectu cœli, & non habet circuIum seu sphæram, rectis enim surgit lateribus, cælum autem sphæricum est.

Alterum est si *similitudo* sit *longè petita*, id est à rebus minùs notis & obviis; si enim sit ducta à rebus abstrusis non intelligetur: unde si coram rudibus dicas, pigrum animal haud, mulierem sirenã, verrumnum, aut Cycladam insulam mobilem, Deum esse α & ω. malè feceris nisi explicationem adjungas. Meliùs itaque dixeris pigrum asinum, mulierem arundinem, Deum rerum omnium fontem. Sic vitiosum est si dicas: Syrtim patrimonii, charybdim bonorum, hæc enim non sunt passim nota; meliùs igitur scopulum & voraginem posueris, hæc enim visa sunt pluribus.

Tertium est, si *similitudo* sit *humilis*, id est, vilis, & abjecta, ut si perspicax ingenium aciculæ conferas; si solem dicas mundi candelam, pluviam cæli urinam, doctum septenarium

rum artium candelabrum, solem sculptum siderum, aut pistorem matutinæ lucis, nivem sputum solis, Consulem aurigam civitatis, parochum animarum opilionem, B. Virginem tectum Sodalium, Deum figulum hominis, salutare, multâ salute conspuere, aut plenis buccis salutem propinare, ex toto cordis lyripipio, butyro lætitiæ perfundi, prò lætari. Hic tamen adverte, si res sit despicatui habenda, posse usurpari vilem similitudinem, v.g. sileas tu rana, tu musca, tu pulex, grille &c. Sic Assyrii vocabant Hebræos mures è cavernis prodeuntes ex contemptu, & Miphiboseth Regis filius se canem mortuum ex humilitate: quô tamen casu præter metaphoram est simul hyperbole de qua infrà. Adhibetur etiam subinde vilis similitudo, quia sublimior & melior sæpè non occurrit, aut aliis est ignota, aut non ità ad captũ rem auditoribus exprimit. Sic Christus se vocat vitulum saginatum, pastorem, ostium, prædicatores autem canes; quia rem ad captum rudium, quibus loquebatur, explicare cupiebat. Et universim notandum est in scriptura Christum aut Deum non ostentare voluisse, aut docere eloquentiam, sed veritatem, quæ amat esse nuda, & aperta, ideoque non mirandum viles in scriptura sæpe, ac plebejas similitudines reperiri. Quemadmodum autem oratoria similitudo non potest esse vilis nimiùm, ità nec assumenda audax, & insolens.

Quartum itaque vitium est, *si modus in assi-*

assimilatione non teneatur, oportet enim metaphoram, ut grata sit, esse moderatam, modestam, & verecundam; nam sicut dum vilis est, rem facit contemptibilem, v.g. Consul est pastor populi, ita si nimia sit, præsumptionē sapit, & violenta est: quis enim ferat si pulicem, camelum; aut muscam elephantum efficias. Hinc vitio laborant istæ: venti per campos equitant, verbis in me jaculatus est, campos pacis sustulit, & belli montes induxit. Barbam calceare. Xerxes Persarum Jupiter, vultures sepulchra animata, murium latibula mysteria, plebis ver adolescentes, culter tonsorius præest civitati, id est, rapax, audio tibicinem Boream. Ex hoc capite P. Causinus l. 2. c. 8. & 9. reprehendit Sidonium Apollinarem & Ennodium, quòd elatis, & inflatis nimiùm usi sint metaphoris Poëtarum more. Scilicet ubi Cicero dixit languit juventus, Sidonius habet, mussitat juvenum nostrorū calceata generositas; ubi Cicero terram aut herbas arescere; Ennodius, cui si votivi negentur afflatus, fatiscat ut terra, cui cælo nihil liquitur, nec venas suas bibuli humoris infundit. Plura si libet, require locum jam citatum. Ego addam exemplum epistolæ Prædicantis heterodoxi, ut barbâ & collari, sic stylo intumescentis.

Epistola gratulatoria de recuperata valetudine.

Pinguissimo lætitiæ butyro perfusus fui, postquam per mearum canales aurium hausi Dominum Compatrem furcâ convalescen-

tiæ

tiæ fimum morborum ex ſtabulo ſui corpöris ejeciſſe,& priſtinam valetudinem in conclave ſuorum viſcerum ſcopis pharmaceuticis bene purgatum,& mundatum, reduxiſſe. Quocirca & ego omnes quadrigas & jugales mei pectoris educam, & multa plauſtra gratiarum ad magnum Jehovam tranſmittam, ſimulque fores illius malleo orationis fortiter pulſabo,ut ſupremus ille textor telam ſanitatis,& vitæ, Domini Compatris non ad ulnas,verùm etiam ad multas orgias annorum extendere dignetur.

Reſponſoria.

Quos amœna ingenii tui tempe pinguiſſimo doctrinæ fimo ſtercorata genuerunt flores,fideli memoriæ recludam, & conſervabo caniſtro : enim verò medius fidius,dum diſpenſator tuus (tuum epiſtolas exarandi inſtrumentum, tanquam bonum eorum,quæ in agro mentis tuæ florent, promum condum indigitatum volo (eos mihi in ore literarum tuarum manifeſtos allegavit,tantum me admirationum nubifragium!ut corporis navis,vitæ Navarchus ſtuporis imbre,uſque ad ſummum repleretur, & vix non naufragium patiundo anima Nauclerum corporis evomuerit, & locum Libitinæ cedere imperârit.Etenim pol æde pol! haud aliter autumare poſſum,quàm in Vulcania ſapientiæ incude novam in illa ceu Jovis cerebro Palladem fabricatam è ſummis cœli fornicibus ad

terræ

terræ pavimentum rursum esse delapsam.

Vides centonem ex ineptis, incongruis, vilibus, & insolentibus metaphoris consutum, quas vitium esse jam patet ex dictis. Sed & hoc vitium advertendum est, quod monet auctor, quòd nimiùm frequentes ac condensatæ sint, nimis enim manifestè apparet ornatûs affectatio, atque ostentatio contra ea, quæ supra c. 2. dicta sunt. Hac etiam ex causa damnantur Ennodii exempla, quæ loco citato affert Causinus. Talis est illa Mecænatis apud eundem c. 5. ubi stylum puerile mexagitat. Quid puriùs amne, silvisque ripâ comantibus, vide, ut alveum lintribus arent, versoq; vado remittant hortos: quid si quis fœmina cirro crispat, & labris columbatur, incipitque suspirans, ut cervice laxâ feratur? nemo tyranni itremediabilis factio rimantur epulas, lagenæque tendant domos, & sæpe mortem exigunt &c. Num statim hæc cùm legeris inquit Seneca epist. 114 hoc tibi occurret, hunc esse qui solutis tunicis in urbe semper incesserit, ità ille. Datur tamen locus frequentibus metaphoris atque allegoriis in genere demonstrativo, ubi stylus requiritur floridus, eò quòd oratio non tam ad probandum, vel persuadendum, quàm ad delectandum componatur similitudine autem mirificè capiantur animi; vitanda tamen est obscuritas & affectatio.

Appen-

Appendix ad caput 10.

Exempla metaphoræ ex sacris literis.

Confert troporum notitia non solùm ad eloquentiam, sed etiam ad scripturæ sacræ sensum indagandum, & cognoscendum. Tropis enim ut plurimùm usus Spiritus Sanctus, tum ad res intellectum nostrum excedentes meliùs declarandas, tum ad obvelanda mysteria, quæ passim nota esse non voluit, nè margaritæ projicerentur ante porcos, gentiles scilicet & improbos, tũ ut multiplici eorum expositione Doctorum, & SS. Patrum ingenia exercerentur, ac multiplex eruditio sacra, ex multiplici expositione emanaret. Hujus verò cognitio cum sit utilissima iis præsertim, qui ad Ecclesiasticum statum aspirant, vel conciones audiunt, adjungam in sequentibus aliqua ex sacris litteris exempla, ut ignorantiũ cesset admiratio in scripturæ sacræ lectione vel auditione, & ut viam habeant ad plura per se investiganda & cognoscenda. Et metaphoram quidem quod attinet, ejus usus est frequentissim' in sacra Scriptura. Sic enim Christus vocatur Leo de tribu Juda, petra, lapis angularis, lapis abscissus sinè manibus, via, ostium, lux mundi, vitis vera, pastor, panis vitæ, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & ipsa Sacramenta per similitudinem in sua materia referunt visibiliter, quod gratia facit, & operatur in anima invi-

invisibiliter. v.g. aqua in baptismo, oleũ in extrema unctione, panis species in Eucharistia: nam sicut aqua lavat à sordibus corpus, ità gratia baptismalis à sordibus peccati, præsertim originalis, abluit animam; & sicut oleum expeditos reddit Athletas ad pugnam; sic gratia in extrema unctione collata reddit animam agilem ad pugnandum contra dæmonem, in agone quam maximè infestantem. Et sicut panis vitam quidem non restituit, sed conservat & confortat, ità Eucharistia gratiam per peccatum mortale ablatam (per se loquendo) non reddit quidem (ad hoc enim requiritur absolutio in Sacramento pœnitentiæ) sed animam in bono solidat, & in bono conservat. Per metaphoram etiam intelligenda est Scriptura, dum Deo tribuit corpus aut partes corporis v. g. aures, os, manus, pedes, & actiones harum partium, ut respicere, videre, silere, loqui, odorari sacrificium, audire gemitus, & orationem, item vigilare, dormire, accedere, recedere longè, abesse: & affectus hominis ut irasci, lætari, dolere, pœnitere, oblivisci, recordari &c. nihil enim horum propriè Deo convenit, sed similitudine ab homine desumpta explicari necesse habent. Sic Spiritus S. apparuit in igne, in vento, in forma columbæ, ipse tamen propriè ignis non est, nec columba: sed sicut ignis illuminat & accendit, sicut columba mitis est, & sinè felle, ità Spiritus S. sic Ecclesia dicitur Civitas supra monte posita, mons Sion, Jerusalem &c. Apostoli piscatores hominum, lux mundi, sal terræ, ver-

bum Dei semen, falsi doctores lupi rapaces, timidi autem canes non valentes latrare: sic Herodes appellatur vulpes, Pharisæi genimina viperarum, sepulchra dealbata &c. Hisce sufficiat tanquam digito viam monstrâsse. Universim autem hæc servatur lex. 1. Inquiritur an propriè seu in propria significatione vox accipi possit absque errore in fide, aut veritate: quòd si non possit, inquiratur ulteriùs, cur hæc vox adhibeatur pro altera, vel hæc res alteram referat, & repræsentet? & deprehendetur convenientia v. g. & relatio similitudinis, & constabit esse metaphoram. Quod si autem sit convenientia effectûs, vel partis, & totius, &c. erit Synecdoche, vel Metonymia, vel alius tropus pro diversitate connexionis de qua suprà dictum est c. 8. & 9. Unde metaphora est in istis: vituli multi & tauri pingues obsederunt me: item puella non est mortua, sed dormit; quia importatur similitudo in propositionis explicatione, nam milites qui Christum patientem exagitabant, erant petulantes sicut vituli, & feroces sicut tauri impinguati, & incrassati, obsederuntq; illum, sicut urbs obsideri solet, & circumdari, scilicet arctè & undique; & sicut qui dormit, facilè excitatur, ut ad se redeat, ità Christo ac Deo facilè est mortuum vivificare, vitæque ac sensui restituere.

CA-

CAPUT II.

De Synecdoche.

Vocis hujus derivationem Scaliger libro de causis linguæ latinæ hanc facit. Συν significat totum & partes esse simul. Εκ significat exceptam qualitatem, aut aliud à parte & toti attributum. Δεχεσθαι significat ipsum motum. Sed quidquid sit de vocis origine, significatio illius hæc est, quòd sit comprehensio & intellectio, comprehendit enim totum & partem, genus, speciem, materiam, formam, &c. atque unum ex altero intelligitur, & colligitur propter connexionem quam habent inter se. Clariùs sic definiri potest: *Est translatio ponens significationem unius conjuncti vel quasi conjuncti, pro significatione alterius conjuncti, vel quasi conjuncti*: nam pars & totum sibi conjuncta sunt vel physicè, ut puppis cum navi, vel moraliter, ut unus, vel plures in exercitu, vel civitate, vel metaphysicè, ut genus, & species. Materia & forma conjunguntur sibi itidem physicè. Antecedentia verò & Consequentia sibi non conjunguntur, non enim sunt unita sibi invicem, sunt tamen necessariò inter se connexa, non autem contingenter, uti fit in causâ, & effectu. Unde dixi *quasi conjuncti*. Ex dictis patet *variis modis* fieri posse tropum istum.

Primus est quando significatio partis accipitur pro significatione totius v. g. tectum, vel limen pro domo, mœnia pro urbe, Virgilius.

Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.

Axis pro curru, idem Georg. 3. volat vi fervidus axis. Ovidius rotam pro curru posuit in illo: si rota defuerit, tu pede carpe viam. Anima pars hominis, pro toto; sic Heraclitus: anima sicca sapientissima, & Persius: ô curvæ in terras animæ. Cicero: vos meæ charissimæ animæ sæpissimè ad me scribite. Virgilius corpus pro toto cervo posuit 1. Æneid.

Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
corpora funda humi.

Et in communi sermone loquimur: ista est pia, bona anima, de pio & bono homine; ponitur & paries pro domo apud Horatium.

Num tua res agitur, paries dum proximus ardet.

Ponitur & hora pro toto tempore, vel die. Virgilius nunquam te crastina fallet hora, & eras pro futuro tempore. Horatius quid sit futurum cras, fuge quærere. Genes. 31. vultus Laban non erat erga Jacobum, sicut heri, & nudius tertius; id est tempore præterito. etiam dies & nox pro omni tempore ponitur v. g.

Noctes

Noctes, atque dies patet atri janua Ditis.

In scriptura sacra sæpissimè anima pro toto homine ponitur ut 1. Petr. 3. Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, Joan. 4. petivit animæ suæ mori, &c. & vicissim caro pro toto homine. v. g, omnis caro corruperat viam suam Gen. 6. Verbum caro factum est Joan. 1. videbit omnis caro salutare Dei Luc. 3. ps. 136. qui dat escam omni carni. Per hunc modum accipitur sanguis pro toto homine v.g. Matth. 27. peccavi prodens sanguinem justum. Item caput, cor, linguam, oculum, &c. accipimus pro toto. Post avaritiam cor eorum ambulat, à lingua injusta, falsa, mendaci custodi me, oculum malignum, vel nequam longè fac à me: Hoc modo explicatur: Deus est natus, passus, mortuus, id est, Christus, qui est compositum ex natura divina & humana, ideoque pars hujus compositi est natura divina: sic Act. 20. Deus acquisivit Ecclesiam sanguine suo. Id est, Christus qui simul est Deus. Deitas enim sanguinem fundere non potuit. Intelligitur etiam ex parte totum, quando initium rei nominatur pro toto. v.g. Oremus *Pater noster*, cantemus *Magnificat*, *Te Deum laudamus*. Sic Cicero ad Atticum, quod scribis, te magis delectari, ô Tite, si quid ego: hic ponitur initium libri de senectute. Sic Virgil Eclog.

Hæc nos: formosum Corydon ardebat Alexin,

Hæc eadem docuit, cujum pecus? an Melibæi?

Pro hæc fistula nos docuit eclogam secundam & tertiam. Sic & juris utriusque leges citantur verbis initialibus, & libri scriptura nonnulli apud Hebræos.

Secundus modus est, quando unus ponitur pro pluribus, sic Virgil, eclog. 1. aut Arar rim Parthus bibet, id est, Parthi. Cicero pro Flacco: Phryx plagis solet fieri melior. Pro Phryges. Varro l. 1. c. 2. Romanus sedendo vincit, id est Romani. Martialis: venit & epoto Sormara pastus equo, ubi & totum ponitur pro parte, equus pro sanguine equi, & Sarmata pro Sarmatis. Sic dicimus Turca timetur in Ungaria, Cæsar conscribit militem, hostis imminet urbi, boni Civis erit defendere civitatem. Sic Oratores & Historici unum sæpè alloquendo, omnes alloqui censentur. v.g. Cicero: divitiæ opportunæ sunt, ut utare; opes, ut colare; honores ut laudêre. Salustius in Catilina. Quod si Regum, atque Imperatorum animi virtus in pace ità, ut in bello valeret, æquabiliùs atq; constantius sese res humanæ haberét, neq; aliud aliò ferri, neque mutari, ac misceri omnia cerneres. Ipsa etiam Scriptura in uno alios intelligit, ut alloquendo unum aliis idé dictum velit. ps. 8. quid est homo, quòd memor es ejus Rom. 9. ô homo, tu quis es,

qui

qui audeas &c. pſ. 78. panem fortium comedit vir, id eſt viri. Iſa. 8. Ciconia in cœlo cognovit tempus ſuum, & turtur, & grus, & hirundo obſervant tempus adventûs ſui. Joël. 1. Reſiduum erucæ comedit locuſta &c. Placet hic audire Auguſtinum lib. 2. de Exod. Extendit inquit Aaron manum ſuper aquam Ægypti & eduxit ranas, & educta eſt rana, & operuit terram. Repetitio à plurali ad ſingularem numerum trajecta eſt : nam undique rana pro multitudine ranarum poſitum eſt. Neſcio, quo autem modo per loquendi conſuetudinem imbutis ſenſibus hominum, ſæpe plus videtur, quod ſingulariter, quàm quod pluraliter dicitur, cùm dicitur verbi causâ : eſt illic miles, quàm ſunt illic milites, ità ille. Ad hunc modum ſpectat dum numerus certus pro incerto & indefinito ponitur: v.g. ô terque quaterque beati. Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum : lectio lecta placet, decies repet ita placebit. Præſtat millies mori, quàm Deum vel leviſſimè offendere, & ſexcenta alia. pſ. 118. Septies in die laudem dixi tibi. Prover. 24. ſepties cadit juſtus. 1. Reg. 18. percuſſit Saul mille, & David decem millia. id eſt, plures multò, quàm Saul. Daniel, millia millium aſſiſtunt ei, & decies centena millia &c. Huc reſpiciunt Poëtæ, quando ſingularem ponunt pro plurali, aut contrà, quomodo & ſcriptura loquitur : attendite populo meus legem meam.

Tertius modus est, quando forma metaphysica, id est, species (quæ est pars generi subjecta in essendo & prædicando) ponitur pro genere, quod est totum quoddam, ut videre est supra l. 1. c. 17. sic una species ligni ponitur pro ligno in genere apud Poëtas ; & ventus certus, pro vento simpliciter. v. g. Ænei. 1. sectaque intexunt abiete costas. Ænei: 2. dare classibus Austros, & Æneid: 1. Nimborum in patriam loca fœta furentibus Austris ; sic usurpant & nomen Boreæ , Aquilonis, Noti &c. prout ratio fert carminis : etiam quoad genus Grammaticale. Respicit interdum nomen generale Poëta. Huc etiam spectat dum pro frigore vehementi pono Sarmaticum, pro vino pono Creticum, Massicum, Falernum, Pontum pro quovis mari, quo sensu & illud accipitur : Tirrhenum navigat æquor. Seneca , longo sagax loco tenetur Umber , ubi Umber ponitur pro quovis cane venatico. Et ultima Thule , pro quovis loco remoto , quomodo accipitur & illud ultra Garamantas & Indos. Sic etiam panis in Scriptura ponitur pro edulio generatim sumpto, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. & Gen. 3. in sudore vultûs tui comedes panem tuum. 1. Reg. 14. non gustavit omnis populus panem. Item ponitur vir, pro quovis homine. ps. 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. ps. 31 Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Jere. 17. v. 7. benedictus vir qui con-

confidit in Domino. Huc referunt nonnulli locutiones illas quibus justum vocamus Aristidem, rigidum Catonem, Crœsum divitem, Medeam vel Circum pro saga, Tanaquil pro uxore marito dominante. Sed advertendum, & distinguendum est: si hæc & similia nomina individuum significantia (nam individuum & speciem oratores hîc pro eodem admittimus) ponantur pro certo aliquo, & in particulari ac determinatè accepto, non possunt hîc habere locum, tunc enim non ponuntur pro genere, si autem pro pluribus ponantur, admitti possunt. Hinc non est hujus loci si dicat cum Pompejo, Lucullum esse Xerxem togatum, quia individuum ponitur pro individuo, seu singulari homine, est autem si dicas:

Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.

Accipiendo Irum pro paupere quocunq;, & Crœsum pro divite in genere, non autem particulari, & singulari aliquo. Idem est si dicas. Semper habe Piladem aliquem, qui curet Orestem. Hoc modo accipiendum illud Ciceronis pro Cœlio: Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omnesque eos qui hæc ex minimis tanta fecerunt. Et Agrariâ secundâ. Cùm haberet hæc Resp. Lucinos, Catalinos, Acidinos, homines non solùm honoribus populi, rebusque gestis, verùm etiam patientiâ paupertatis ornatos, & cùm erant Catones, Philippi, Lælii &c. Juvenal. satyr. 2.

Qui Curios simulant & bacchanalia vivunt.

Ubi Curii pro frugalibus, & bacchanalia pro geniali vita in genere accipitur. Cæterum si individui significatio accipiatur pro alterius, & singulariis pro singulari, erit metaphora, quia fundamentum, & ratio, cur Petrus v. g. pauper vocetur Jrus est, quia est similis Iro, ideoque translatio nominis fit propter similitudinem. Quanquam & in præcedentibus (dum scilicet singulare accipitur pro generali) ptius est similitudo, quæ supponitur, tum vox singularis pro plurali ponitur, & sic conveniunt metaphora, & synecdoche. Idem dicendum de adjectivis v. g. Achilleum argumentum, labor Herculeus, est enim metaphora propter similitudinem fortitudinis, & synecdoche propter translationem vocis ab uno ad omnes generatim.

Quartus modus est, quando materia alicujus rei seu compositi, & concreti pro tota re, seu composito toto ponitur. v.g. adigit per pectora ferrum, quomodo & chalybs apud Poëtas aecipitur pro gladio, tabulæ pro legibus, quas Deus Moysi, & Numa Pompilius Romanis proposuit in tabulis, quo casu est materia, *in qua*, non *ex qua* aliquid fit. Materiam autem *in qua* ad metonymiam revocant aliqui, ad continens pro contento, neque ineptè, ut videbimus. Huc tamen referenda est materia, *circa quam*. v.g. tu mihi carmen eris, id est, materiæ carminis. Virgilius

us Æneam & culicem cecinit, Ovidius nucem; sic loquimur, legi Virgilii culicem, Ovidii nucem, Medeam vel Herculem Senecæ, Tobiam, Jobum &c. Virgilius Eclo. 1.

Formosam resonare doces Amarillida sylvas.

Id est, carmen de Amaryllide. Plautus in milite glorioso, id est in comædia de milite glorioso. Materia *circa quam* notatur in illo versu:

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.

Artes enim circa hanc versantur. Materia tamen *ex qua* frequentiùs ádhibetur, ut comedere, vel bibere ex auro & argento, id est, vasis ex auro & argento fabrefactis. Matth. 10. nolite possidere aurum, neque argentum, neq; pecuniam in zonis vestris. Cicero Verr. 6. cum essent triclinia strata, argentumque expositum, id est, argentea suppellex. Sic calamus, & avena ponitur pro fistula, ex quibus fit Virg. Ecclog. 1.

Ludere quæ vellem, calamo permisit agresti.

Et:

Silvestrem tenui musam meditaris avenâ.

Sic pinus pro navi, mediis si pinus in undis naviget. Frumentum pro pane; uvæ pro vino. Cæsar de bello Gallico. Suevi non multùm frumento, sed maximam partem lacte vivũt. Virgil. pocula miscuit uvis. Plautus Vulcanum in cornu conclusum gerit, id est, in cor-

cornea laterna. Sic lignum accipitur, & lapi
pro eo, quod factum est ex ligno vel lapide
sic crux Christi dicitur lignum dulce. &
Pet. 2. dicitur Christus tulisse peccata nostra
in corpore suo super lignum. Jerem. 2. dicen-
tes ligno pater meus es tu. & lapidi tu genuisti
me. idola enim ex ligno & lapide facta erant
Marc. 1. erat Joannes vestitus pilis camelo-
rum, id est, veste confecta ex pilis. 2. Reg. 7.
dicitur Arca posita in medio pellium, id est, in
tabernaculis ex pellibus. Sic Habacuc 1. trepi-
dabunt pelles terræ madian. id est, taberna-
cula ex pellibus & homines in tabernaculis,
ubi simul continens & contentum est meto-
nymiæ species. Sic rostra appellabatur locus
ad Curam Hostiliam, in quo Cicero perora-
vit, quia factus erat ex rostris navium. Virgil.
ære ciere viros, id est tubâ ex ære; ducati di-
cuntur aurei, quia ex auro. Sic purpura pisces
est, cujus sanguine vestes imbuuntur, & inde
ipsa vestis dicitur purpura. Idem est de murice,
& de codice pro libro Genes. 18. ait Abraham:
loquar ad Dominum cùm sim pulvis & cinis.

Quintus modus oppositus primo, quando totum pro parte ponitur. v.g. fontem vel flu-
vium bibit, id est, partem, Virgil.

Aut Ararim Parthus bibet, aut germania Tigrim.

Horatius, nec quid profundum Danubium bibunt. Sic alius: pelagus ratis ipsa recepit; id est fluctus, qui sunt pars. Surgens à vertice pontus, id est procella, sic sylvam cædere dici-
mus, id est partem aliquam arborum: simili-
ter annus pro una anni parte sumitur apud

Vir-

Virgil.Eclo.2.nunc formosissimus annus , id est,ver.Sic dicimus bovem vel vitulum hodie comedi,id est,partem;fui in Petri domo id est in parte domus,betulis vel funibus illum cecidit,id est,partibus è betula ; ibi jacet Petrus mortuus:id est corpus illius.Similiter jam Imperator est sepultus. Sic homo dicitur mortalis,corruptibilis,pulvis,non secundùm totũ , sed secundùm unam partem : sic etiam dicitur intelligens,audieus, videns &c. licèt sola anima intelligat,audeat,videat Et favet ratio inquit Cornelius àLapide in 2.Cor.4.v.16. quia tota sensatio est in anima : cùm enim oculo videmus,aure audimus,manu tangimus, ipsa visio,auditio,& tactûs perceptio non est in oculo,aure,manu,sed in anima; non enim corpus,sed anima est,quæ per oculum videt , per aures audit , sentitque per manum;ità ille. Sic ergo toti aliquid attribuitur ratione partis alicujus sibi amicabiliter unitæ , ut & hîc amicorum omnia sint communia. Per hunc modum aliquid sæpe Christo tribuitur, quod ei non competit , nisi secundùm unam partem v. g. naturam divinam vel humanam , Joan.6. quid si videritis filium hominis ascendentem eò ubi erat priùs. Joan. 8. antequam Abraham fieret ego sum. Matth.18. ubi duo vel tres.&c, ibi sum in medio eorum. Matth.28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus &c.quæ omnia. Secundùm naturam divinam intelligenda sunt. Secundùm humanam verò dum dico : Christus est natus , esurivit , fatigatus est , passus est, descendit ad

inferos. Joan.20. ait Magdalena: Tulerunt Dominum meum, id est corpus domini mei, sic Luc.16.dicitur dives esse in inferno sepultus, & Lazarus in sinu Abrahæ, secundùm animam. Huc referendum est illud ps. 72. fui flagellatus tota die, id est, parte dici, eâ tamen vehementiâ, ut si tota die me flagellassent, plus non potuissent, Matth. 12. sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Ubi pars diei: & noctis accipienda est; falsum est enim Christum totis tribus noctibus, & diebus in sepulchro fuisse.

Sextus modus oppositus est secundo, & intelligit ex pluribus unum, v.g. adigit per pectora ferrum: pectora, pro pectus ponitur. Virgil. & rabie fera corda tument, cum sibylla unum tantùm cor fuerit, quam locutionem postea adhibet idem in Charonte nauta infernali. Hoc sensu Apostoli dicuntur proditores, perfidi, licèt unus Judas, Thomas, aut Petrus fuerit: quo modo sæpe crimen unius derivatur in omnes v.g. Rhetores sunt helluones, eò quòd unus hujusmodi reperiatur Matth. 27. dicitur Latrones exprobrâsse Christo, cùm Lucas c.23. dicat unũ solùm exprobrâsse, alterum autem pro Christo locutũ fuisse. Igitur ex pluribus unus intelligẽdus est. Sic Joan.6.v.45. dicit scriptum esse in Prophetis, cùm solum Isaiam intelligat. Cicero 1. Offic. quam quidem ad rem nos ut videmur, magnum adjumentum attulimus hominibus nostris. 2. Officii; sequitur ut hæc

officiorum genera prosequamur. Hic modus loquendi Ciceroni familiarissimus est, uti & viris Principibus v. g. Nos Leopoldus Dei gratiâ Rom. Imp. mandamus, volumus : ubi valet Hebræorum regula ; quæ dignitatem significant, ea pluraliter usurpantur ad ampliorem honorem. Indè fit ut unum alloquentes, honoris causâ dicamus, audite vos, facite &c.

Septimus modus est oppositus tertio, cum ex genere speciem, ipsi subjectam partem, intelligimus. Sic Virgil. Eclo. 9.

Insere Daphni pyros, carpent tua poma Nepotes.

Quomodo è pyro poma decerpet? pomum generici quemvis fructum significat ab arbore prognatum, & hîc pro specie pyrorum ponitur. Sic fruges consumere nati, id est, panem : & ipse panis genus cùm sit respectu hordeacei, avenacei &c. tamen pro sigilineo accipitur passim : sic etiam mortalis pro homine, cùm reliqua etiam animalia moriantur. Cicero : exire urbe Consul hostem jubet, ubi Consul pro Cicerone, hostis pro Catilina ponitur. Est & in milite virtus, id est, Fortitudo. Seneca act. 3. in Thyeste, præda dum propior fuit, id est, aper : sic Pergama apud Poëras pro Troja ponitur, cùm vox illa lingua Jonica generatim quamvis arcem significet. Cicero 2. Catil. perdidimus hominem, id est, Catilinam. Virgil. hinc te Reginæ ad limina perfer. Reginæ id est, Didonis. Idem Æneï. 6. quæ scelerum facies ô Virgo, id est, Sybilla. Et pro Cerbero posuit: custode sepulto. Æneid.

invadunt urbem, id est Trojam, vino somnoque sepultam. Sic B. Virgo dicitur mulier: Quid mihi & tibi est mulier Joan. 2. Et: Mulier ecce filius tuus Joan. 19. misit Deus filium suum factum ex muliere. Galat. 4. Sic Christus se vocat filium hominis communiter. Gen. 3. Eva appellata est mater omnium viventium, id est, hominum non autem aliorum, Sic Biblia scripturam sacram significant; cùm Græcè librum quemcumque. Si quis vestrum infirmatur, comedat olus, id est certam speciem olerum, quæ est brassica. Marc. 16. prædicate Evangelium omni creaturæ, id est, homini. Amos 3. Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus, malum pro afflictione & calamitate accipitur, non autem pro peccato. Sic Joan. 15. Sinè me nihil potestis facere, intellige nihil boni. Joan. 12. Cùm exaltatus fuero omnia traham ad me, id est, omnes justos. Matth. 10. Odio eritis omnibus hominibus, id est, multis, aut compluribus: Exod. 9. omnia animalia Ægypti mortua esse dicuntur, cùm tamen Pharao non multò post eduxerit equos, & currus contra Israelitas, unde per omnia intelligenda sunt multa, vel omnia quæ erant in agro. ps. 104. Nolite tangere Christos meos, tangere generica vox pro verberare ponitur. Sic infernus locum quemcunque infra nos significat, accipitur tamen communiter pro loco damnatorum. Idem est de voce inferi, quæ sepulchrum, limb. Patrum in scriptura significat, & etiam rogum damnatorum. Et cùm

dæmon

dæmon quemvis angelum significet, jam accipitur pro malo angelo. Per hunc modum sæpe generatim insinuamus ea, quæ vel non decet honestatis causâ specificè exprimere, uti sunt naturæ necessitates, vel quæ non volumus esse cuivis manifesta, sed arcana latere cupimus, v.g. malâ morte mortuus, malè se gerit, peccavit cum aliqua, vitium aut flagitium illi obtulit: &c. Joan. 16. Arguet mundum de peccato, multi explicant de Luxuria, hoc enim vitium Apostolus non vult nominari. Gen. 37. accusavit Joseph fratres suos apud Patrem crimine pessimo.

Octavus modus est, cum ex antecedentibus consequentia intelliguntur, v.g. sudant quando vorant, frigescunt quando laborant; id est, sunt ad vorandum impigri, ad laborandum desides. Jam hirundines redeunt, ciconiæ advolant, id est, appropinquat ver, instat autumnus; pecora domum redeunt, meridies est, aut vesper. Gallus jam tertiò cantavit, hoc est, jam deluceſcet, bursa plicata est, arca araneārum telis obducta, pro eo quod dicimus, nihil est intus. Jam Petrus est sepultus dicimus, quando ignoranti dicimus esse mortuum; idem significamus dum asserimus: illum in terra dudum putrescere: si pronunciemus illum convalescere, colligimus infirmum fuisse. Hic miles nulli prælio interfuit, hostem non vidit, à tergo accepit vulnera &c. significamus imperitum esse & timidum, ut qui in fuga vulnus acceperit. Sic dum dicimus hic vidit Papam, forum S.

Marci, indicamus illum Romæ, ac Veneti fuisse. Generalis Suedicus visâ ex monte Brennensi arce, hodie ajebat in hac culina (speciem enim culinæ referebat) cænabimus, affirmare volens, se hodie adhuc eâ potiturum, sed falsus fuit. Hujusmodi sunt illa Virgilii.

Et jam summa procul villarum culmina fumant
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ,
Fecerat exiguas jam sol atissimus umbras &c,

Ejusdem est: fuimus Troës, prò non amplius sumus; fuit Ilium, pro non amplius est; sic dicimus jam vixit, pro mortuus est, præfuit, & nos laudemque decusque gessimus; nos quoque floruimus. Jugurtha ductus est in triumphum, vel ad pedes Romani ducis jacuit, pro devictus est: jam se primò pectit, lavat &c. pro jam primò surrexit; profundet cantharum inspexit, pro multùm bibit; nec vinum hodie vidi, pro non bibi; Petrus ancillæ, non novi hominem, pro nil habeo cum illo commercii. Tale est illud:

Hunc mihi si tuleris nequam sceleratus libellum
Effodient corvi lumen utrumque tibi.

Id est: suspendêris in patibulo. Sic B. Virgo pudicè, quoniam virum non cognosco, Et Christus: Non novi vos, nescio vos, pro nihil mihi vobiscum est. 1. Reg. 4. Terga ver-

tit Israël. Genes. 46. Joseph quoque ponit manus suas super oculos tuos. Sic dicimus: jam clausit oculos, id est, mortuus est. Ex allatis exemplis colligo non tantùm ex antecedentibus consequentiá intelligi, sed etiam ex consequentibus antecedentia. Sed

Quæres, ubinam sit Tropus in illo Virgilii: aratra jugo referunt suspensa juvenci. Ratio dubii esse potest, quia cùm synecdoche tropus sermonis non sit, debet in uno verbo consistere. Resp. esse in verbo *referunt*, cætera verò addi propter sensum, non propter translationem significationis: ex hoc enim, quòd aratra referunt boves, colligitur, quòd vesper sit propinquus, aut meridies. Hæc eadem responsio notanda est pro aliis tropis, qui in uno verbo consistunt v.g. prata rident, metaphora est in solo verbo *rident*, alterum autem additur propter sensum & significationem, in eo tamen nulla est translatio à propria significatione in alienam. Sed ut ad prius exemplũ redeamus, cur non dicitur esse synecdoche in voce *juvenci*? possunt enim intelligi fuisse vituli, qui jam sunt juvenci. Respondeo, etiam ex relatione aratri intelligi potest illius elatio, quod enim refertur, debet priùs esse ablatum, sicut qui redit, debuit priùs hic fuisse, & qui reddit, prius accepisse. At neque unum neque alterum voluit significare Poëta, neutrum enim facit ad mentẽ & sensum Poëtæ illo loco; facit autem, si ex relatione intelligatur vicinus vesper.

CAPUT XII.

De Metonymia.

Hanc sic definit Cypr. Soarius: est Tropus in quo causas per effecta, vel effecta per causas, vel ex eo quod continet, id, quod continetur; vel rem è signo intelligimus: unde sequitur, quod Metonymia genericè conveniat cum synecdoche, quæ etiam unum intelligit ex alio; differt tamen specificè per materiam, non secùs atque annulus ferreus & æreus, poculum aureum, argenteum & stanneum; habet enim res alias, quàm habeat synecdoche. Verùm si quæratur ratio, cur non unum tropum faciant? cur hæ species rerum ad Metonymiam, illæ ad Synecdochen referantur? Difficile est assignare. Si antecedentia & consequentia (quæ aliqui ad Metalepsim ablegant) posita essent in Metonymia, & illorum loco, continens & contentum substituta, dici posset ad synecdochen referri, quæ sunt unum quid aliquomodo inter se, ad metonymiam verò, quæ non quidem quid unum sunt, inter sese tamen connexa aliquo modo, id est vel contingenter vel necessariò. Physicè quid unum sunt pars & totum, materia & forma. Metaphysicè genus & species, moraliter, unum & plures, continens & contentum. Connexionem autem aliquando physicam, aliquando moralem habent causa, & effectus, antecedens & consequens, possessor,

or,& res poſſeſſa,ſignum & ſignatum , aliqua horum neceſſariam,aliqua contingentem & ad placitũ P. Jacob. Maſen in ſpeculo Imag. ocul.verit.l.4.c.2.Synecdoche attribuit, quæ nexu ſubſtantiali inter ſe cohærent,ut pars & totum: Metonymiæ verò quæ contingenter ſibi conjuncta ſunt , ut continens cum re contenta. Eſt qui quatuor ſolùm cauſarum genera ad metonymiam recipit , reliquis ad ſynecdochen remiſſis.Unde materia , & forma,ſpecies metonymiæ eſt. v. g. ferrum pro gladio, item continens & contentum , continens enim eſt ſubjectum recipiens , ſeu materia *in qua*. Sic etiam poſſeſſor & res poſſeſſa ad metonymiam ſpectat , quia poſſeſſor eſt materia , & ſubjectum recipiens rem poſſeſſam ; ſignum autem,& ſignatum vel ad cauſam finalem pertinet, quia ſignum eſt propter ſignatum. v.g.hedera propter vinum ſignificandum : vel ad materialem , quia poteſt ſignum eſſe forma accidentalis materiæ : v. g. purpura & ſceptrum ſunt accidentalia ſigna Regis , accidentia autem ſubjectantur in materia.Quòd ſi tamen ulterius hîc quæratur cur hæc, quæ ſubjiciuntur metonymiæ, non ſubjiciantur ſynecdoche , & quæ huic ſubjecta ſunt , ad metonymiam referantur , mutatis ſedibus ? aut cur quæ utrique ſubjecta ſunt,non unum, eundemq; tropum conficiant ? cùm in hoc conveniant, quòd unum intelligant ex alio,ſeu unum ponant pro alio, & aliunde P. Maſen tropos multiplicari non velit,rationem vix aſſignabunt, ſed ſtandum erit authoritate. Si verò in hoc innitimur

authoritati, cur non in data ſpecierum divi-ſione, quam author ex Quintiliano primo poſt Ciceronem Magiſtro Oratorum de-ſumpſit. Relictis igitur novis inventioni-bus antiqua exemplis illuſtremus ad tironum faciliorem eruditionem.

Prima Metonymiæ ſpecies eſt cùm ex cau-ſa effectus intelligitur, ſeu cauſa pro effectu ponitur. Sive phyſica ſit, ſive moralis, v.g. ne-bulæ aſcendunt, pro erit pluvia. Nil Martis cum muſis, id eſt, bello cum literis. Livius: vario Marte pugnatum eſt. Cicero pro Mar-cello. Quos amiſimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ. Terent. ſinè Cerere & Baccho friget Venus. Sic Nævius dixit: Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem, ubi per Neptunum piſculenta, per Venerem hortorum Præſidem olera, per Cererem pa-nis ſignificatur. Martialis: pellibus exiguis ac-ctatur Livius ingens. id eſt, ejus libri. Sic dum libros legimus, dicimur cum mortuis loqui. Luc. 16. Habent Moyſen & Prophetas. & Acto 15. dicuntur Moyſes & Prophetæ le-gi. Hæc eſt mea manus, id eſt, ſcriptura. Cic. 10 3. Catil. Lentulus agnovit manum ſuã. Nu-mer. 11. v. 13. Nunquid manus Domini abbre-viata eſt, id eſt, poteſtas, ubi priùs eſt meta-phora (manus enim Deo attribuimus ad ſi-militudinem hominis per manum operantis) tum metonymia. Habet piceas manus, ve-longos digitos, id eſt, furatur. Sic etiam bra-chium in ſcriptura accipitur tanquam inſtru-mentalis cauſa; ſic & oculus pſ. 33. Oculus Do-mini ſuper timentes eum. Cicero. Vitemus o-

culo

culos hominum, si linguas non possumus; ubi oculus pro conspectu, lingua pro obtrectatione sumitur. Sicut & cùm dicimus. Linguâ Italicâ, Gallicà expedit è loquitur, id est, idiomate, quod lingua exprimit. Sic intellige illud: si oculus tuus scandalizat te, erue, si pes, abscinde. &c. effectus enim oculi lascivia, & impudicus aspectus, gressus, contactus tollendus & mortificandus, non autem ipsa causa videndi, ambulandi, tangendi. Marc. 16. Linguis loquentur novis, id est, sermonibus; Genes. 11. Terra erat labii unius, id est, sermonis. act. 4. Cor credentium erat cor unum, & anima una, nimirum in sermone & actione. Levit. 26. Inducam super vos gladium, hoc est, bellum. Mich. 7. Iram Domini portabo, id est, pœnam ex ira profectam. Universim hic nota illud Theologorum. Omnes affectus, qui Deo tribuuntur sunt effectus effectuum: pro quo est Damasc. l. 1. de fide. c. 14. Iram Dei inquit & furorem intelligimus, odium & animadversionem contra malitiam: etenim nos voluntati nostræ contraria odio habentes irascimur. Oblivionem verò & sōnum & dormitationem intelligimus dilationem ultionis contra inimicos, & consueti auxilii ferendi tarditatem, ità ille. Unde facilè intelligentur dicta Exod. 15. v. 7. Ezech. 7. v. 19. Joan. 3. v. 36. Rom. 3. v. 5. in quibus ira & furor Dei ponitur pro vindicta, condemnatione & pœna. Item Genes. 6. v. 5. Jerem. 26. v. 13. 1. Reg. 15. in quibus pœnitentia Dei significat mutationem dicti aut facti, & recordatio ipsi tributa designat exhibitionem

promissorum aut petitorum. Sic Oseæ 4. Isai. 49. dicitur Deus obliviſci, hoc est auxilium suum subtrahere. Sic ps. 7. & alibi dicitur Deus, evigilare, expergiſci, hoc est opem suam ferre. Dormire autem, cùm differt, dissimulat, negat. Sic etiam descendere & venire dicitur, quando præsentiam suam operationesua singulari demonstrat. Joel. 2. Effundam spiritum meum super omnem carnem, id est, dona & gratias Spiritus S. quo sensu etiam dixit Joan. 7. Nondum Spiritus S. erat datus. 1. Cor. 11. Qui manducat. & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, id est, damnationem & pœnam, quæ ad judicium sequitur. Sic peccatum, sicut & iniquitas sumitur pro pœna peccati. Levit. 5 & 22. v. 6. item pro victima, quæ offertur pro peccato, quo sensu dicuntur sacerdotes comedere peccata populi Oseæ 4. id est victimam. Sic audire pro obedire accipitur. Joan. 10. Oves meæ, vocem meam audiunt. Cicero tecum loquere, te adhibe in consilium, tu audi. Aures habent & non audient, oculos habent & non videbunt. Sicut Agar ancilla & duo discipuli in Emaus. Gen. 2. Deus aperuit oculus Agar, id est effecit, ut videret fontem. Luc. 24. aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis. Genes. 41. dixit Pharao ad Joseph, sine non attollet quisquam manum suam, aut pedem suum; id est, nihil tentabit, faciet vel manu vel pede: nempe manus habebunt & pedes & tamen nec palpabunt, nec ambulabunt

Levi

Levit. 19. Opus mercenarii non pernoctabit tecum, id est, merces operis. ps. 120. Laborem manuum tuarum manducabis, id est, cibum labore manuum comparatum. Magnates comedunt sanguinem pauperum, id est, quæ sanguineo propè labore illi comparârunt. Sic David 2. Reg. 23. Absit, ut bibam sanguinem istorum, id est, aquam periculo sanguinis effundendi comparatam. Sic sol ponitur pro nigredine: Æthiopem multum monstrare in corpore solem. Item lux pro die, apud Virgil: vocat lux ultima victos. Sic bilis, pro ira accipitur, v.g. movere alicui bilem, bilem alicui in nasum concire, gladius pro persecutione: non veni pacem mittere sed gladium. Venenum est mors hominis, id est, causa mortis. Uvæ pro vino, pocula miscuit uvis, Virgil. Nullum habet ingenium, nullam memoriam, id est, actum secundum & effectum non habet.

Altera Metonymiæ species est, effectum ponere pro causa, v.g. Tu mea voluptas, meæ deliciæ, meum gaudium, meus dolor &c. id est, causa doloris, voluptatis. &c. Sic Christus est pax nostra, vita nostra, resurrectio nostra, salus nostra &c. id est, causa pacis, vitæ, &c. prudentia carnis mors est Rom. 8. id est, causa mortis. Quacunque die comederis, morte morieris, id est, causa mortis in te erit. Deuter. 30. Ecce propono tibi hodie vitam, & mortem, bonum, & malum, id est, Legem ex cujus observatione vita & bonum sequitur. 3. Reg. 4.

mors est in olla, id est, venenum mortem creans. Gen. 3. In sudore vultûs tui comedes panem tuum. In pane est Syncedoche, genus pro specie, in sudore verò metonymia, pro labore vehementi, & molesto, qui est causa sudoris. Proverb. 13. Qui parcit virgæ, odit filium, pro causa odii, quæ est, alteri non bene velle; non vult autem alteri bene in futurum (quidquid sit de præsenti) qui ipsum non corrigit, sed relinquit dissolutum. Inter arma silent leges, id est, judices in tribunalibus. Sic dicimus vinum colligunt, id est, uvas. Emit sibi his nundinis pallium, thorcacem, id est, pannum ex quo fit pallium, & thorax. Pallere pro timere posuit Horatius.

Pindarici fontis qui non expalluit haustus.

Hoc modo dicitur frigus iners, æstas torrida, studia melancholica, vel læta, vel utilia, libri docti. Sic fides viva, amor cæcus, solicitus, præceps ira, stulta libido, lætum nuntium, vinum generosum, ebrium, podagricum, calculosum, quia facit generosos, ebrios &c. Evangelium salubre, dæmonium mutum Luc. 11. Cicero pro Milone: Nequa vobis tam salutarem hanc in judicando litteram, quàm illam tristem dedisset, id est, potestatem absolvèndi & condemnandi. Salutaris enim littera A, id est, absolvo, tristis C, id est, condemno, quibus Romani in judiciis sententiam ferebant. Huc pertinent illa sub-

substantiva, quæ à re abstracta & avulsa, pro ipsa tamen re, cujus effectus sunt, ponuntur: ut: ubi est illud scelus, qui me perdidit, ubi scelus pro sceleſto ponitur. Sic dicimus jam furtum est deprehensum, id est, fur. Sic Cicero victoriam insolentem & superbam dixit pro victore. Et 1. Verrina. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, &c. Sic Christus dicitur maledictum, in quantum maledictus erat omnis, qui pendet in ligno, item oppproprium hominum, & abjectio plebis, item dicitur assumpsisse humanitatem, id est, humanam naturam, quam humanitas in abstracto concepta, & sumpta significat. Qua ratione etiam huc spectat; salutavi Nobilitatem, id est, Nobiles; Nobilitas enim facit Nobiles: sicut captivitas captivos. Quâ ex causa hujus quoque loci est: Captivam duxit captivitatem Ephes. 4. sic justitia pro justo, circumcisio pro circumcisis in Scriptura sumitur. Rom. 13. Unus est Dominus, qui justificavit circumcisionem ex fide; id est, circumcisos. Sic etiam dicimus est ipsa pigritia, ipsa innocentia, ipsa simplicitas &c. Justitia enim pigritia, innocentia facit hominem esse justum pigrum, innocentem; quia verò facit formaliter & tanquam forma, ut Philosophi nôrunt, hinc est effectus in genere causæ formalis. Quod si tamen formam revoces ad materiam,

quæest ſpecies Synecdoches, etiam pot erun exempla dicta eò vocari. Vel dici po teſt formam quidem eò pertinere, effectum vero formæ eſſe hujus loci. Huc etiam ſpectan ſequentia: exporrigit frontem, id eſt hilaris Corrugat frontem, aut contrahit, hoc eſt, moleſtè fert. Attollit ſupercilium, id eſt, eſt arrogans, ponit ſupercilium, eſt humilis. Inflat buccas, eſt ſuperbus; omnes illum ſuſpiciunt, id eſt, mirantur. Non permitter ſibi canos creſcere, id eſt, non geret curas.

Tertia Metonymiæ Species eſt, continens ponere pro contento. v.g. vitrum vini ebibit, unam ſcutellam lactucæ comedit, templum flevit, ſchola eſt docta vel pigra. Teſtis eſt Italia, Gallia, Roma, Senatus, &c. eſt aulæ, vel cœlo gratiſſimus. Sic l. 2. c. 17. Definitur prima ratiocinationis pars, propoſitio, per quam locus ponitur, id eſt argumentum ex aliquo loco Rhetorico, in quo continetur, deſumptum.

Divitis in menſam ſilvæ pelagique ferruntur.

Id eſt feræ & piſces. Domus Auſtriaca, pro Principibus Auſtriacis. Mundus totus in maligno poſitus eſt, mundus pro hominibus. Nolite portare ſacculum neque peram, id eſt, pecuniam, & res, quæ deferuntur in ſacculo & pera. Luc. 12. Peccavi in cœlum, id eſt. in Deum. Gen. 41. Conſumet fames terram, id eſt, homines. Gen. 46. Omnis Ægyptus veniebat ad Joſeph, id eſt, Ægy-

Ægyptii. Matt. 11. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida. id est, homines illarum civitatum, Judic. 4. Ceciderunt omnia castra Sisaræ, id est, milites in castris. Sic nos omnes in Adam peccavimus, quia voluntates nostræ moraliter continebantur in voluntate Adami, sic enim Deus statuerat, ut quidquid Adam fecerit, tanquam Caput, nos etiam censeamur feciſſe & voluiſſe, eo modo, quo quidquid vult Consul, censentur & Cives velle, Genes. 24. Effudit hydriam in canalem, id est, aquam. Virgil.

Ille impiger hausit,
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

In patera est Metonymia, continentis pro contento, in auro Syncedoche, ex materia res universa, nempe poculum aureum, in quo iterum est Metonymia continentis. Horatius. Adjecêrebonæ paulò plus artis Athenæ. Cicero. Squalent municipia, afflictantur Coloniæ, agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum Civem desiderant. Idem: Duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum, si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt. Ubi tabulæ pro Legibus ponuntur, quæ in tabulis scribebantur. Sic duæ tabulæ Moysis. Potest & contentum poni pro continente: Sic Ecclesia dicitur templum, in quo Ecclesia, id est, congregatio fidelium congregatur. Sic Poëta: Vina coronavit, id est, crateres in quibus est vinum. Apponas caput, id est, pileum,

timeo

timeo tenebras, id est, locum in quo sunt tenebræ.

Quarta Metonymiæ species est, ex possessore intelligere rem possessam. Sic clamabant Romani. Hannibal ad portas, id est, ejus milites. Cæsar habet victoriam. Marius maximas copias repressit. Sic dicitur; Pilatus Christum flagellavit, Herodes Joannem occidit. 1 Reg. 18. percussit Saul mille, & David decem millia. ps. 60. meus est Galaad, & meus est Manasses, id est, Judæi è tribu Ephraim & Manasse. Isa. 9. Verbum misit Dominus in Jacob, id est, in terram, quam possidebant filii Jacob Judæi. Numer. 24. v. 5. quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israël. Sic dicimus ibo ad B. Virginem, ad S. Jacobum, S. Virum &c. id est, ad illius templum. Item ibo ad Consulem, ad sutorem, ad meum amicum, id est, ad ejus domum. Petrus fuit apud me, id est domi meæ. Cicero, dixisti te apud M. Lepidium habitare velle. Si frequenter habueris hospites, devorabunt te, id est, res tuas. Actor. 9. Ego sum Jesus, quem tu persequeris, id est, cujus discipulos persequeris, illi enim pertinebant ad Christum; hinc etiam quia fideles sunt membra Christi corporis mystici ait, Matth. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et quia superiores sunt Vicarii Dei, & Christi, ideo ait: qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, Act. 5. non est mentitus hominibus, sed Deo, id est, Spiritui S. ut ibidem dici-

dicitur, & tamen Petro mentitus erat Ananias. Hoc modo, & Legati Principum eundem respectum merentur, & ordinem dignitatis, in eundo, sedendo, concludendo. &c. Potest etiam res possessa pro possessore poni, v.g. Stultitiam patiuntur opes, id est, divites. Pro aris & focis pugnandum, id est pro Deo & populo. Sceleratam intorserat hastam, id est, sceleratus ipse, à quo dicitur hasta scelerata.

Ultima Metonymiæ species est, ponere signum pro re signata. v. g. Laurea noster honos, id est, laurea est insigne Poëtarum, & Oratorum.

Cicero. Cedant árma togæ, concedat laurea linguæ.

Virgil. illumque in sceptra reponit, id est, regno restituit. Idem,

Non illum populi fasces, non purpura Regum
Flexit.

Non auferetur sceptrum de Juda &c. Cicero pro Roscio: plurimarum palmarum homo, id est, victoriarum. Sic Medici dicunt, color & urina est sana, id est, signum sanitatis. Sic nos loquimur: primâ lanugine mentum vestierat, id est, erat juvenis. Canos tuos veneror, id est, senectutem, cujus signum sunt cani capilli. Tubam elegit, id est, factus tubicen, calamum, & libros tractat, non gladium, claves quærit, id est, potestatem in alios, est rasus, hoc est, stultus, stulti enim solent radi, rosarium frequenter recitat, pro

est

est devotus B. Virgini. Nunquid judex sine causa gladium portat inquit S. Paulus. Sic insigne suum habet virtus quælibet v. g. Justitia gladium, & bilancem, fortitudo columnam, simplicitas columbam. Sic & Sancti suo cum signo effinguntur. v. g. S. Catharina cum rota. S. Agnes cum agnello. B. Aloysius cum lilio, ut è signo res agnoscatur. Hinc illæ locutiones: Malè pinxerunt Christum, id est, ejus imaginem, & signum; hæretici combusserunt Apostolos, id est, eorum statuas. Milites S. Nicolao demessuerunt Caput, id est, ejus imagini. Virgil. auratofulgebat Apolline puppis, id est, imagine Apollinis. Huc referuntur insignia Provinciarum. v. g. Leo Balthicus, micro Pragam habuit, Aquila biceps vincit lilia; sic inter alia de Leopoldo I. Roman. Imper. vetustissimus Codex Clagenfurti repertus à P. Puegfeutner: Industriâ Turcam leniet, Consilio suo hæreditabit Ungariam. Luctum induet. In Thraciæ finibus vibrabit gladium: Luna fatigabitur compedibus: Archiducem Austriæ salutabit Sophia: post alia: in diviso orientis imperio Aquila favet Gallo. Lilia induentur Solymæâ purpurâ.

***

CAP

CAPUT X.

De Antonomasia.

Antonomasia ponit aliquid pro nomine. ità Cypri. Soarius, secutus Quintili. l. 8. c. 5. Verùm alii quoque Tropi ponunt aliquid pro nomine, v. g. Metaphora vulpem pro astuto. Syncedoche puppim pro navi; Metonymia Cererem, pro pane, quæ igitur differentia, & distinctio inter illos erit? si dicas hic requiri nomen personæ, pro qua ponitur aliud. contrà est: etiam Metaphora, Synecdeche, & Metonymia potest ponere nomen aliquod pro nomine personæ. Sic Christus, dicendo Herodem vulpem, fecit Metaphoram. Præterea juxta aliquos est Antonomasia si dicam de Leone, quòd si terror animalium, si pro Aquila ponam alitem, vel reginam volucrum, si Romam appellem Urbem, uti tamen nulla est persona, neque in prioribus nomen ullum proprium. Si dicas Antonomasiam ponere aliquid pro nomine, quod ei per excellentiam convenit, & sic ab aliis tropis distingui titulo excellentiæ; contrà est illud, quod Quintil. lib. cit. adducit ex Cicerone pro exemplo Antonomasiæ, qui, non multa petens, inquit ille, fortissimo viro senior Magister. Sic etiam ars dicendi ponitur pro Rhetorica. Studium Sapientiæ pro Philosophia, & tamen nulla importatur excellentia. Non parva igitur difficultas

in data explicatione, quæ, ut expedia-
tur.

Nota 1. Nomen quod pro altero poni-
tur, non debet illi aliunde soli convenire,
tunc enim nulla fieret translatio à propria
significatione in alienam, quod ad tropum
requiritur: hinc non est Antonomasia, si
Deiparam vocem Matrem Dei; licèt pona-
tur pro nomine Mariæ, hoc enim illi soli
competit aliunde, ideoque nulla est significa-
tionis mutatio. Idem est si ponam pro Chri-
sto, Salvator mundi, neque enim alius est.
Hac ex causa, etiam hinc rejiciendæ definitio-
nes, quando ponuntur pro definito. v. g. ars
bene dicendi pro Rhetorica, unum enim
idem significat, quod alterum; & ideo pos-
sunt de se invicem prædicari & dici. Requi-
ritur itaque, ut nomen quod pro altero poni-
tur, latiùs in significatione pateat, quàm illud,
pro quo ponitur, ut sic uni attribuatur
tanquam ipsi propriè & soli competeret; sic
enim fit translatio vocis à significatione
communi ad *singularem* & particularem, &
quod pluribus convenit ex ratione sui signi-
ficati, ità ipsi applicatur, acsi ipsius proprium
esset, ipsique soli competeret.

Nota 2. Requiri ad Antonomasiam,
ut nomen generale, seu aliis commune pona-
tur pro nomine singulari, seu aliquo in parti-
culari, quod Philosophi individuum vocant,
nos nomen *proprium* vocabimus cum Gram-
maticis, prout opponitur nomini appellati-
vo,

vo, & per majusculam scribitur; neque enim alia exempla reperire est in probatis Authoribus, & præsertim in Quintiliano, neque aliàs foret distinctio à Synecdoche, quæ etiam ponit Genus, seu vocem aliis communem pro specie: jam verò erit si Antonomasia ponat generale nomen pro individuo, non pro specie. Hinc ales pro Aquila positum non est Antonomasia, quia vox *Aquila* non uni singulari, sed pluribus adhuc convenit, idem est si pro leone, ponam terror animalium.

Nota 3. Requiri rationem *excellentiæ* in illo singulari & individuo, seu ut ipsi præ aliis *specialiter conveniat*, debet enim essa causa cur nomen aliis commune, seu aliis etiam conveniens ipsi soli attribuatur, & posito illo nomine ipse, non verò etiam alii intelligantur. Et patet hoc ex communi tam sacrorum, quàm profanorum authorum acceptione, qui affirmant antonomasticè dici Apostolum, pro Paulo, B. Virginem pro Deipara, Oratorem pro Cicerone, Philosophum pro Aristotele, Philosophum Romanum pro Seneca, urbem pro Roma. Et amabo, cur est Antonomasia, si Urbem ponam pro Metropoli, non est autem si pro inferiori aliqua civitate vel oppido? si enim veniens Mantuâ dicam, fui in Urbe, facio tantum Synecdochen generis, quamvis nomen commune pro individuo, & singulari proprio ponatur. Si autem dicam intelligens Romam, quivis me Antonomasticè loqui affirmabit, eo quòd Roma urbs sit per excel-

lentiam, & urbs urbium. Sic si dicam Cæsar Turcam timet, intelligendo ejus exercitum, facio Synecdochen, ex uno plures, vel Metonymiam ex possessore rem possessam accipiens. Si autem dicam Cæsar non vult facere pacem cum Turca, est Antonomasia, quia Turcarum Imperatorem (qui est inter Turcas excellentissimus) intelligo. Idem si dicam Hispanus pugnat cum Gallo, & Hispanus fecit pacem cum Gallo, in posteriori enim tantum antonomasia est, quia hic solùm ille, qui per excellentiam Hispanus est, & Gallus intelligitur, non in priori. Sic Scripturæ sacræ interpretes antonomastice dicta accipiunt, sequentia. Exod. 3. Ego sum qui sum. Nempe esse omnibus commune, soli Deo competit per excellentiam, quia est Ens entium. Ibidem Deus vocat terram promissionis, terram lacte & melle fluentem. Luc. 18. Nemo bonus nisi solus Deus. Sic passim Prophetæ: Hæc dicit Dominus, ubi Deum intelligebant, qui per excellentiam, id est, per suum esse Dominus est, & bonus. Quo sensu accipitur illud: Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus. Nempe per suam essentiam, nos enim boni & sancti ac Domini sumus per participationem ab illo. Matth. 23. Patrem nolite vobis vocare super terram, nec vocemini Magistri, unus est enim Pater noster, qui est in cœlis, & unus Magister no-

ster

ſter Chriſtus. Nempe per excellentiam, alioqui his titulis in humanis locus non eſſet. Huc igitur ſpectant locutiones illæ, quibus dicimus: Rex Chriſtianiſſimus, pro Rege Galliæ, Rex Catholicus pro Rege Hiſpaniæ, Pontifex pro Vicario Chriſti, licèt hoc nomen Pontificis etiam Epiſcopis commune ſit, ut patet ex Breviario. Poëta pro Virgilio, epigrammatographus pro Martiali, Senex pro maximè ſene in domo vel familia. Impius, item & parricida, pro inſigniter impio & crudeli, aliquo in particulari. Item Pelides, Priamides, Anchiſiades, pro Achille, Hectore, Ænea, ſunt enim hæc nomina pluribus communia in quantum vel fuerunt plures filii Priami, Pelei &c. vel ſaltem eſſe poterant, ac præterea hi, pro quibus ponitur nomen actu, vel potentiâ commune, applicatur illis, qui ex eo genere fuerunt maximè inſignes & celebres. Horum tamen uſum Quintilianus prohibet Oratori, ſunt enim propriè poëtica, ſicut omnia alia patronymica. Huc itidem refer ſupra allatum Ciceronis ex Quintil. Fortiſſimus vir, ſenior Magiſter, excellentem enim in fortitudine, ac ſenectute fuiſſe putandum: aut ſaltem per Hyperbolem hæc excellentia illis ab Oratore attributa eſt, quo modo aliæ locutiones antonomaſticæ exponi poſſunt, ſi in rei veritate excellentia non deprehendatur, dicendum enim erit, illam alicui attributam eſſe per hyperbolem oratoribus uſitatam.

Ex dictis.

Collige 1. Hanc claritatis causâ statui posse *definitionem* Antonomasiæ : *Est Tropus , qui nomen aliis commune ponit pro nomine proprio & singulari propter excellentiam in eo significationis genere.* Provenit autem illa excellentia aliquando à natura, ut quod Deus sit, quod bonus solus &c. vel à studio , ingenio, ut Philosophus, Orator, Apostolus , à dignitate & potestate , ut Pontifex, à factis specialibus , ut Rex Catholicus, eversor Carthaginis : nam licèt alii quoque Carthaginem everterint (milites) tamen Scipio eminenter , tanquam Dux , & author.

Collige 2. Antonomasiam distingui à Metonymia, quia licèt effectum ponat pro causa, dum dico Eversor Carthaginis, non tamen admittit cujusvis effectûs nomen, sed quod est aliis commune, & huic pro quo ponitur *singulariter* proprium propter excellentiam. A Synecdoche autem generis distinguitur, quia Synecdoche rarò ponit nomen commune pro proprio & individuali, aut si ponit, non competit ei per excellentiam, uti fit dum dico: perfer te ad limina Reginæ, intelligendo Didonem, & effare ô Virgo, id est Sybilla. Licèt enim Dido & Sybilla nomina sint propria, tamen nomen commune eis per excellentiam non convenit, uti fit dum dico : Beata Virgo, Rex Catholicus.

Infe

Infer 3. non esse Antonomasiam si definitionem ponam pro definito, quia cùm definitio non pateat latiùs suo definito, non est nomen commune aliis, sed soli definito proprium, adeoque non mutat significationem è communi ad particularem transferendo. Non est igitur Antonomasia: Facultas dicendi, pro Rhetorica. Studium Sapientiæ, pro Philosophia. Regina florum, pro Rosa. Regina Urbium pro Roma. Regina cæli, pro B. Virgine, Princeps Eloquentiæ pro Cicerone, Poëtarum Alpha &c. hæc enim nomina non sunt aliis communia, sed ipsis solis propriè competunt, neque eis propter excellentiam attribuuntur, sed ipsam excellentiam super alios significant. Meliùs has definitiones spectatâ elocutionis formâ (nam secundùm materiam definitiones vocantur) *periphrases* oratorias dixeris, si non placet perfectas, saltem *imperfectas*. Quod si verò quis ex definitione solùm genus accipiat, relicta differentiâ v. g. habet hoc nempe Facultas illa, quod &c. (ubi me de Rhetorica loqui, ex præmissis intelligi potest) tum quidem aderit nomen commune, sed deerit alterum quod ponatur pro altero, quod per excellentiam ei competat, quare ad Synecdochem revocabitur, genus pro specie.

Infer 4. Non esse Antonomasiam, si

Romulidæ ponam pro Romanis, Dardanidæ pro Græcis, Cecropidæ pro Athenienſibus, nam hæc non habent aliam ſignificationem, quàm hanc; ergo non transferuntur à propria in alienam; ſed prorſus idem ſignificant, & unum in ſignificando tam latè patet, quàm alterum. Et quamvis unum etiam ſolùm in particulari appellem v.g. Romulides pro Pompejo, adhuc tamen non erit Antonomaſia, quippe alterum deeſt ex requiſitis, ut & attribuatur propter excellentiam, hoc autem hic non fit, hæc enim nomina propter originem à Romulo, Dardano, Cecrope indita ſunt, non propter excellentiam; unde ad Metonymiæ ſpeciem primam referuntur, ſicut Ceres pro pane, Bacchus pro vino. Quanquam nec eò quidem referri poſſe videntur; ſi quidem non transferuntur à propria ſignificatione in alienam, cum nihil aliud ſignificent. Sed habent ſe ut ephiteta ab aliquo derivata. v. g. Trojanus à Troja, Romanus à Roma, Capitolium à capite. Nec obſtat quòd unum ponatur pro alio; nam etiam candidus ponitur pro albo, Ilium pro Troja, papyrus pro charta, Batavus pro Hollando, neq, fit ulla translatio. Si tamen ex uno intelligas plures, vel nomen pluribus commune transferas ad unum, v. g. Arpinas pro Cicerone, Cypris pro Venere, Saturnia pro Junone, erit Synecdoche generis, niſi per excellentiam hoc eis at tribui aſſever, uti ad Herennium 4. Africanus ponitur pro Scipione, tum enim erit

Anto-

antonomasia. Similiter discurrendum in his: Saturnius pro Jove, Cyllenius pro Mercurio, Cynthia pro Diana. Secùs verò si dicas: Bilbilitanus olor, pro Martiali, Vates Sulmonensis, pro Ovidio; hoc enim nomen aliis non competit, sed illi soli pro quo ponitur, quare idem judicandum quod suprà de definitione.

Infer 5. non esse antonomasiam, si ponatur Cretensis pro mendaci, Siculus pro ingenioso, Scytha, Turca, Sarmata pro indomito, Leontinus, pro luxurioso, Arcas pro stolido, Thrax pro inhumano, Pygmæus pro brevi, Pœnus pro perfido, Asotus pro luxui dedito, Cares pro vilibus militibus, Hispanus pro gravi, Gallus pro levi &c. quia licèt hæc à propria significatione in alienam transferantur, id tamen fit propter *similitudinem* v.g. morum & actionum, non autem propter *excellentiam*; ideo enim gravem vocamus Hispanum, quia similis est in gravitate Hispano: unde Metaphora erit, non antonomasia. Si tamen quis insigniter præ aliis esset v. g. gravis, mendax & perfidus, tum dicendo Cretensem vel Pœnum, facerem Metaphoram & Antonomasiam simul: non secus ac dum pro Cicerone pono: Pater patriæ, ubi est metaphora propter similitudinem, & antonomasia, quia nomen commune pluribus (erant enim plures hoc titulo donati) ipsi per excellentiam competit.

Infer 6. Non esse Antonomasiam si dicam: sunt etiam nostra ætate Tullii, sunt Alexandri, sunt Marones, &c. quia hoc nomen eis nõ

attribuitur propter excellentiam, imò potius nomen significans excellentem, attribuitur aliis, qui non sunt tam excellentes. Id autem fit ideo, quia in eloquentia, fortitudine, carmine sunt similes, aliquo saltem modo Ciceroni, Alexandro &c. quare ad metaphoram revocari debent. Idem est si ponam Herculem pro forti, Crœsum pro divite. Irum pro paupere, Catonem pro severo, Sardanapalum pro mulieroso, Crassum pro locuplete, Ulyssem pro vafro, Numam pro religioso, Phalaridem pro crudeli, Neronem pro tyranno, Moysen pro miti, Polycratem pro fortunato, Aristidem pro incorrupto, Phocionem pro justo, Milonem pro forti, & robusto. Dædalum pro artifice, Icarum pro audaci & temerario, Nestorem pro grandævo, Orestem pro insano, Tantalum pro sitiente, Zoilum pro calumniatore, Epimenidem pro somnolento, Jobum pro patiente, Epicurum pro voluptuario, Curium pro frugali, Thersitem pro deformi, Verrem pro fure, Thrasonem pro jactabundo &c. Crœsus enim dicitur aliquis, quia est similis Crœso in divitiis, Irus quia Iro similis, ideoque metaphora est. Aliud foret, si alicui insigniter, & præ aliis diviti, aut specialiter egeno attribuam vocem, dives, pauper, vel Crœsus, Irus, tum præter Metaphoram erit antonomasia, quippe præter similitudinem importabitur *excellentia*, ratio *differentialis* antonomasiæ,

Nota dum Antonomasiam facio, non possum alterum nomen apponere pro quo illud

lud pono v. g. Rex Hiſpaniæ & Rex Catholicus, tunc enim unum non ponitur pro altero, ſed ad alterum, & ſic eſt tantùm epitheton, ità Quintilianus; ſi dicas, inquit: ille qui Carthaginem, & Numantiam evertit, antonomaſia eſt, ſi adjeceris Scipio, appoſitum. Porrò monitum de appoſitis, vide hîc in authore.

CAPUT XIV.

De Onomatopæja.

Onomatopæja eſt fictio nominis, ſicut proſopopæja fictio perſonæ: ſicut autem non quæcunque fictio perſonæ ad rem eſt, ita neque fictio nominis; non enim quælibet *fictio nominis* novi eſt tropus, ſed illa tantum, quæ fit *cum virtute*, id eſt cum gratia & ornamento, ad quod requiritur fundamentum, ſeu connexio unius rei cum altera, vel ſaltem vocis cum re, ut ſuprà expoſitum eſt. Unde non omnia nova vocabula, de quibus hoc l. 3. c. 7. agitur, ſunt hujus loci, ſed illa tantùm quæ fiũt ſecundo modo, nempe *imitatione*, id eſt, quando nova affictâ voce imitamur, & exprimimus ſonum, quem res habet naturaliter: tunc enim vox *naturalis*, ſeu naturaliter ſignificans, transfertur ad ſignificationem *artificialem*, & quidem cum gratia & virtute, quod non fit in quacunque vocis fictione. Quare non pertinent huc ſyllaturit, mendaciloquus, pietati cultrix pro ciconia, triſæcli ſenex pro Neſtore, templifuga &c. Sed bombalio, murmur,

mur, sibilus, bombarda, taratantara pro voce tubæ, fritinnire pro voce hirundinis, baubari antiquum pro voce canis, fringutire pro voce, fringillæ, ululapro bubone, cucullus, ronchizare, pitisare; hæc enim per artem sonum naturæ exprimunt, & à natura ad artem transferunt, ut tropus dici queat, quod in prioribus non fit. Unde Onomatopæjam rectè sic definiveris: *Est fictio nominis propter similitudinem vocis artificialis cum sono rei naturalis.* Dixi cum *sono*, non cum re, sic buccina à bucca & cano non est hujus loci, quia est ad similitudinem rei, non autem soni; sicut & upupa, serpens. Avium & animalium voces proprias expressit Author carminis apud Beyerling in theatro, Lit. A. fol. 449. ego brevius subjicio. Pro utroque tamen præmoneo, non omnia esse hujus tropi, sed illa tantùm, quæ sunt ad similitudinem soni naturalis efficta.

Ursi uncant, ululantque lupi, rugiuntque leones,
Lynx fremit, atque elephas garrit, & hinnit equus.
Frendet aper, glocitant corvi, vulpecula gannit,
Balat ovis, vitulus blatrat atque caper.
Bos mugit, latratque canis, sus grunnit, asellus
Oncat, & in tepidis rana coaxat aquis.
Mus mintrat, catus glaucit, malè sibilat anguis,

Sola

Sollicito pavidus vagit amore lepus.
Hunc aquilæ clangunt, & garritat anser amorem,
Hoc castus turtur, mæsta columba gemit.
Hoc turdus trutilat, crepitatque ciconia, sturnus
Pisitat, accipiter pipat, hirundo fritit.
Grus gruit, & corvus crocitat, plaucitque palumbes,
Rauca cicada strepit, lenta titinnat anas.
Graculus hoc frigilat, pupillat pavo, minurit
Passer, Zinzitulat regulus, atque merops.
Cucurrit gallus, gallina gracillat eodem
Hoc canit omnis avis, bombillat omnis apis.

Alaudæ cantus.

Illa sursum tereli, tereli, tire, tirtile tractim
Ingeminans, dulci circinat ore sonum.
Hæc volucris secat astra levis, de in tramite verso
Ima petens, dis, di, di inquit alauda vale.

CAPUT XV.

De Catachresi.

Catachresis idem est quod *abusio*, abusio & abusus vitium est, vitium non est virtus, tropus autem debet fieri cum *virtute*, itaque Catachresis tropus non est. Hic primus assultus est contra hunc tropum, sed facilè ei resistitur, si dicatur Catachresim esse *abusionem respectu metaphoræ*, non verò esse *in se*; metaphora enim ut dicitur c. 10. debet esse verecunda, ut deducta in alienum locum, non irruisse; atque ut precariò non vi veniisse videatur; at hoc Catachresis non curat, audacior, & liberior est, non expectat usque dum invitetur spatiatum ad hortos, aut eò deducatur (quod Virginum est, & pudicarum matronarum) offert se ultrò sinè pudore (non tamen impudenter) hoc virorum est, & honestorum adolescentium. Unde patet posse aliquid esse vitium uno respectu, non esse tamen alio; quod amplius declaro. Vitium est, & oculorum abusio respectu Virginis, circumferre oculos omnem in partem fori, aut irretortos tenere in viri gravis facie: quod item dedecus est in adolescente ingenuo: At minimè vitium est, si matrona annis adulta, aut vir id faciat. Simile quid cum Metaphora, & Catachresi accidit, ac per hoc etiam ab authore distinguuntur, quod nempe Catachresis *similitudinem* admittat audaciorem, metapho-

taphora non item. Verùm si definitio spectetur, adhuc aliam assignare facultas erit, habet enim Catachresis præter similitudinem, *propinquitatem*; utitur enim non tantùm verbo simili, sed etiam propinquo; quæ diversa sunt; simile enim est quod convenientiam habet aliquam, licèt minùs perfectam, propinquum autem, quod proximè ad alterum accedit, eique vicinum est. Sic micare & nitere, ædificare ligneum equum, & fabricare, ancillari, famulari, creare & facere molestiam sunt similia, non enim habent eandem significationem, sed similem tantùm, quia res non est eadem, sed similis: at cor, præcordia, pectus, & fibræ non est res eadem, neque similis, sed diversa, & dissimilis. Poëtæ tamen & Oratores nonnunquam unum pro altero accipiunt, eò quod sibi vicina, propinqua, contermina, & confinia in re sint. Sic perlegere picturam pro aspicere, est aliquo modo simile respectu oculi, bibere, vel haurire auribus, quod bibere ore, equitare in arundine longa vel in asino, pro sedere in arundine, vel asino At diversa sunt, & dissimilia magis, quàm similia pater, & mater, aurũ & argentum, pinus, quercus, alnus, carina & ratis, & tamen unũ pro altero ponitur propter vicinitatem in re; nam patrimonium dicitur etiam materna hæreditas; & matrimonium pro patris, & matris cõjunctione; parricidium autem non tantùm pro patris cæde, sed etiam pro matris, fratris & sororis, ut invenire est apud Florum, Ciceronem & alios. Quare similia hic concipienda sunt,

ut consanguinei in gradu remotiori, propinqua verò ut affines solùm, qui nihil habent ejusdem sanguinis, proximè tamen ad consanguineos accedunt. His positis sit ista *Catachreseos definitio. Est Tropus, qui vocem à propria significatione transfert in alienam, vel propter similitudinem minùs perfectam* (cave dicas imperfectam, non enim vitium est in se) *ac minùs propriam, vel propter vicinitatem unius rei cum altera.* Differt à metaphora, quod hæc nullam propinquitatem admittat, sed solùm similitudinem, & quidem perfectam, propriam & univocam; at Catachresis etiam analogam, minùs propriam & perfectam. Exempla similitudinis minùs propriæ, quàm plurima sunt etiam in sacris literis v.g. in corde terræ, in ore gladii, in ore sacci, Ps. 20. devorabit eos ignis, pro absumet. ps. 147. dat jumento panem suum, pro pabulo. Ædificavit Deus ex costa mulierem, id est formavit, ædificare enim est ædes facere. Sic dicitur ps. 88. Misericordia ædificari in cœlis, id est erigi. Horatius:

Serviet æternum qui parvo nescit uti.

id est sine fine. Ut enim æternitas finem non habet, ità nec ejus servitium in hac vita. Sic Deuter. 15. serviet tibi in æternum. Sic pyxis cùm propriè significet vasculum ex buxo, tamen accipitur pro vase cujuscunque materiæ v.g. ex stanno, tilia, auro &c. facto, quia similem formam habent. *Sic* cùm Imperator olim propriè significaret ducem exercitûs, qui millia aliquot hostium

cecidisset; jam omnibus Cæsaribus attribuitur ob similitudinem potentiæ: idem est de voce *Cæsar*, quæ à Julio Cæsare originem habet, cui reliqui imperio similes. Sic catulus dicitur pullus, aut filius leonis, pardi &c. cùm proprium sit canum, ità cùm clepsydra propriè significet horologium ex aqua, (ὕδωρ enim aquam significat, & aqua olim, non arena infundebatur) nunc accipitur pro horologio quovis, seu arenâ, seu pulvere aureo, vel plumbeo refertum sit. Sic Petrus mortuus, dicitur homo propter similitudinem formæ prioris. Tyrannus propriè Rex olim, nunc quisque crudelis dicitur, quia similis est Regibus illis in crudelitate. Dominus propriè est, qui habet servum, subditos &c. jam quisque Domini aut Dominæ titulo vult honorari propter similitudinem præcellentiæ alicujus. Per hunc abusum etiam vagatores, & otiosi dicuntur studiosi; Monachi qui non habitant in solitudine, divinis tamen vacant, sicut illi. Rasura Cleri in vertice, corona, propter similitudinem in rotunditate cum corona, umbra in pictura (propriè enim defectus lucis inibi non est) quo modo loquitur scriptura de B. Virgine, quod Spiritus S. illam obumbrârit. Sic dicimus habet brevem memoriam, leve judicium, longum consilium; altam fecit concionem, factus sum mihimet ipsi gravis. Gravitas enim, longitudo &c. proprie rebus corporeis, & quantitatem habentibus competunt, sed analogicè rebus spiritualibus attribuuntur. Huc

pertinet illud Ciceronis : gladius vaginâ vacuus pro nudus. Item Terentii : hunc comedendum, & deridendum vobis propino, id est offero. Sic Seneca rostrum canis posuit pro rictu; sic dicimus; Helluo librorum, spe devoravit hanc dignitatem, fidibus vel tubâ canit, fracta facit carmina, vir gregis ipse caper. Et corpore intemeratum virum, virginem appellamus. Et poëta pro nauta posuit aurigam navis. Ovidius 1. Trist. eleg. 5.

Aurigam video vela dedisse rati.

Virgil. 1. Æneidos. Campos salis ære ruebant. Et æquor pro campo. Lucretius : plani raptim petit æquora campi. Virgil. unâ omnes fecere pedem, hoc est navi progressi sunt.

Formosum Pastor Corydon *ardebat*
Alexim

id est amabat.

Exempla in quibus vicinum & propinquum sumitur pro proprio Matt. 11. Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt &c. id est qui paulò antè & proximè erant claudi, cæci, surdi. Sic etiam Simon leprosus in Evangelio dicitur, cum quo Christus comedit, cùm tamen cum leprosis agere vetitum fuerit; sed intellige qui proximè & nuper leprosus erat, jam verò à lepra curatus per Christum. Sic sacramentum Corporis Christi dicitur Panis Joan. 6. Qui manducat huc panem, vivet in æternum, Panis inquam dicitur, cò quod ante consecrationem panis fuerit, à vicino & propinquo. Sic in scriptura, infernus ponitur pro limbo & pro sepulchro, sunt enim loco sibi vici-

vicina & propinqua v.g. deduces canos meos ad inferos, descendit ad inferos. Quâ ratione etiam Poëtæ, Africum pro Aquilone, Austrum pro Zephyro, individuum pro individuo ponunt v.g. alnum, pinum pro quercu, sunt enim cognata sibi atq; affinia. Sic etiam natrix, anguis, serpens, hydrus pro eodem accipiuntur apud eosdem. Vide synonyma poëtica diversorum, nominatim P. Jacob. Masen. carmine colligata. Utitur scriptura sacra hoc eodem modo, dum consanguineos vocat fratres, sorores. Sic Isaac dixit Rebeccam uxorem suam sororem Gen. 26. quæ tamen cognata solùm fuit ex Nachor fratre Abrahami patris sui. Quo modo Christus dicitur habuisse fratres v.g. Jacobum, Joannem, unde Matth. 12. Mater tua & fratres tui stant foris, cùm tamen fuerit unigenitus. Accipitur etiam in scriptura sacra sæpius adorare pro venerari, eò quòd propinquum sit. v.g. 2. Reg. 24. adoravit Regem prono vultu. Et sæpius 3. Reg. 1 cùm tamen dicat Christus dæmoni se tentanti Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, quasi dicat non alium, non dæmonem &c. Sic sensus in corpore pro sensu ponitur, visus vel gustus pro tactu. Hebr. 11. Enoch translatus est, ne videret mortẽ. Joan. 8. Non gustabit mortem in æternum. Id est, tactu dolorem mortis non sentiet. In his enim, & similibus, dum individuum pro individuo, species pro specie ponitur, non est synecdoche, hujus enim est ponere genus pro specie, vel individuo, & contrà; non autem propinquum pro propin-

quo ſimile pro ſimili. In actis Anoſtol. dicitur Petro dormienti, calcea te caligas tuas, ubi calceare pro cingere ponitur, propinquum pro proprio. Sic pro oculis naſus, & os ponitur. Ante naſum ipſi rapuit, ante ora parentũ eſt occiſus, Item triclinium, cubile, hypocauſtum &c. pro eodẽ ſumi ſolent, inceſtus item, ſtuprum flagitium Æneid. 6.

Totamque inceſtat funere claſſem.
Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Sperare pro expectare, qui enim ſperat, huic proximum eſt ut expectet. Quod ſi ſperare pro timere accipias, erit abuſio vitioſa, non rhetorica, ſed ad Grammaticæ vitia relegãda. Quemadmodum & illud Horatii:

Atqui vultus erat, multa & præclara minantis.

Sed *nota*, non omnem vitioſam metaphoram eſſe Catachreſin, neque enim ſimilitudo nimium diſtorta, & inepta eſſe debet. Ut ſol eſt piſtor lucis, pulſare Deum precibus, mactare aliquem beneficiis.

CAPUT XVI.

De Metalepsi.

Hæc non jam *vicinum*, & *propinquum* pro proprio, sed *remotum* & *longinquum* ponit; opus est enim, ut gradatim per plura eundo ab una significatione procedatur ad aliam. Unde definiri potest: quòd sit Tropus, qui significationem remotam, & longinquam ponit pro propria. Pro exemplo communiter affertur illud Virgilii.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Ubi per aristas anni intelliguntur, hoc modo: ex aristis intelliguntur spicæ, ex spicis segetes, ex segetibus messes, ex messibus æstas, ex æstate annus. P. de Lacerda in Commentario Virgilii, nullam metalepsim agnoscit, facit enim hunc sensum: post aliquot regna, mirabor meas aristas. Id est, post aliquot annos mei regni mirabor aristas, id est, segetes tam pulchrè stantes in his agris. Verùm nos cum communi sensu Interpretum, & maximè Quintiliani sic reddimus: post aliquot annos mirabor mea regna. Ex quo etiam colligimus, quòd synecdoche & Metonymia si mediatam habent connexionem, aut relationem, huc ad Metalepsin sit referenda: nam in dato exemplo per synecdochen, & Metonymiam eundo proceditur, ut ex aristis anni intelligantur. Dum enim ex aristis spicæ

intelliguntur, est synecdoche partis pro toto, sicut etiam dum ex spicis segetes, & ex segetibus messes. Dum autem ex messibus æstas intelligitur, est metonymia, contenti pro continente, dum ex æstate annus intelligitur, rursum pars pro toto accipitur. Distinguitur nihilominus synecdoche & Metonymia à Metalepsi, quod illæ unum accipiant proaltero, quod cum eo *immediatam* habet connexionem; metalepsis autem contenta est quacunque *mediatâ* & longè dissitâ; seu synecdoche & Metonymia requirit, ut id pro quo ponitur, sit illius pars vel totum, continens aut contentum, effectus aut causa. Arista autem non est pars anni, neque contentum neque effectus, neque causa. Hinc rectè separatur Metalepsis à synecdoche & Metonymia, metalepsis enim non ponit partem pro toto, neque contentum pro continente (arista enim non est pars anni, neq; contentum) licèt ad intelligentiam & explicationé illius necesse sit per illa ire, quod solùm est implicitè & occultè involvere synecdochen, aut Metonymiam atque subintelligere, non autem expressè & apertè exprimere. Affertur & illud ex Virgilio: speluncis addidit atris, ubi ater pro profundo ponitur; quod enim profundum est, luce destituitur; quod luce caret, tenebrosum est, quod tenebrosum, nigrum apparet. Ex quo exemplo liquet non semper intervenire connexionem effectus, & causæ, quâ ratione tamen metalepsis ad metonymiam rejicitur à P. Masen. Et verò fatendum est,

ut universim de antonomasia, catachresi &c. dicamus, quòd sicut hi tropi habent distincta nomina ab antiquitate indita, sic etiam habere rationem aliquam specialem, ob quam distingui valeant à Metaphora, Metonymia, & synecdoche. Eccur enim ab ipsis adversariis affectiones, attributa, & proprietates vocarentur metaphoræ, synecdoches, & metonymiæ? cur non ipso metaphoræ v. g. nomine afficerentur? agnoscunt sanè fundamentaliter & reductivè, aut impropriè esse v. g. metaphoram, aut metonymiam in illis, non autem propriè & formaliter, ut Philosophicè loquar; eò quòd forma, & modus in iis transferendi sit alius, qui sufficit ad distinctionem, ut pâtet ex argumentationum speciebus, figuris & ipsa synecdoche, ac metonymia. Quod autem non omnes perfectè transferant vocem à propria in alienam, dicatur, esse tropos imperfectos, quemadmodum enthymema syllogismus imperfectus dicitur. Sed de hoc jam supra c. 8. ad exempla redeamus, quæ tamen perpauca sunt, quod obscuritatem, quæ orationis vitium est, afferant; vulgò dicitur: in campis est rusticorum panis, & pecunia; ac dum salutaris segeti pluvia cadit, aurum pluit: item indusia serit agricola, dum linum serit, quæ omnia per plura eundo verificantur. Quale est & illud, jam illi dentes amplius non dolebunt, prò est mortuus. Et priusquam amicitiam tecum ineam, plures modii salis tecum mihi sunt absumendi. Sic ovum unicum pauperi illi divitiæ erant, quia

ex ovo gallinam, ex gallina plura alia ova, & gallinas, tandem vitulum, bovem, & pecuniam sperabat. In Scriptura sacra plura suppetunt exempla, præsertim in Prophetis, qui obscurè locuti sunt, nè mysteria sacra parerent. Sic hebdomadæ Danielis pro annis positæ, quomodo etiam hebdomades de Antichristo intelliguntur, cùm hebdomas sit pars mediata & remota anni. Sic Christus est filius David mediantibus multis progenitoribus Christi; quomodo & nos filii Adæ dicimur. Sed de his scripturæ sacræ studiosi olim plura, nobis tropus rarissimus est. Porrò distinguitur *metalepsis* à *sorite*, quia soritas gradatim it per plura, ità ut singula expresè ponat, ac tandem ex illis facit *illationem* & consequentiam, ut vocant Philosophi: at metalepsis non ponit illa plura expresè, neque aliquid infert.

CAPUT XVII.

De Allegoria.

Continuare Tropos allegoria assolet, inquit nonnemo, qui tropos & figuras in carnem redegit. Exemplum ponit, absque & Cerere & Baccho venus alget. Si hoc verum est, Allegoria erit, ubicunque disparatissimi tropi convenerint, v.g. in illo Ciceronis in Pison: unus ille dies (quo rediit ab exillo Cicero) mihi quidem instar immortalitatis fuit (hyperbole) quo in patriam

(ge-

(genus pro ſpecie) veni; cùm Senatum (continens pro contento) egreſſum vidi, populumque univerſum (hyperbole) cùm mihi ipſa Roma (continens pro contentis nimirum Romanis) propè ſedibus convulſa (metaphora & hyperbole) ad contemplandum conſervatorem ſuum (antonomaſia) procedere viſa eſt, quæ me ita accepit (pro excepit, vicinum & propinquum pro proprio) ut non modò omnium generum, ætatum (hyperbole) viri ac mulieres omnes, fortunæ, ac loci, ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta urbis (pars pro toto) ac templa lætari: Ubi inſignes metaphoræ ſunt, quibus rebus inanimatis ſenſum ac vitam tribuit. Verùm nos cum Authore, ac pleriſque aliis non niſi *continuatam Metaphoram* dicimus Allegoriam, & quidem ſolùm illam, quæ ſimilitudinem in una, eademque re continuat. Unde allegoria non eſt in illo: Enni Poëta ſalve, qui mortalibus verſus propinas flameos medullitus; nec in illo Catuli: tenuis ſub artus flamma dimanat: ſunt enim diſparatæ metaphoræ, atque ideo non habent ſpecialem gratiam ac virtutem, quæ hic requiritur. Hinc monet Auctor, ut *quo genere translationis* (Metaphoram per antonomaſiam intelligit juxta c. 10.) *caperùs, eodem finias*; multi enim, cùm initium à tempeſtate ſumpſerunt, incendio aut ruinâ finiunt, quæ eſt inconſequentia rerum fœdiſſima, ità ille. Triplicem metaphoram poſuit Catullus carmine in Phaſelum.

Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.

Natare enim aquatilium est, ire terrestrium, volare avium. Simile est Horatii, l. 1. Epist. 1. Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit, si modò culturæ patientem accommodet aurem. Prima à brutis est, altera à fructibus arborum; poma enim acerba propriè mitescunt, terra ab agris. Continua fuisset metaphora si dixisset: nemo adeo ferus est, qui non manuescere possit, si modò doctrinæ &c. Sed Poëtis metrorum necessitati, & entheo indulgendum est. Apud Oratores elegantissimas & frequentissimas est invenire allegorias ex metaphoris continuatis, atque etiam orationes integras, ut in Oratore Extemporaneo, Phœnice Eloquentiæ &c. in quibus tamen hoc ipsum virtutis esse oportet, ut ab eadem re similitudo ducatur perpetuo; tunc enim præterquam quòd ingenium sapiat, etiam claritatem orationi affert, cùm contrà obscuretur oratio, si plurimas habeat allegorias se se insequentes, sed à rebus diversis inductas, & affectionem, atque ostentationem artis præsefert, ideoque fastidium non gratiam parit. Ciceronem sanè rariùs, sed aptè placuerunt hujusmodi ornamenta, ne nimirùm in vitium verteretur, ut patet legenti ejus orationes. Duplicem annotavit Cyprianus, adde aliam ex orat. Pro Quinctio. Ubi de criminum illatione & propulsatione, sic: Ità fit ut ego, qui tela depelle-

re

re, & vulnerebus mederi debeam, tum id facere cogar, cùm etiam telum adversarius nullum rejecerit ; illis autem id tempus impugnandi detur, cùm & vitandi illornm impetus potestas adempta nobis erit ; & si qua in re, quod parati sunt facere, falsum crimen, quasi venenatum telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Idem 3. de Orat. traducit clamosum Rhetorem nomine Coracem, id est corvum, hac allegoriâ Excludat pullos (id est discipulos) è nido suo (scholam intelligit) ut evolent pulli clamosi. Et pro Rosc. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis, postulat, idem Philipp. 4. Virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco. Et 3. Catil. Memoriâ vestrâ Quirites nostræ res alentur, sermonibus crescent, literarũ monimentis veterascent, & corroborabuntur. Ejusdem est illa. Tardi est ingenii, rivulos consectari, fontes rerum non videre. Huc pertinet illud : Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi & metes. Virgilius de apum republica.

> Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
> Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Ubi eleganter simile ducit ab hominũ republica ad apes, manendo, atq; insistendo captæ similitudini. Ejusdẽ est & illud : arguros anser strepit inter olores; ubi per olores Cinnã

& Varium

Varium Poëtam intelligit, per anserem verò ineptum aliquem Poëtam. Eclogæ illius hujusmodi allegoriarum tegumentis investitæ sunt, & sub vili rerum, & personarum agrestium facie, illustria prorsus decantat, ut videre est apud Commentatores. Aurelius Serenus Metropolitanus vitæ moralis actiones in iisdem expressas affirmat. Sic enim in vetusto codice habetur.

Ecloga I. Tytere tu patulæ &c. Interlocutores Melibæus & Tityrus amici: hoc est stultus, & sapiens, de vita beata disputant.

Vir stultus Melibæus erit, sit Tityrus inde
Vir sapiens; ambo regna beata canunt.

Ecloga II. Formosum pastor Corydon &c. Poëta Corydonem amantem Alexim scribit, hoc est animam amantem corpus.

Formosum corpus juvenis dicetur Alexis,
At Corydon anima est, quæ nimis illud amat.

Ecloga III. Dic mihi Damæta &c. Interlocutores Menalcas & Damætas, æmuli concertantes, & Palæmon Judex, hoc est caro, spiritus, & ratio.

Est caro spiritui, contrarius, estque Menalcas

Ecloga IV. Sicelides Musæ &c. Poëta solus in laudem Pollionis & Salo-

nint filii, hoc est in laudem Christi tunc venturi.

Ecloga in hac quarta Augusti describitur ætas,
Aurea quæ Christo jure dicanda venit.

Ecloga V. Cur non Mopse boni &c. Interlocutores Menalcas, & Mopsus amici, Cæsarem sub Daphnidis nomine deflentes, hoc est subjugatorum sensuum conquæstio de virtute relicta.

Perdomiti sensus Mopsus sunt, atque Menalcas,
Concordes certant dulcia verba loqui.

Ecloga VI. *P*rima Syracusio &c. Poeta Sileni cantilenam recitat ad Varum, de vita Epicurea, & mundi ortu, hoc est illustratis viris virtutem amplectentibus.

Purgati animis sublimes luce nitenti.
Varum Silenum significare potes.

Ecloga VII. Forte sub arguta &c. Interlocutores Melibæus, Corydon, Thyrsis hoc est: Virtus, honor, gloria.

Est virtus Corydon, Thyrsis defertur honori,
Gloria tum Daphnis, seu Melibæus erit.

Ecloga VIII. Pastorum Musam &c. Interlocutores Damon & Alphelibæus contendentes, hoc est dæmones expulsi è cælo, & beati cælo fruentes.

E cælo

E cælo pulsus dæmon censebitur aptè
Sed cælum felix Alphesibæus habet.

Ecloga IX. Quò te Mœri pedes &c. Interlocutores Lycidas & Mœris amici, hoc est intelligere & amare Deum, quæ duo sunt in ceatis.

Notitia est Mœris, Lycidas designata morem,
Divino in speculo quæ duo ritè manent.

Ecloga X. De insano Galli amore, hoc est de superno cœlestis patriæ triumpho.

Cœlestis patriæ satis est complere triumphum,
Quem castus Gallus, religiosus habet.

Hæc afferre placuit ad tollendam admirationem eorum, qui multiplicem sensum scripturæ sacræ, atque expositionem variam loci ejusdem demirantur; si enim Eclogæ Virgilii multiplicem habere possunt, quòd allegoriis involutæ sunt, quidni Spiritus S. oracula per Prophetas iisdem allegoriis involuta? maximam autem lucem affert carmen hoc Bucolicum Virgilii ad intelligentiam Cantici Canticorum, quod vocem Pastoris appellat Augustinus tom. 9. l. de pastoribus cap. 15. carmen bucolicum aut Georgicum plurimi interpretes apud Scherlogum Anteloquio 1. sect. 3. ut enim Poeta rerum agrestium similitudine adumbrat res sublimes,

ità Regum sapientissimus eodem involucro mysteria fidei, Synagogæ & Ecclesiæ exprimit. Atque ut Poëta interjicit nonnunquam aliqua Pastoribus altiora (sic enim Galli amores pastorum vocabulo integit, ut non semel prodat, se plus quàm de Pastore loqui) ità Salomon intermiscet ea, quæ aulis, reginis, ornatui regio &c. sint propria, quibus indicare cupit, aliud se cantare in aliis, quàm rustica verba significent. Et est hoc ipsorum Oratorũ documentum notatum hic ab Authore, ut *allegoria apertis permisceatur verbis*, nimirum interponendo voces rei, de qua agitur proprias, remque ipsam quæ involvitur similitudine in obliquo significantibus; quòd nisi fiat, obscuratur oratio, uti patet ex Horatii l. 1. odâ 14. quæ incipit. O navis referent in mare te novi fluctus. Ubi navem ejusque partes quassas pro repub. & civibus accipit, fluctus pro bellis civilibus, portum pro pace, sed sinè ullo adjecto horum vocabulorum. De Sacræ Scripturæ allegoriis sic loquitur. D. Hieronymus ad Principium c. 19. Isaiæ. Moris est scripturarum obscuris manifesta subnectere, & quod priùs sub ænigmatibus dixerint, apertâ voce proferre, ità ille. Rerum autem ignorantia inquit Augustinus lib. de Doctri. Christiana c. 16. facit obscuras Locutiones, cùm ignoramus vel animantium, vel herbarum naturas, aliarumve rerum quæ plerumque in scripturis similitudinis alicujus gratiâ ponuntur, nam & de serpente, quod notum est, totum

tum corpus pro capite objicere ferientibus, quantùm illustrat sensum illum, quo Dominus jubet astutos esse, sicut serpentes &c. ità Augustinus. Plenissima est allegoriis sacra pagina; notæ sunt parabolæ, quæ in Dominicis & festis leguntur, ut de semine, de vinea, de arbore bona & fructu, de Pastore bono &c. Hæc enim omnes allegoriam sapiunt. Isaiæ 42. de Christo, calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet; Ezech. 18. Patres vestri comederunt uvam acerbam, & filiorum dentes obstupescunt. Joan. 4. aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Joan. 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit &c. Joan. 21. Pasce agnos meos, pasce oves meas. Galat. 6. quidquid homo seminaverit, hoc etiam metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Matth. 18. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te, Scandalizat nos oculus noster inquit Bernardus in fest. S. Michaelis, dum voluntas nostra aliam monùs castam importunè ingerit intentionem sed habemus super hoc salubre consilium Salvatoris, erue eum, inquit, & projice abs te, hoc autem fiet, si non consentias, si abjicias, si resistas. Simili modo de manu, ac pede est intelligendum. Ità ille.

Ad allegoriam spectant *proverbia* tam sacra, quàm profana. Sacra sunt, Cantavimus vobis,& non saltâstis. Luc. 7. non alligatis os bovi trituranti. 1. Timot. 5. ejice primùm trabem de oculo tuo, Luc. 6. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Galat. 5. Canis reversus ad vomitum. 2. Petr. 2. Excolatis culicem, camelum autem deglutitis &c. Vide proverbia Salomonis, Martini Delrii, & Novarini adagia sacra. Profana sunt; alieno spectatur Mantica tergo. Omnes adorant solem orientem, nemo occidentem. Cicero pro Muræna. Intus intus inquam, est equus Trojanus. id est, insidiæ sunt in urbe, post abitum Catilinæ. Si claudo vicinus habitaveris,& ipse claudicare disces. Dat veniam corvis, vexat censura columbas. Mali corvi malum ovum, quo dicto Judices notârunt Coracem & Tysiam, ubi simul allusêre ad coracis (quod Græcè corvum significat) nomen. Non procul à proprio stipite poma cadunt. Esquilla non nascitur rosa. Nec imbellem progenerant aquilæ columbam. Sed de his vide alios v. g. Masen in palæstra styli, & in Speculo imaginum l. 6. c. 8. ubi de symbolis Pythagoræ, quæ ad hunc locum pertinent. Hoc solum monitum te velim, non omnia proverbia esse hujus loci, non enim omnia sunt allegorica, seu veritatem sub involucro similitudinis occultantia, sed ad alios etiam tropos referuntur, aut nudæ sunt gnomæ v. g. ex ungue leonẽ, potest huc referri,& simul ad metonymiã, in quantũ è signo res panditur,& simul aliud notat quàm verba

significent. At si dicas : sine Cerere & Baccho friget Venus , est tantùm Metonymia. Si dicas quisquis suos patitur manes , nullus est tropus, sed nuda veritas. Item ; quod differtur non aufertur , *Ænigmatum* hoc in capite fit mentio, non tamen ideo, ut ab Oratore confingantur, & inducantur, (nec enim obscuritatem admittit oratio ut poëma) sed summùm, ut relata & facta explicentur. Tale est illud Virgilii : Dic quibus in terris &c. Interrogantibus autem Virgilium Grammaticis ut scribit Petrus Crinitus de honesta disciplina. l. 3. c. 8. quid hic occultâsset , jocando respondisse fertur, se Grammaticis crucem fixisse , quâ se assiduè distorquerent. Expositiones diversas vide apud Servium , & de la Certa nostrum in hunc locum Virgilii: communiter placet illa de fonte, in quo cœlum apparet non esse latius ulnis tribus. Majorem crucem facit Rhetoribus illud Fabii : *in triclinio Coa, in cubiculo Nola*; hujus enim explanationem vel subterfugiunt ut Dæmon crucem , vel distortam assignant, & absque fundamento, eò quòd neque Ambrosius Calepinus, neque Erasmus inter adagia illius meminerit. Invenitur tamen apud Victorium in appendice castigationum Ciceronianarum ad Epi. 2. libri ad Metellum, cujus sensus esse debet, in triclinio bibax (eò quod coam mensuræ genus uno spiritu exsiccet) in cubiculo (in quo, quia dormiendum , silentii usus est maximus) garrulus ac sonorus instar tintinnabuli.

Unde

Unde per hoc intemperantem seu bibulum, & loquaculum notare volunt. Alius ait significare illum, qui tacet ubi loquendum, ubi loquendum est maximè v. g. inter edendum in triclinio, & loquitur ubi tacendum est v. g. in dormitorio. Manifestius est illud Homero propositum de pediculis à nautis, vel ut alii referunt, à piscatoribus; quæcunque cepimus, reliquimus, seu abjecimus, & quæ non cepimus nobiscum ferimus, quod cùm Homerus solvere nesciret, præ tristitia contabuisse, & obiisse dicitur. Eruditum est illud Ausonii:

Huc adsit interpretes tuus
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum, qui tibi
Cadmi nigellas fillas
Melonis albam paginam
Notasque furvæ sepiæ
Gnidiosque nodos prodidit.

Sensus est: Litteras Cadmi Phœnicis inventum, papyrum Niloticam, (nam Nilus olim Melo dictus teste Servio in Georgic. & Æneid. 4.) & atramentum quod è sepiæ piscis succo conficiebatur, & calamos scriptorios, è quibus Gnidici præ cæteris præstabant. Ità hoc ænigma explicat Politianus c. 39. Miscell. Tale est illud apud Suidam. Vir non vir, percussit non percussit, avem non avem, lapide non lapide, sedentem non sedentem. Id est: Eunuchus percussit vespertilionem punice, sedentem super ferula. Pingue est illud de perna.

Nobile duco genus, magni de stirpe Catonis,
Una mihi soror est, plures licèt esse putentur,
De fumo facies, sapientia per mare traxit.

Hic perna dicitur nomen ducere à familia Catonis, quæ dicta est Porcia, perna enim porci pars est; una dicitur esse ipsius soror, quia licèt porcus plures habet pedes, binas tamen solùm habet pernas, fumus ipsi colorem dat, & sal (qui Sapientiæ symbolum est) è mari eductus condivit. Ænigmatica fuerunt oracula Apollinis, ut cùm Philippus jussus est pugnare argenteis lanceis, hoc est pecuniâ corrumpere hostes, & Athenienses. Bello Persico de muris ligneis, hoc est, de navibus. Cræso ab Apolline responsum datum, tum regno ejus imminere exitium, cùm mulus in Persia rerum potietur, hoc est Cyrus, qui quòd ex Persa obscuri generis (ut ait Justinus) patre Cambyse, & nobili matre Mandane Astyagis Medorum Regis filia prognatus est, mulus est dictus ab Apolline, mulus enim patre ignobili, nempe asino, matre generosa, hoc est, equa nascitur. Inveniuntur etiam in sacris literis ænigmata, Ezech. 17. Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israël, & dices; hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum &c. Judic. 14. proposuit Samson tale: De comedente exivit cibus, & de fort

forti egressa est dulcedo. 3.Reg.c.10. Regina Sabæ venit tentare Salomonis sapientiam in ænigmatibus : quæ verò illa fuerint in sacris litteris non exprimitur, & nobis hæc delibâsse ad aliquorum curiositatem sufficiat. Hoc solùm adverte, non omnia spectare ad allegoriam; sed sicut dictum est de adagiis, illa solùm, quæ continuam habent similitudinem, nam hoc de sera porcina, subula & corio : per taurum porcus sequitur vestigia ferri : spectat ad Synecdochen, in qua totum pro parte, & materia pro re universa ponitur. Pleraque sunt quæ ad periphrasim referenda sunt, ut illud Ausonii de literis, de perna, & sequens de corde.

Tolle caput corvi, Caput ovis, viscera porci
Ista Deo sacres, inde beatus eris.

Vel: Dimidium sphæræ, sphæram cum principe Romæ
Postulat à nobis totius conditor orbis.

Ex dictis colliges 1. Allegoriam apud Oratores apertis permiscendam esse verbis, id est, adjectis propriis rei, de qua agitur, ne in obscurum sermonem demigret, qui ænigma dicitur. 2. Quo genere translationis cæptum est, eodem finiendum, id est, continuandam esse similitudinem metaphoræ, desumendo verba rei, à qua incepimus.

Hinc malè dices: grande discordiarum excitavit incendium, ex quo tot animarum millia naufragium passa sunt. Hoc est monstrum illud de quo Horarius in arte, amphora cæpit Institui currente rotâ (figuli) cur urceus exsit

3 *Definiri posse allegoriam sic*: Est *Tropus qui aliud verbis, aliud sensu ostendit per similitudinem perpetuam* (occultam tamen) *ac subinde etiam contrarium.* Dum autem contrarium ostendit, est *Ironia*, species sub allegoria contenta; nam quemadmodum animal sub se continet hominem & brutum, ità allegoria metaphoram continuatam & Ironiam, atque inde fit, ut Ironia non sit distinctus tropus ab allegoria, sed unum cum eo tropum efficiat propter adjectam allegoriæ particulam, *ac etiam interim contrarium.* Hinc non sunt plures tropi sermonis, quàm quatuor. Et verò Ironia non differt *intrinsecè* ab allegoria, quia etiam aliud verbis, aliud sensu ostendit, ac interim contrarium: quòd verò Ironiæ superaddendus sit pronunciandi modus: v. g. risus vel gestus, vel quòd contraria notitia habeatur de persona, vel de re, hoc verborum significationi non est intrinsecum sed extrinsecum.

Differt igitur solum *extrinsecè*, sed de hac jam pluribus.

* *
*

CAP.

CAPUT XVIII.

De Ironia.

Quid hæc sit ex jam dictis est manifestum; nempe quòd sit allegoria, vel sermo *contrarium* significans *cum illusione seu sarcasmo*, quæ illusio & irrisio verbis, & eorum significationi non est intrinseca, sed superadditur. Fit autem hæc irrisio, vel gestu ludrico, vel risu, vel voce. Quando autem notum est Auditoribus, quòd res vel persona habeat contrarium, atque aliud quàm dicimus, tum sinè irrisione, voce, vel gestu facta seriò pronunciari potest aliquid, atque cum eò majori gratia, quò magis dissimulatur. v.g. Cicerò Verrinâ ultimâ, post Verris injustitiam, & negligentiam in administratione Siciliæ demonstratam, exclamat. Veres homo sanctus, & diligens. Sic veteri verbo dicitur: Paulus est valde casnar, pro non valde senex, casnar enim senem apud veteres significabat. Item: Servus iste hoc expedivit sat topper, prò non sat citò, topper enim priscis idem erat, quod citò. Idem pro Rabinio: Tarquinii superbissimi, atque crudelissimi Regis ista sunt cruciatûs carmina, quæ tu homo lenis ac popularis libentissimè commemoras, caput obnubito, arbori infelici suspendito. *Pronuntiatione* cognoscitur si dicas: ô lepidum caput, ô scitum, ô urbanum hominem: videte amabò

prudentiam hominis. Næ iſte mihi ſit doctiſſimum caput. O præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, lupum. *Perſonâ*, ut ſi parvum vocem gigantem. Neronem mitiſſimum Imperatorem, caminarium albicantem, cretæ ſimillimum, aut ſi de divite, ſed avaro dicam: pauperrimus Irus eſt, ſua inopia propediem ipſum coget ſtipem quærere. Si de vetula rugoſa & deformi dicam: pulcherrima Helena eſt, roſâ gratioſior. De pigro vix pedes movente, volat ſicut ſagitta, de voraci, abſtemius eſt, ſemel in die comedit, ſed à manè uſque ad noctem &c. *Rei naturâ*, ut ſi defumanti juſculo, cujus guſtu labrum aduſſi, dicam: quàm frigidum eſt! de glacie: quàm calida eſt. De ſaxeo ſtrato; quàm molle eſt hic cubare! de carbonibus ignitis, quàm formoſæ, gratæque roſæ! Quòd ſi res, aut perſona ignota ſit, poteſt adjici vox, aut conſtructio, quâ exponatur nos Ironicè loqui. v. g. quàm generoſus miles, qui ad conſpectum hoſtis trepidat: ô præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt. Eſt gratioſus, ſicut porcellus. Eſt velox ſicut teſtudo. Es ſtudioſus ſed in poculis, non libris. Plautus: is etiam ſapere memorat, malleum ſcilicet ſapientiorem eſſe manubrio. Sic etiam dicere poſſumus: Diſcipulus eſt ſcilicet ſupra Magiſtrum. Non deſtituitur hoc tropo ſacra pagina, quin principio ſtatim, poſt affectatam ab Adamo & Eva divinitatem, ironicè locutus eſt Deus ad parentes primos pelliceo indutos: Ecce Adam quaſi unus ex nobis, ità interpretatur Rupe-

pertus. Credibile est & dæmonem ironicè locutum, quando dixit. Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii scientes bonum & malum. 3. Reg. 18. cùm sacrificuli Baal idolum suum invocarent, ut igne de cælo ipso sacrificium consumeret, neque tamen veniret, illudebat illis Elias dicens: Clamate voce majori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit ut excitetur. Judic 10. cum Judæi malis premerentur, quòd cultum veri Dei reliquissent, & idolis serviviſſent, ad Deum confugerunt, ut liberaret eos, quibus Deus ait: Ite & invocate Deos, quos elegistis, ipsi vos liberent. Ironiâ cum Sarcasmo usa est quoque Michol filia Saulis, quando Davidi, quòd coram arca saltasset, sic oblocuta est. Quàm glorioſus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est quasi si nudetur unus de scurris. 2. Reg. 23. Ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno Job. 2. uxor ejus sic miseriis oppressum alloquitur: adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Ubi benedicere pro maledicere accipitur, quemadmodum & c. 1. v. 5. nè fortè peccaverint filii mei; & benedixerunt Deo in cordibus suis Marc. 7. Dicit Christus Pharisæis: bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Nec ignorabant milites Ironiam, dicebant enim ad Christum Matt. 27. Ave Rex Judæorum,

& expuentes, in eum acceperunt arundinem & percutiebant caput ejus.

Dubitari potest hic 1. an non Ironia sit mendacium, cùm aliud verbis dicat, aliud in mente & sensu habeat. Respondeo Ironiam esse orationem falsam spectatis præcisè verbis, non tamen *fallacem*, quia non intendit decipere cùm non velit hoc significari quod verba sonant. Sed neque mendax est, quia vi & beneficio tropi hujus verba habent illam significationē, quam Orator habet in mente, tali enim casu non habent communem, & ordinariam significationem, sed ab illa transferuntur ad contrariam, & sic non discrepant à mente Oratoris. Præterea mentiens intendit, ut verba ab audiente accipiantur, sicut ordinariè sonant; at Orator hoc non intendit, sed ut in contrariam significationem trahantur, in eam nempe, quam ipse habet in mente.

Dubitari potest 2. an Ironia sit tropus sermonis, uti esse debet, cùm sit idem cum allegoria, quæ cum periphrasi, hyperbole, & hyperbato tropus est, non in uno verbo consistens, sed in pluribus, etiam in tota constructione. Cur verò esse non videatur, est, quia *bellum*, *lucus*, *Parcæ* &c. contrarium significant uno verbo. Bellum enim dicitur, quòd sit minimè bellum, Lucus, quòd minimè luceat; Parcæ, quod minimæ parcant. Respondeo in his nullam esse Ironiam, ad hanc enim non est satis ut contrarium significet, sed præterea debet habere significationem aliam pro-

propriam, à qua transferatur ad contrariam, alioqui Ironia non esset tropus, quia nil transferret: bellum autem non habet aliam significationem, quàm propriam, neque lucus, neque *Parcæ*, unde ad Antiphrasim puram revocari debent, quæ non est semper tropus, nisi coincidat cum Ironia. Verùm quid ad hæc? dum altus pro profundo, profundus pro alto accipitur v. g. cælumque profundum, pelagus altum. Item auri sacra fames, sacer morbus, sacer ignis pro execrandus, & novissimus pro primo, primus pro novissimo. Respondeo in his esse catachresim non Ironiam; cùm enim altus & profundus sint correlativa, atque secundùm rem idem (idem enim quod est altum, est etiam profundum, licet non eodem respectu, seu ut Philosophi loquuntur formaliter) accipitur vicinum & propinquum pro proprio. Similiter sacer & execrandus affinia sunt, & in hoc similia, quòd cum cæremoniis sacris utrumque peragatur, sed unum in bonam, alterum in malam partem ac finem. Major difficultas oriri potest in allatis suprà exemplis pro Ironia, quomodo non sit tropus, in uno tantùm verbo: v. g. dicendo, ô mitissime Nero, ô præclare Imperator Vertes, verè homo sanctus & diligens &c. tum enim in sola voce, *mitissimus, præclarus, sanctus diligens* ironia esse videtur, reliqua verò adjici propter constructionem, non secus ac dum dico lætæ segetes, ubi tropus est in sola voce *lætus*: alterum adjicitur solùm ad sensum, tanquam modificatum. Responderi potest:

test : in Ironia requiri reliqua non tantùm ideò, ut sit perfectus sensus quoad syntaxin, & constructionem, sed etiam ideo, ut sit sensus contrarius illi verbo, quod dicitur de aliquo; ex eo enim quòd addatur *sancto* vel *diligens* Verres, intelligitur sensum in oratore esse contrarium, quod si diceretur de Catone v.g. jam intelligeretur nõ esse contrarium sensum, ei namque hoc verè conveniret.

CAPUT XXI.

De Periphrasi.

Periphrasis est Tropus, qui plurium verborum significationem ponit pro significatione unius, atque ideo est tropus sermonis, & dicitur *circumscriptio, circumlocutio, circuitus* loquendi. Utimur autem periphrasi. 1. necessitatis causâ, quando scilicet deest, aut menti non occurrit vox, aut nomen proprium, v.g. pro ire in posta. Iter facere per dispositos variis in locis equos; pro musqueta, machina bellica ad pilam plumbi minorem vi pulveris pyrii emittendam, trajiciendumque hostem confecta; pro exhæredatus est : latinè dicitur paternis facultatibus per juris dispositionem privatus, vel bonis paternis legitimâ cautione destitutus. Sic si nominare nesciam hominem, vel domum, vel librum, vel quid simile ad hoc denotandum utor circumlocutione v. g. est Senator, habet tales

& tales vestes, tales capillos, talem staturam, faciem, nasum &c. affer librum qui jacet in tali loco, tam spissus est, in tali corio, formâ &c. Eas ad domum quæ in dextra fori parte est penultima, sub tali signo vel imagine v. g. rubro leone, aquila &c. Utimur 2. periphrasi honestatis causâ atq; decentiæ, quando scilicet rẽ nudè proferendo offenderemus aures castas, aut honestas. Sic cùm Apostolus non velit nominari luxuriam, melius dicitur fœdissimum carnis vitium. Sic Virgilius & Poëtæ castiores, res venereas castè circumscribunt, & Historici etiam ea, quæ naturæ necessaria sunt, ut peragere illa illa quæ edentes & bibentes facere cogit necessitas, naturæ requisita peragere &c. Ità cùm porcum nominari horreant aures honestæ, dicere potes, animal cui grunnire proprium est, & cui anima pro sale data est, ut ajebat Chrysippus, nè computrescceret. 3. Adhibemus periphrasim ornatûs, & elegantiæ solius causâ v. g. si quis dicat: is qui Pæderastim esse Socratem dixit stupidum, & mulierosum & bardum, quòd jugula concava non haberet, innuit Zopyrum: Qui dicebat Ciceronem nescire litteras, hic Cælestium indicat; qui manui in pugnum contractæ dialecticam, & eidem in digitos extractæ eloquentiam, similem esse asserebat, Zenonem Eleatem significat; sic pro Philosophia, Rhetorica, poni potest: Facultati dat operam, quæ rerum

rerum naturalium parit cognitionem, quæ benedicendi tribuit felicitatem. Sic Joannes Evangelista dicitur discipulus quem diligebat Jesus; vel Evangelista, qui super cæteros altiùs divinæ generationit mysteria perspexit. Sic David vir secundùm cor Dei, Moyses, prodigiorum in Ægypto coram Pharaone patrator, atque Salvator populi ex servitute Ægyptiorum. Sic Christus: Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Matthæus, homo, quem in telonio Christus sedentem post se vocavit. Ex his

Collige huc pertinere 1. Definitiones rerum, si ponantur, omisso eo nomine, quod definitur; jam enim dixi suprà, non esse Antonomasiam, si illi propriè & non per excellentiam competat ut est Salvator mundi, Dei incarnati genitrix, aut si illi soli conveniat, aliis verò non sit commune, uti sunt hæc ipsa. 2. Phrases & elegantiæ grammaticæ, non tamen quæcunque, sed quæ rem circumscribunt, v. g. audi hominem cui chari eloquii nectar propinavit, gravique sententiarum motu suada dedit fluitare, pro Eloquente. Author ad Heren. l. 4, ponit hoc exemplum: Scipionis providentia Carthaginis opes fregit, pro Scipio Carthaginem fregit. Item vaticinia de re vel persona v. g. de Antichristo in scriptura, ipso tamen non nominato. 2. Thessel. 2. à v. 3; Præterea ænigmata in quibus non est similitudo continua, cujusmodi est hoc de tabaco.

Non

Non bibor, ut bibar, & populorum potus, & haud sum;
Mandor ab occiduis, nec tamen esca fui-
Cùm bibor ipsa sitis crescit, sum victima vlugi,
Torqueor, incidor, torreor, uror idem.
Quo capior, perdor, quo claudor, pellor ab ore,
Nostraque mox difflat fercula, quisquis amat.

Collige 2. Periphrasim fieri per locos Rhetoricos v.g. definitionem, partium enumerationem, adjuncta, antecedentia & consequentia, causas & effecta. Differt autem ab illis: quia loci solùm dant *materiam*, periphrasis *formam*. Unde secundùm rem periphrasis spectat ad locum aliquem, secundùm elocutionem autem ad præsentem tropum.

Quæres quomodo Periphrasis ab hypotyposi distinguatur? Respondeo, quia periphrasis est circumscriptio rei, hypotyposis autem descriptio. Seu in periphrasi illa multa verba ponuntut pro una voce, neque plus ad propositum, id est, ad fidem vel motum faciunt, quàm si una vox posita esset; at verò in hypotyposi illa multa verba pro ipsis rebus ponuntur, & facere debent ad propositum, ad *vim* & *efficaciam* argumenti, quod una vox non faceret, plus enim facit, si ad vivum oculis subjiciam belli circumstantias v.g. militum rabiem, cædem, damna, quàm, si dicam, fuit bellum.

Quæ-

Quæres 2. an non sit synecdoche simul in illa periphrasi.

Et jam summa procul villarum culmina fumant
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Id est fit vesper. Respondeo affirmativè, neque enim negari potest, sæpiùs tropos plures in unum convenire posse, eorum tamen manet distinctio penes *diversitatem respectus.*

CAPUT XX.

De Hyperbato.

Est tropus qui transfert verba ex loco & sede naturali ac regulari, (quam exigunt regulæ syntaxeos) *ad artificialem*, id est prout numerus oratorius aut Poëticus postulat. Hic imperfectissimus troporum est, quia non mutat significationem, seu non transfert à significatione propria in alienam, sed tantùm *modum & ordinem significandi mutat*: quia tamen hæc verborum immutatio est aliqua translatio è loco proprio, & insuper fit *cum virtute*, cum gratia & ornatu orationis (plurimùm enim servit ad fluxum concinnum orationis) inde inter tropos referri potuit à Quintiliano quem hic author secutus est. Fit autem duobus modis. 1. *perversione*, ubi ordo naturalis immutatur, ut nostra in æde, variis de rebus mecum locutus est ille, quo cũ mihi magna est necessitudo: naturaliter enim in õui lingua hæ particulæ præponi

desiderant, cùm sint præpositiones. 2. *Trajectione*, quando non servatur regularis Grammaticæ ordo, ut nominativus præcedat, adjectivum substantivo conjungatur, verbum activum post se accusandi casum habeat &c. v.g. ad tuam verò laudem non modica faciebat viri illius commendatio &c. Elegans est illa trajectio Ciceronis pro Marcello, ubi cùm dicere debuisset : Hodiernus dies attulit finem diuturni silentii &c. sic loquitur : diuturni silentii P.C. quo eram his temporibus usus &c. Verùm hic

Nota 1. non esse verba nimis longè à se dissicienda, quia obscuratur oratio, dum non potest commodè percipi, quorsum unumquodque spectet, & cum quo sensum faciat. Tale est illud Virgilii l. 1. Æneid.

Tres Notus, abreptas, in saxa latentia torquet.
Saxa, vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.

Ubi verborum ordo est : Notus torquet tres (naves) abreptas in saxa, quæ saxa latentia in mediis fluctibus Itali vocant aras. Idem. l. 1. Georg.

Si varias pelagi volucres, & quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim argos humeris infundere rores,
In cassum vides.

Ordo est: si videas varias volucres pelag certatim infūdere largos rores humeris incas. sum, quæ in stagnis dulcibus Caystri rimantur circum Asiæ prata. Tale est illud:

Centum claves, claviger unus habebat, erat qui:

Et:

Qui latas nares, est furiosus, habet.

Nota 2. non esse faciendam vocis unius in duas divisionem, quemadmodum poëtæ faciunt. v. g. meri nomenque dei. Et:

Hic sibi pangendo versus, cere-compinunt-brum.

Tale est illud Gracchi:

Præfractè oblatam stultum est, medi spernere cinam.

Ausonii, Matrique cida Nero. &: villa Lucani mox potieres aco, pro Lucaniaco. Lucretii.

Aut magis hamatis inter se perque plicatis Pro per plicatis. Et:

Stultus les sua mi calcaria viscitur obli

Pro stultus miles oblivisci tur sua calcaria. Hæc transeunt Poëtis ad strictum nimis numerum seu pedum dimensionem habentibus; Oratori tamen vitiosa sunt. Quòd si vox fit composita ex iis, quæ etiamnum divisæ sunt in usu, tum licebit v.g. Res autem publica. Sic Cicero pro Marcello. Me certè in omnibus rebus satis, nostræque conjunctioni, amoriquefacturum, pro satisfacturum.

CAP

CAPUT XXI.

De Hyperbolæ.

Hyperbole est Tropus, qui significationem majorem mutat in minorem, vel minorem in majorem. Hinc duplici modo fit, vel *augendo* rē plùs quàm in se sit, vel deprimendo & *minuendo*; ut enim dantur vitra augentia & minuentia, ut musca speciē referat elephanti, & elephas speciem muscæ, sic etiã dantur translationes hyperbolicæ, quæ rem dicendo efficiunt majorē vel minorem. Minuendo factæ sunt hæc: res est plumâ levior, quid tibi cum musca illa, vel pulice negotii? sic Cicero pro Milone. Mirabar tamen credi *P*opæ ebriosorum confessionem servorum audiri, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari. Sic dicimus vix illum attigi, quando validè percussimus. 2. Reg. 9. cum Miphiboseth filius Jonathæ ad mensam regiam à Davide invitaretur, dixit: quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei, Judith cap. 14. dicebant Assyrii de Judæis Bethuliâ egressis, quoniam egressi mures de cavernis suis. 1. Reg. 24. ait David ad Saulem se persequentem. Quem persequeris Rex Israël, quem persequeris, canem mortuum persequeris, & pulicem unum. Matt. 11. venit Joannes neque manducans, neque bi-

bens. Id est, parum manducans, & bibens. Augendo fiunt istiusmodi: est stupidissimus, avarissimus, doctissimus, superbissimus, sceleratissimus &c. est ipsa pigritia, ipsa humanitas, ipsa castitas, ipsa innocentia &c. est stultitiâ stultior, crassitie crassior, deformitate deformior: sermo melle dulcior, animus glacie frigidior, passere salacior, tardior testudine, lepore timidior, Dianâ intactior, Venere formosior, Gratiis humanior, Phalaride, Nerone crudelior, Stentore clamosior, Timone inhumanior, Aristide incorruptior, Pygmæo brevior, Pœno perfidior, Scythâ asperior, Cretensi mendacior, Clyclope immanior. &c. Virgilius de Polyphæmo: ipse arduus, altaque pulsat sidera. & eclog. 3. Candidior cygnis, hederâ formosior albâ, & Æneid. 7. de Camilla.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Simile est illud: Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur. id est, valde rara est in milite fides & pietas. Tale est illud:

It cælo clamor, ferit aurea sydera clamor.

Volat velocior Euris &c. Plautus in milite glorioso: Tu legiones diffla visti spiritu, quasi ven-

ventus folia. Sic dicimus priùs ex pumice aquam expresseris, quam ex isto nummum, vel verbum. Sic Cicero pro Roscio jocatur in Calvum, quod nè quidem ullum pilum boni viri habeat. In Rullum vocat regnum infinitum, quomodo nos dicimus, sunt infiniti errores, pulices, millies aut centies te monui, id est, sæpè. Eleganter idem Verris latrocinia describit act. 7. in Verr. versabatur in Sicilia longo intervallo alter non Dionysius ille, non Phalaris, sed quoddam novum monstrum, ex vetere illa immanitate, quæ in iisdē locis versata esse dicitur: non enim charybdim tam infestam, neque scyllam nautis, quam istum in eodem freto fuisse arbitror: hoc etiam iste infestior, quod multò se pluribus & majoribus canibus succinxerat, Cyclops alter multò importunior. Idem pro lege manil. Pompejus sæpius cum hoste conflixit, quàm quisquam cum inimico concertavit; plura bella gessit, quàm cæteri legerunt. Idem pro Cluentio: quod portentum Dii immortales, quod tantum monstrum in ullis locis, quod tam infestum scelus atque immane, atque unde natum esse dicamus: ubi portentum pro portentoso, monstrum pro monstroso, scelus pro scelerato ponitur. In scriptura sacra dicitur. Oratio justi cælum penetrat. Prædicate Evangelium omni Creaturæ. Inter superbos semper sunt jurgia, oportet semper orare, peccatum meum contra me est semper, id est, ut plurimùm. Rex in æternum vive, id est longissimo

tempore. Impossibile est divitem intrare in regnum cœlorum, & peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, neque in præsenti, neque in futuro sæculo, quod enim difficile est in genere moris, hoc judicamus, aut saltem dicimus nobis impossibile: quo sensu & Petrus de lege veteri dicit, fuisse illam onus, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuerunt. Joannes ità concludit Evangelium suum. Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros: apud eundem dicunt Judæi: Ecce totus mundus post eum abit. Et Totus mundus in maligno positus est; eritis odio omnibus hominibus &c. Deuter. 1. dicuntur urbes usque in cœlum munitæ. Et Judæa alibi dicitur, terra lacte & melle manans, id est, valde fœcunda, Metaphoram, & hyperbolem complectuntur sequentia. Helluo vel gurges patrimonii, divinum ingenium, Plato divinus, monumenta lugent, parietes gaudio gestiunt, volitat gloriæ cupiditate &c. Synecdoche verò cum hyperbole est in isto Juvenalis satyr. 2.

Ultra sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & bacchanalia vivunt.

Nota 1. Hyperbolem non esse *mentientem* superjectionem, sed *emetientem*, quòd men-

mensuram in dicendo excedat, minuendo vel augendo, neque enim hyperbole est mendacium Theologicum aut Philosophicum, quia non loquitur contra mentem; hoc enim vult verba foris significare, & non amplius, quòd habet in mente, neque potest prudenter velle aliud, si sibi credi vult: quis enim crediderit, urbes usque in cælum esse munitas, Joannem Baptistam neque manducasse, neque bibisse, & quæcunque alia relata sunt. Solùm igitur vult dicere, valdè esse multùm in re, aut valde parum, & quia hoc sibi videtur difficile exprimere, suprà rei veritatem aliquid ponit, non tamen contrà: & mercatorum more iniquum pretium ponit, ut æquum ferat, id est affirmat incredibilia, ut ad credibilia perveniat. Denique Christus, Evangelistæ & Prophetæ hyperbole usi non essent, si foret mendacium, aut mentiens superjectio. Unde D. Augustinus l. 16. de Civit. c. 21. explicans illud Genes. 13. Et faciam semen tuum tanquam arenam terræ, quod inquit eâ locutione dictum est, quam Græci dicunt hyperbolen, quæ utique tropica est, non propria, quo tamen modo ut cæteris tropis uti solere scripturam, nullus qui eam didicit ambigit. Ità ille. Idem tract. 124. in Joan. in fine exponens illud Joan. 21. sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt libros. Ubi hoc explicuisset non de spatio locorum, sed de capacitate legentium intelligendum esse, subdit. Quamvis salvâ rerum

fide plerumque verba excedere videantur fidem: quod non fit, quando aliquid quod erat obscurum, vel dubium, causâ & ratione redditâ exponitur, sed quando id quod apertum est, vel augetur, vel extenuatur, nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur: quoniam sic verba rem, quæ indicatur excedunt, ut voluntas loquentis, nec fallentis appareat, qui novit quousq; credatur, à quo ultrà quàm credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. Hunc loquendi modum Græco sermone non solùm Græcarum, verùm etiam Latinarum literarum Magistri Hyperbolen vocant. Qui modus sicut hoc loco, ità in nonnullis aliis divinis literis invenitur, ut est: posuerunt in cælum os suum, ps. 72. Et: verticem capilli perambulantium in delectis suis, & multa hujusmodi, quæ scripturis sanctis non desunt, sicut alii tropi, hoc est, locutionum modi, de quibus operosiùs disputarem, nisi Evangelista terminante Evangelium suum etiam ipse compellerer meum terminare sermonem. Sic Romanæ Eloquentiæ doctor Augustinus.

Nota 2. non esse quid nimis agendum vel minuendum, alioqui affectatio tropi apparebit, & pro gratia fastidium pariet hyperbole, quale pariunt qui se nimium humiliant Politici, aut extremè & per omnes superlatos sua asseverant.

PARA-

PARÆNESIS
AD
ELOQUENTIÆ CANDIDATOS.

In qua præter figuras *pleræque troporum ſpecies* exprimuntur, exercitii ſcholaſtici ergò.

QUæ hactenus claritatis gratiâ diffusè explicata ſunt, poſſunt memoriæ causâ breviter ad præcepta Cypriani Soarii revocari, adjectâ ex his breviter explicatione, quæ ad definitionem v.g. troporum vel diſtinctionem, vel intelligentiam deſiderari videntur. Hoc autem facto prædictorum doctrina exemplis inculcanda, imprimenda & exprimenda eſt; primò quidem ſingulorum ſeorſim, ut factum ſuperiùs, tum inſimul in diſcurſu & argumento continuo, cujus paradigma ſubjicio, in quo cùm metaphoræ, & allegoriæ ſint frequentiſſimæ, eæque per ſe manifeſtæ, eas annotare ſuperfluum duxi.

1. Periphaſis.
2. Meto y. ex poſſeſſore res poſſeſſa.
3. Catachreſis pro dimittas vicinum pro proprios

Agedum Pieriis è collibus ad optatas autumni ferias nuper egreſſa ſtudioſa pubes:
1 2 3
Tempus inſtat, quo Dianæ mittas amœnitates.

.Meton. x causa eu Inventore, el ex ossessore es possessa.

4

tes. Pomonæ deseras cupedias, & mentem à ludicris ad seria, ab otio ad negotia, à curiosis ad erudita convertas. En favent superi, arridet cœlum, fortuna vocat ad promeritum literarum gradum, ad diffusos nempe campos Eloquentiæ. Non est quod formi-

Ironia.

5

des hic formosissima veridicorum scilicet Poëtarum monstra, quæ Parnassus objiciebat, non ardua montium, non abrupta valli-

. Catahresis.

6

Simile pro proprio.

um, ad tortuosam metricorum pedum fle-

Hyperbole.

7

xuram, ingenii ac digitorum carnificinam efficta: apertus hic se campus ostentat, nullis textus dolis, nullis horridus cavernis, in quibus portenta illa vatum delitescebant, planus est accessu, amœnus facie, lætus as-

3. Hyperbole.

8

pectu ipsis adeo Thessalis. Tempe est exoptatior. Viret in fœcunda verborum velut germinum varietate, luxuriat troporum velut florum gratia, lenocinatur figurarum

9. Catachresis.

velut segetum venustate, gravidatur sententiarum velut fructuum pondere, & labitur, manatque numerorum ad aurium volupta-

10. Onomatopœia.

10

tem fluentium susurro. Nec caret parti-

11 Catachresis.

11

bus, quibus secatur in areas, nec messe, nec fru-

frugum ubertate : Opulentus[12] est, illustris[13] est, argentum[14] & aurum[15] progerminat, gloriam nominisque claritatem parit; quando ex inope[16] divitem, ex obscuro clarum, ex mortali facit immortalem. Neque est, quòd ad novenum[17] dearum chorum respectes, ubi una Pallas se tibi offert, quæ ipsius divinitatis[18] è cerebro (si Poëtis habenda fides) prognata, veritatis est filia, Eloquentiæ parens, animorum regina, Urbis[19] & orbis dominatrix & triumphattix. Plena quidem majestatis Heroina, sed affabilis; induta casside, armata clypeo, & hastâ, sed quam non torquet nisi in scelus[20], in iram, in libidinem, in pervivaciam & improbitatem. Se petentibus amabilis, & officiosa, ultrò præbet obtutum, invitat ad accessum, dulcis & blanda, orditur affatum, informat linguam, labra demulcet in mellifluam simul ac potentem loquendi facultatem[21]: in hoc enim deservire prompta, ut balbutienti[22] pubertati vestræ non dedignetur esse Magistra, lallanti infantiæ non aspernetur esse verbi dux atque nutrix ad elocutionem[23]. Ar-

12.13. Metony. quia facit opulentos & illustres.

14.15. Synecdoche ex materia res universa.

16 Synecdoche ex uno plures.

17. Periphrasis.

18. Synecdoche ex genere species, id est Jovis è cerebro.

19 Antonomasia pro Roma.

20, Metonym, scelus pro scelerato ira pro irato.

21 Periphrasis.

22 Onomatopæja.

23 Synecdoche pars pro toto id est, pro eloquentia.

24. Synecdoche genus pro ſpecie.
25. Hyperbole.
26. Synecdoche ex materia roſtratarum navium.
27. Antonomaſia.
28. Metony. continens pro contento.
29 Antomaſia.
30. Metony. duplex.
31. Metonym. triplex ex ſignoribus ſignata.
32 Onomatopæja.
33. Synecdoche ex pluribus unus.
34. Periphraſis pro Eloquentia.

Artem illa ſuam,[24] quâ ad animorum mot
nihil præſtantiùs,[25] cuivis inſtillare, differe
amplè atque ornatè rationem ſuggerere, a
gumenta ſuppeditare, loquendi agendiq
dexteritatem transfundere apperit, quâ fi
pro[26] roſtris cum Tullio, ſive pro Regum Ca
ſarumque adytis cum Aſinio Pollione, ſi
ſacris in exedris[27] cum Gentium Doctore,
pro curia[28] cum Græciæ[29] Oratore, ſag
togaque[30] Conſilia expromere, obſcur
illuminare ſententiis, dubia ſolidare, inutil
refellere, firmare vacillantes, diſſidentes
componere, compeſcere perduelles, obla
ctantes ſternere, obſtinatos emollire poſſitis
ac valeatis,[31] ſine rubore purpuræ, ſine faſciu
formidine, ſinè metu buccinæ, cum totiu
plebis admurmuratione.[32] Et nè verbis for
ſan meis fidem abrogetis, en ut ipſa affatu
unumquemque dulciſſimè.[33] Adeſto anim
quiſquis generoſum nactus ſanguinem, a
dicendi gloriam[34] eniteris; adeſto, nè metue
tibi me Ducem, tibi me formatricem fore, n
diffide: ingenium illuſtrabo lumine. Ad ar
gumentorum diſquiſitionem, judiciũ ad or
dinem, linguam ad verborum ornatum, l
ben

bra ad modos & numerum, manus denique, reliquumque corpus ad agendi venustatem.

35
Tu solum mæstum timorem exue, cum timore torpentem ignaviam, cum ignavia horrorem difficultatis, cum horrore laboris fugam,

36
ut te legere Tullium, volvere Demosthenem, vigilare ad Cleanthis lucernam, oleumque

37
consumere pigeat nunquam, sed scholarum pulveri immorari, atque immori sit voluptati, Ità futurum non ambige, quin

38 38 38
templa te suspicere, civilia regiaque subsellia

39 40
tibi assurgere, canos & impuberes tibi caput

41
deponere sis visurus, & post messes non

42
multas, laboremque per brevem, amplissimam gloriæ messem sis collecturus.

35. Metonymia.
36. Metonymia.
37. Synecdoche ex consequentia antecedens.
38. Metony. multiplex. contin. pro contento.
39. Synecdoche pars pro toto.
40. Metonym. contentum pro continente.
41. Metalepsis.
42. Catachresis.

Paradigma brevius.

Ardentissimum sit licèt, utilissimum tamen animi tempus adest, quo rusticus tecta deserit, ferrum arripit, ut granum ante hyemem terræ omnium parenti mandatum, demetat, & in horreum deportet: hoc tempus mille votis desideratum, quo flavescit in agro Ceres, detondetur campus, verè lætæ, ut eas vocat Latinus Poëta, falcantur segetes, quæ panis imò aurum sunt agrestis turbæ.

Has

Has ut colligat, brevibus non parcit viribus
quas aliâ resarcire nequit ratione, quàm l
bente cum susurro de monte frigidâ, aut fo
turigine compestri. Languenti medicina e
una tum rerum ubertas, ut visu delibata v
non flere (si credere fas est) compellat agric
lam. Sed pluviam me ciere Jove sereno qu
advertatis non ambigo.

En breviculum exemplar, in quo omn
tropi: nam *ardentissimum* Metonymia est
contentum enim est ardens, nempe sol, no
ipsum tempus; sequitur Periphrasis: *tempo
quo* &c. pro æstate. *Rusticus* synecdoche est
ex uno plures, & *tecta*, ex parte totum, videli
cet domus, *ferrum* ex materia res universa
granum ex uno plura. *Parenti* metaphora
mandatum catachresis, vicinum pro proprio
id est, commendatum, quanquam & hoc ca
tachreticè improprium est, similitudine im
propria. Ut *granum demetat* ex antecedenti
bus consequentia, quod enim prius fuit gra
num, jam est culmus, & spica. *Mille votis de
sideratum* hyperbole. *Ceres* metonymia pro
frumento, ex causa effectus. *detondetur* me
taphora. *Læta segetes* est metonymia, quia ru
sticum faciunt lætum. *Latinus Poeta*, antono
masia pro Virgilio. *panis & aurum* sunt, e
Metalepsis duplex, vectæ enim domum, tu
triturate, eventilatæ, commolitæ dant panem
rustico, & pecuniam, si vendantur. *breves vi
res* Catachresis, *resarcire* itidem catachresis
susurro Onomatopæja. *medicina* metapho
ra: in fine *flere* pro ridere ponitur, ironi

nesciq

nescio an satis congruâ, nisi per sequentia, in quibus est allegoria clarior, reddatur.

Ad horum similitudinem alia atque alia efformari possunt, tum ut troporum notitia altiùs imprimatur, tum ut usus eorum combibatur. Speciatim autem in allegoria operam collocare est utilissimum tum ad copiam, tum ad ornatum orationis, quod factu facillimum, si similitudinem quæras ejus rei, quam eloqui vis. v. g. assume hortum floridum, & animam ornatam virtutibus, vel orationem tropis & figuris excultam, aut agricolam rus arantem, serentem, & hominem qui animum virtutibus excolere vult, aut scientiâ, aut bellum describe in similitudinem tempestatis; Tartarorum irruptionem in similitudine exundationis; studiorum cursum in similitudine navigationis in mari &c. Hujusmodi ornamenta creberrimè reperire est, non tantùm apud auctores profanos sed & sanctos Patres. Ità D. Chrysologus sermo 49. in hujus sæculi mare tumens pompâ elatum vertice, undosum sectis, insciti â fluctuans, clamosum litibus, fremens irâ, sævum perfidiâ, peccatis naufragum, impietate demersum misit piscatores suos Christus. Ambrosius de pæniten. cap. 3. Confessio tua pœnitens medicina est, ipsa te curat, nec patitur vulnus tuum pati putredinem, sed mox ut ingemueris, superinducit indè notabilem cicatricem. S. Augustinus l. 3. de natura & gratia. c. ult. ô mens sancta! paradisus deliciarum, variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus

purpurata, & suaviter cælesti gratiâ irrigata: hæc est fratres mei paradisus, in quo plantavit lignum vitæ cælestis Sapientia &c.

CAPUT XXII.

De Ornatu, qui est in verbis conjunctis.

Dixit suprà l. 3. c. 4. Cyprianus *ornatum* orationis duplicem esse; in verbis *singulis*, & in *conjunctis* seu continuatis, id est, uno forsim sumpto, verbo & in tota constructione, seu in pluribus. Hinc egit primò de ornatu, qui est in uno verbo, dum egit de simplicibus, quæ grandiora, sonantiora, nitidiora &c. & de translatis per metaphoram, Synecdochen &c. usque ad allegoriam exclusivè, & quia ornatus, qui in allegoria, periphrasi, hyperbato & hyperbole est, tropicus est, cum reliquis tropis illum expedivit, licèt sit in verbis conjunctis. Nunc verò solùm aget de ornatu, qui est in verbis conjunctis sinè ulla translatione seu mutatione significationis, & hic consistit in collocatione certa, & in modo quodam ac forma verborum, collocatio enim facit, ut non tantùm suo ordine verba ponantur, quem rei natura exigit, sed etiam nè asper fiat concursus syllabarum; forma verò verborum superaddit gratiam orationi, ut currat, & cadat ad aurium lenocinium. Illa tollit asperitatem, hæc autem confert harmoniam quandam & modulationem, quæ

ex numero Poëtico; unde Oratori quoque certa syllabarum dimensio observanda est, de qua postea. c. 34. & sequentibus, sicut & de collocatione primùm agit à capite 31. Priùs enim agendum erat de figuris verborum & sententiarum, quæ in ipsa collocatione, & numero oratorio implicantur & involvuntur, cùm post tropos præcipuum sint orationis ornamentum.

CAPUT XXIII.

De Figuris.

Figuratus loquendi modus est, quo communiter non utimur, ut patet ex figuris in Syntaxi positis. Unde figura definitur: *Est confirmatio quædam, id est, forma, ratio, atque modus loquendi, qua communiter non est in usu*, seu quo vulgus in ordinario sermone *plerumque* non utitur. Dixi: *plerumque*, & communiter, nam sicut vulgus quandoque tropis utitur, ità & figuris, v. g. repetitione, traductione, interrogatione, optatione, exclamatione. Verùm hoc facit beneficio eloquentiæ naturalis aut artificialis auditu aliorum comparatæ. Hæc definitio convenit etiam locutionibus in Syntaxi selectioribus, elegantiis & phrasibus. Item tropis ac figuris syntacticis & poëticis, à quibus *tamen figura Rhetorica* differre debet. Unde sic definiri potest. *Est eximius &*

elatus, supra communem loquendi modum, qui rationem non tantum exornat (uti elegantiæ, phrases, tropi) *sed etiam animat*: Rhetorica enim figura (quod non facit Syntactica vel Poëtica) animare atque vitam tribuere debet orationi, atque ideo vim, efficaciam, energiam, & impressionem quandam habere debet, (ordinatur enim ad motum, seu affectum, aliquando lenem, aliquando vehementem, aliquando moderatum) in verbis, aut in sensu & significatione verborum. Si vim habet in verbis, est *figura verborum*, si in sensu & significatione, est figura *sententiarum*. Quod à tropo differat figura patet ex dictis, tropus enim communiter loquendo non animat orationem, sed tantùm exornat. Ac præterea tropus ita exornat, ut verba accipiat in significatione alia, quàm verba habeant; figura autem accipit verba in sua sibique propria significatione. Accidit tamen frequenter, ut in unam eandemque constructionem & tropus & figura conveniat, utsi verbum aliquod translatum repetam.

v. g. floret etiamnum, floret Ecclesia.

CAPUT XXIV.

De Generibus figurarum.

In qualibet oratione, seu constructione est reperire duo 1. *verba* seu *voces*. 2. *sensum*, & *significationem* vocum. Unde duplex est figurarum genus, unum quod exornationem affert *vi verborum*, & vocatur *figura verborum*, seu dictionum; alterum, quod exornationem addit *vi sensûs*, & *significationis*; & dicitur *figura sensûs*, *seu sententiæ*: nam, quod hic notandum imperitis; sententia non accipitur hic pro gnoma aliqua, seu dicto, veritatem aliquam ad mores continente. cujusmodi est illud: *veritas odium parit*; *sequitur superbos ultor à tergo Deus*: *stultitiæ proprium est*, *aliorum vitia cernere*, *oblivisci suorum* &c. Sed pro eo, quod animi nostri sensum, mentem, & sententiam exprimit. Quòd autem inter se differant, figura verborum, & sententiarum, patet ex eo, quòd figura verborum tollatur, & destruatur, si verba mutentur in alia synonyma, aut affinia in significatione: at verò figura sententiarum manet mutatis etiam verbis; eò quòd idem sensus animi exprimatur. Ut probat Author in exemplo. Sæpius tamen coincidere possunt, quemadmodum diversi tropi, ita tropus, & figura, in eundem locum. Porrò quotnam sint figuræ verborum, quot senten-

tiarrum, difficile est statuere inter tam discrepantes authorum opiniones, quorum aliqui aliquas recipiunt, quas alii rejiciunt, ut legenti authores patebit; quasque aliqui figuram sententiarum faciunt, alii ad verborum figuram remittunt. Idipsum in nominibus figurarum quis reperiet, ut propè verum sit, quot capita, tot sententiæ. Quare nil meliùs author facere potuit, quàm sequi *consensum gravissimorum scriptorum*, quales sunt Aristoteles, Cicero, & Quintillianus, quorum authoritati potissimùm innititur, ut te frontispicium libri docebit. Quare temerè me facturum putarem, si hac in re à doctrina ejus recederem, explodendo aliquas, aut in unum confundendo non assignatâ distinctione, ac differentiâ, quæ difficilis non erit, de plerisque saltem loquendo, si quis earum definitionem & exempla fuerit perscrutatus.

CAPUT XXV.

Quot modis fiant figuræ verborum.

Quemadmodum vestis pretiosa decorem homini confert,& ornamentum ; sic figura venustatem specialem orationi; ob quod etiam à Græcis figura dicitur, *schema*,id est,*habitus*,qui propriè primùm corporis est,deinde ad animum transfertur. Sicut autem habitus, ac vestitus personæ primùm incurrit in oculum, deinde in personam vertitur obtutus; si figura verborum priùs aures ferit , ac aures permeando , descendit ad animum, qui verborum ductu ad sensum & significationem progreditur.Quæ causa est,ut author priùs agat de figuris verborum ; deinde verò de figuris in sensu. Rectissimè autem,& ad captum,in tres dividit classes , omnem figurarum in verbis apparatum , dum ait,*tribus maximè , & præcipuè* (quod addit propter ultimas aliquot v.g. correctionem , dubitationem) *fieri modis. Adjectione , detractione , similitudine.* Adjectione fit , quando idem verbum , seu *eadem vox* sæpius ponitur : dico *eadem vox* , si enim alia adjiciatur,vel similis, non est figura per adjectionem.Detractione fit , quando vox ad constructionem syntacticè perfectam, necessaria,omittitur,semel,vel sæpius.Unde sicut prior facit additionem Arithmeticis notam,ita hæc subtractionem. Similitudine

fit, quando vox *non* jam *eadem*, sed *similis* tantùm priori in syllabis, & litteris apponitur. Hæc ampliùs patebunt exemplis in sequentibus.

CAPUT XXVI.

De figuris, quæ fiunt per adjectionem.

Omnes figuræ primi generis repetunt *idem* verbum: prima quidem in *principio* constructionis, altera *in fine* illius, tertia in *principio* simul, & *in fine*, quarta seu conduplicatio, promiscuè & *ubicunque* manente tamen eadem significatione vocis; Traductio etiam ubicunque sed cum *variatione*, & *mutatione significationis* aliquali, vel totali. Polyptoton cum *mutatione casuum*. Synonymia *eandem significationem* repetit, *mutatis* verbis; polysyndeton *eandem conjunctionem*. Gradatio *vocem* priorem repetit, *cum aliquo ascensu vel descensu* ad ulteriora. Omnes igitur figuræ primi generis dici possunt *repetitio*: hoc tamen nomen soli primæ figuræ attribuitur per excellentiam, & Antonomasiam, sicut nomen translationis metaphoræ: est enim hæc figura inter illas princeps; eò quòd in principio repetat. Unde definitur: *est figura verborum, quæ idem verbum sæpius ponit in dictionis, seu sermonis principio.* Aliis dicitur anaphora, aliis epanaphora, aliis diplosis anaphorica, aliis parisosis, aliis aliter; sed hæc alibi legen-

tem

tem non terreant, uti nec doctrinæ diversitas, quemadmodum prænonui. Mihi sanè clarior, distinctior simul, & brevior divisio figurarum visa est nulla. Sed exemplis definitionem declaremus. Cicero pro lege Manilia. Agitur populi Rom. gloria, agitur salus sociorum, atque amicorum, &c. Author ad Herrenn. lib 4. vobis istud attribuendum est, vobis gratia habenda, vobis res ista erit honori: &c. Scipio Carthaginem delevit, Scipio pacem peperit, Scipio civitatem servavit. Virgilius 1. Æneid. Tu mihi quodcunque hoc regni est, tu sceptra Jovemque concilias, tu das epulis accumbere Divûm. Cicero 1. Catilin. Nihilne nocturnum præsidium palatii? nihil urbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil consensus bonorum civium? nihil hic munitissimus habendi Senatûs locus? nihil horum ora, vultusque moverunt? Duplex repetitio est in illo pro Roscio. Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt, causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt: accusant ii, quibus occidi Patrem Sexti Roscii bono fuit, causam dicit is, cui non modò luctum mors Patris intulit, verùm etiam egestatem: accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summè cupierunt; causam dicit is, qui &c. Similis fieri potest in hunc modum: nemo præceptoris explanationem auscultat, nemo explanata recolit, nemo dictata excipit, nemo studiosè elaborat, audent tamen Rhetoris nomine gloriari,

audent jactare se plurimùm profeciſſe. Similem repetitionem habet Pſalmus 148. & 150. ubi Laudate ſæpius ponitur in principio versùs. Sicut & Benedicite in Cantico trium puerorum Daniel. 3. Pſal. 117. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. 2. Cor. 11. periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ſolitudine, &c.

Converſio. *Converſio*, (alii epiſtrophen, antiſtrophen vocant) *eſt figura, quæ idem, aut eadem verba repetit, in fine conſtructionis*; eſt igitur contraria priori. Cicero in Agraria. Tu Rulle, emes, quod voles; utrumque facies quanti voles. Idem lib. 4 ad Heren. Pœnos populus Rom. juſtitiâ vicit, armis vicit, liberalitate vicit. Idem, ex quo tempore concordia de civitate ſublata eſt, fides ſublata eſt, amicitia ſublata eſt. Idem in Lælio. Homo novus erat, ingenioſus erat, doctus erat, bonis viris, & ſtudioſis amicus erat, in civitate primus erat. Idem: nam cùm iſtos, ut abſolvant te, rogas; ut pejerent, rogas, ut exiſtimationem negligant, rogas, ut leges populi Rom. tuæ libidini largiantur, rogas. Huc pertinet illud Pauli 2. Cor. 11. Hebræi ſunt, & ego. Iſraëlitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego; Miniſtri Chriſti ſunt (ut inſipiens dico) & ego. Etiam plura verba repeti poſſunt. Ut Martialis lib. 2. epigr. 17.

Capto tuam! pudet heu! sed capto, Maxime cœnam:
Tu captas alias: jam sumus ergo pares.
Manè salutatum venio: tu diceris îsse
Manè salatatum: jam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique anteâmbulo Regis;
Tu comes alterius: jam sumus ergo pares.

Sic Psal. 117. omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini quia ultus sum in eos. circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini quia ultus sum in eos. &c. sic Psalmus 135. in fine singulorum versiculorum repetit: quoniam in æternum misericordia ejus.

Complexio (aliis simploce, Rutilio Rufo κοινότης dicitur) est figura, quæ idem verbum sæpius *in principio*, & idem sæpius *in fine* repetit: inde complexio dicitur, quia & primam & secundam complectitur: atque ideo repetitionem & conversionem habere debet: si enim non habeat, complexio dici non potest. Unde in his non est exemplum hujus figuræ: Complexio.

Virgili. Eclog. 7.

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Ovidius 7. Fastor.

Qui bibit, indè furit: procul hinc discedite, queîs est.
Cura bonæ mentis: qui bibit indè furit.

Cicero in Verrem. multi & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi &c. in his enim, licet idem verbum, quod fuit in principio, ponatur in fine, non tamen est complexio: quia nulla repetitio, neque conversio: unde hæc ad conduplicationem remittit Cyprianus, qui citat allatum ex Cicerone exemplum inibi, & simile ponit ex eodem in fine. Hæc igitur Complexiones erunt: ad Herrenn. 4. quem Senatus damnârit, quem populus Romanus damnârit, quem omnium existimatio damnârit, eum vos sententiis vestris absolvetis! Pro Milon. quis eos postulavit? Appius. quis eos produxit? Appius. Simile est. Quæris quid opes? quid honores conferat? studium. quæris quid eosdem conservet? studium. quæris quid adaugeat? studium. Paulus 2. Cor. 9. qui parcè seminat, parcè & metet, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. in Cantico trium puerorum Daniel. 3. à versu 2. hæc figura quoque exprimitur.

Conduplicatio.

Conduplicatio est figura, quæ idem verbum sæpius ponit, neque semper in fine, sed *ubi cunq;*: unde quando non est repetitio, neque conversio, neque utraque simul, seu complexio, & tamen verbum sæpius ponitur, est conduplicatio: aliis dicta epanalepsis, & epanodus: aliis anadiplosis, palilogia polylogia, &c. breviter ab autho & clarè, *est verborum geminatio.* Varios illius modos ponit author, eosque exemplis illustrat, quibus ad-

de

do sequentia. Cicero pro Marcello. vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vaginâ vacuum non vidimus pro Milone: negat enim, negat ingratis civibus feciſſe, quæ feciſſet, timidis & omnia circumspicientibus pericula non negat. pro Sylla. fero ego te Torquate, jam dudum fero &c. pro Marcello: totum hoc, quantumcunque est, (quod certè maximum est) totum est inquam tuum. Et pro domo sua: sed excitatus aliquando (dicam ipso audiente, quod sensi, & sentio) excitatus, inquam, aliquando C. Pompeij nimium recondiius, & penitus abstrusus dolor. Philipp. 4. non est, non est vobis, Quirites, in eo hoste certamen, cum quo aliqua pacis possit esse conditio. Plautus, qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet.

Ovidius.

Si mihi quæ facie poterit te digna videri
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

Idem

At senior postquam merces geminata sub illis
Montibus inquit erant, & erant sub montibus illis,
Risit Atlantiades, & me mihi perfide prodis
Me mihi prodis ait?

Virg.

Virg. Ecl. 6.

Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle,
Ægle Najadum pulcherrima.

Et Æneid. 1.

--sequitur pulcherrimus Astur
Astur equo fidens, & versicoloribus armis

Propertius lib. 2.

--eheu tu mihi certus eras!
Certus eras eheu! quãvis nec sanguinea vito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras:

Virgil. Ecl. 2.

Ah Corydon, Corydon quæ te dementia cepit.

Ecl. 3.

Et longum formose vale, vale inquit Jola.

Æneid. 4.

Sed moriamur ait, sic, sic juvat ire sub umbras.

Alius.

Sed fugit interea, fugit irrevocabile tẽpus.
O! dives, dives, non omni tempore vives.

Apocal. 18. cecidit, cecidit Babylon illa magna. Actor. 9. Saule, Saule quid me persequeris. Matth. 23. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas. Sic Christus sæpius. Amen, Amen dico vobis, & in cruce. Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? & David. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. & 2. Reg. 19. Fili mi Absolon! Absolon fili mi! quis mihi det! ut moriar pro te, fili mi Absolon!

Traductio.

Traductio est, quæ *idem verbum* repetit *cum aliqua distinctione*, id est, diversitate non

non ſolorum caſuum (hoc enim polyptoton facit) ſed *ſignificationis*, ita ut verbum ſeu vox, in alia, atque alia ſignificatione accipiatur, ut patet in exemplis ab Authore allatis; ibi enim vita primùm accipitur pro tempore, quo vivimus, deinde pro actu vivendi, denique pro anima quam virtute excolimus; ſi verò vitiis inficiamus, ſceleratæ vitæ homines efficimur. Sic homo ſemel propriè accipitur pro natura humana, deinde pro humanitate & lenitate, qui eſt actus ſecundus, ut vocant Philoſophi; qui enim humanitate caret, hunc nõ hominẽ, ſed belluam appellamus. Sicut autem homo ferus, non eſt homo, ita Ciceroni divitiæ, non ſunt divitiæ, ſi conferantur cum virtutibus; unde ſemel illis tribuit ſignificationem, quam vox habet, deinde tollit eandem. In reliquis exemplis per ſe patet mutari ſignificationem. Ex quibus collige, & *Nota*: ſignificationem hic mutari aliquando ſecundùm *aliquid*, & aliqualiter; interdum verò *ex toto* & totaliter. Aliqualiter enim mutatur in prioribus tribus exemplis explicatis; totaliter, in poſterioribus in Authore poſitis. Ad priorem modum refer ſequentia. Æneid. 5. intentaque brachia remis intenti expectant: priùs enim intentus idem eſt quod extentus; poſteriùs autem, quod attentus; quæ ſignificatio affinis eſt priori non tamen eadem. Apud Lucilium: amici dum vivimus, vivamus, ubi poſtremo loco vivere idem eſt, quod ſimus læti. Cicero pro Cœlio: quis ignorat in ejuſmodi domo, in qua libidines, omnia denique inaudita vitia verſentur,

hic

hic servos non esse servos. ubi semel servus personam servi significet, alterâ vice officium. Idem ad Q Frat. Cato adolescens nullius consilii, sed tamen civis Romanus & Cato. Idem pro Sextio: ibidem Consules, si modò Consules erant. id est, nomen habebant, non rem, cujusmodi sunt ista : Hæc mulier (Judith) non est mulier, quia fecit viriliter. Hæc virgo, non est virgo, quia virginitatem amisit. Hic studiosus, non est studiosus, quia non studet. Multi Oratores non sunt Oratores, id est, eloquentes. S. Barbara non fuit Barbara. Sic ille juvenis ex malo factus bonus dixit ego non sum ego. apud S. Ambrosium lib. de pœnitent. c. 10. Macrobius lib. 2. saturnal. bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt. Virgil. Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis : id est, excellens Musicus. Sic dicimus Joannes, manet Joannes, id est, gratiosus. Puer denique est puer, stultus manet stultus Joan. 2. Multi crediderunt in Jesum visis signis, ipse autem non credebat se eis, id est, committebat. Ad posteriorem modum refer sequentia. Unum te rogo, sic vive, nè sis dignus rogo. gaudeo quòd miseris subsidium miseris ; bellum minimè est bellum, in otio litterarum tibi nullum est otium, & dum semper est tempus, dicis nullum tibi esse tempus. quanquam hæc duo ad priorem classem magis spectare videntur. Sed hujus loci est, plus studes juri Coeorum, quàm juri Doctorum : mundus non est mundus,

Tale

Tale est illud.

Quid facies facies Veneris, si veneris antè,
Non sedeas, sed eas, nè pereas per eas.

Sic lusit ille.

Quis neget Æneæ natum de stirpe Neronem?
Sustulit hic Matrem, sustulit ille Patrem.

Et illud.

Mala mali malo, mala contulit omnia mundo:

Et propter est, est, est, Dominus meus mortuus est. Huc pertinent, quæ duplicem habent significationem, vel ex se ut, canis animal, & cano canis canere, vel ex translatione à propria in alienam significationem. v. g. in hortis nullus sit licèt flos, tu mihi tamen in scholis es flos; peccatores licèt habeant intellectum, tamen sunt sine intellectu, ubi effectus pro causa ponitur. Licèt careas virtute, tropos tamen facis cum virtute. Follis etiam dum est inflatus, non est inflatus, id est, superbus. Ex se duplicem significationem habent. In vita omne peccatum vita: quid gloriaris nomine ducis, qui in hostem exercitum nunquam ducis. Dum venis ad me manè, totâ die apud me mane. nomen habes regis, nihil interim regis. Non quisquis debet, statim persolvere debet.

Polyptoton est, quando *idem verbum* sæpius ponitur in *diversis casibus*: per casus autem hîc etiam numeri, genera, personæ,

rem.

tempora, modi, &c. intelliguntur. Differt à præcedenti figura, quia hæc mutat tantùm casus, illa verò significationem. Sæpe tamen coincidunt, ut patet ex superioribus exemplis, in quibus non sola significatio mutatur, sed etiam casus. v.g. Mala mali mala mala contulit omnia mundo, omnes casus complexus est Poëta ille sic canens. Cùm vanitas sit vanitatis filia, Et vanitati vanitatem procreet. ô vanitas! quid vanitate venius! Cicero in Verrin. Ætnensis ager sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima *Siciliæ* parte *Siciliam* quæreremus. Idem pro Rosc. Ergo etiamsi omnia, quæ dicenda sunt, liberè dixero, &. in Vatinium, factum esse ambitum omnes scitis, & vos hoc, scire omnes sciunt. Talem commutationem fecit Plautus. in Amphit. justam rem & facilem esse oratam à vobis volo, nam justè ab justis justus sum Orator datus: nam injusta ab justis impetrari non decet, justa autem ab injustis petere insipientia est. Ovidius. Cedère jussit aquam, jussa recessit aqua, & ille; nec sine sole suo lux, nec sine luce sua sol. &: non venit è pota sæpe salute salus. Lucanus sic canit: infestisque obvia signis, signa, pares aquilas & pila minantia pilis, Littera littoribus contraria: figulus figulum odit, homo homini lupus. Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse inverti. sicibimus, ibitis, ibunt. Quod fuit est, & erit. Cicero Philip. 3. Huic cedamus? hujus conditiones audia-

audiamus? cum hoc pacem fieri credamus? Christianus Poëta, Mors mortis, morti mortem mors morte redemit. In quo metro sunt omnes casus. Ridiculum est illud Plauti. verum aliquis aliqua aliquo modo, aliunde ab aliquo tibi spes est fore meam fortunam: Ovidius.

Tu quoque Pieridum studio, studiose teneris.

Ingenioque faves, ingeniose meo.

Hinc patet derivata ab aliis, huc pertinere, si cum primitivo ponantur, ut illud Ciceronis, qui paulò ante interitum visus est in somnis, amicæ esse amictus amiculo. &c. ardebat amore (Verres) illius hospitæ propter quam hospitii jura violârat. &c. Plautus. plerique homines, quos, cùm nihil refert, pudet; ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor.

Nota, si diversa vocabula in diversis casibus ponantur, quale exemplum affert ultimo loco Cyprianus, est quidem casuum commutatio, sed non figura primi generis, nempe per adjectionem, quia non repetitur idem vocabulum, sed aliud atq; aliud. Solùm igitur reductivè exemplum hujus loci est non per se.

Synonymia est, quando *idem* àliis atque aliis verbis dicitur: unde repetitur unum idemque verbum, non quoad vocem & sonum, sed *idem quoad significationem*, & sic adhuc jure aliquo locum inter figuras primi generis sibi vendicat; quia idem verbum repetit. Hujus figuræ exempla âbundant in sacris & profanis, quare non est, quod ei immo- *Synonymia.*

immoremur, unum & alterum sufficiet. Plautus. quicunque ubique sunt, qui fuêre, quique fururi sunt posthac stulti, stolidis fatui fungi, bardi blenni, buccones, solus ego omnes longè anteeo, stultitiâ & moribus indoctis. Cicero post reditum. Mutum forum, elinguem curiam, tacitam & fractam civitatem videbatis. Pro Milone: an verò Judices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini? vestræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur &c. Virgil. 6. Æneid. superatne & vescitur aurâ Ætheriâ, nec adhuc crudelibus occubat umbris? Hîc adverte, ut illâ, quæ subjiciuntur, aut plus dicant, aut priora declarent, alioqui ut inutilia rejicienda sunt.

Polysyndeton. Polysyndeton *eandem conjunctionem* repetit v. g. & genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto. Virgilius. Unà Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis Africus. & Æneid. 6. fortè recensebat numerum, charosque nepotes, fataque fortunasque virûm, moresque manusque. Historicus decad. 3. lib. 8 somnus, & vinum, & epulæ, & scorta, & balnea, corpora atque ânimos enervant. Orator. in Verrina 6. neque privati, neque publici, neque sacri tota in Sicilia quidquam reliquisse. Et: me præ cæteris, & colit, & servat, & diligit & pro Quintio: homo & in aliis causis exercitatus, & in hac multùm, & sæpe versatus.

Cre-

Gradatio figura est, quæ *positum priusverbum* repetit in posteriori, & subsequente constructione *cum* aliquo *progressu* ad *ulteriorem* sensum: Græcè climax dicitur, aliquibus *incremontum*, sed *malè*, incrementum enim non consistit in verbis, sed in rebus, cùm Quintiliano & aliis amplificationis modus sit, non figura, ideoque à re majori ad minorem, vel à minori ad majorem progreditur, neque curat, utrum verbum priùs positum repetatur in sequenti, quod in gradatione necessarium est; quæ etiam res prorsus æquales continet, ut patet in exemplo allato ab authore, & in sequentibus. Hoc tamen negari non potest, gradationem cum incremento convenire posse; distinguentur tamen, quòd *gradatio* sit *progressus verborum*, *incrementum* autem *rerum*, & quidem majorum vel minorum non autem æqualium, Author. ad Herenn. lib. 4. ponit inter alia hoc exemplum. Imperium Græciæ fuit apud Athenienses; Athenienſium potiti sunt spartiatæ, Spartiatas superavêre Thebani, Thebanos, Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ brevi tempore adjunxerunt Asiam, bello subactam. Idem: nam quæ reliqua spes libertatis manet, si illis, & quodlibet, licet, & quod licet possunt, & quod possunt audent, & quod audent faciunt, & quod faciunt, vobis molestum non est. Cicero in Vatin. non magis pecuniarum repetundarum, quàm majestatis: neq; majestatis, magis, quàm Plautiæ legis: neque legis Plautio

gis quàm ambitûs ; neque ambitûs magis, quàm omnium legum judicia perierunt. Idem pro Quintio. Si debuisset: Sexte, petisses, sed petisses statim, si non statim paulò quidem post, si non paulò post, at aliquando. Et pro Roscio. In urbe luxuries creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia, unde omnia scelera & maleficia gignuntur. Virgil. Ecl. 2.

Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam.
Florentem cytisum sequitur lasciva capella,
Hunc in modum lusit alius.
Auro quid melius? jaspis quid jaspide? virtus,
Quid virtute? Deus quid Deitate? nihil.

Notum est illud:

Aspide quid pejus? cenchris quid cenchride? Dæmon,

Item

Dæmone quid? mulier, quid muliere? nihil.

Item

Parva priùs jacuit tectis scintilla favillis
Scintillam mora, flamma moras, incendia flammas,
Ista secuta dedit tantos scintilla dolores,
Post visum, risum, post risum venit ad usum.
Post usum tactum, post tactum venit ad actum.
Post actum factum, post factum penitet actum.

Sic Ausonius.

Res hominum fragilis alit, & regit & perimit sors;
Sors dubia, æternumque labans, quam blanda foret spes;
Spes nullo sinê fine ævo, cui terminus est mors;
Mors avida inferni regis, quam longa premit nox;
Nox sortita vices; remeaverit aurea cùm lux;
Lux dono concessa Deûm, cui prævius est sol;
Sol cui nec furto Veneris latet omnipotens Mars.

Similes gradationes multas habet scriptura. Roman. 8. v. 29. nam quos præscivit, hos & prædestinavit; quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit. Rom. 5. v. 3. tribulatio patientiam operâtur, patientia autem probationẽ, probatio verò spem, spes autem non confundit. Jacobi 1. v. 44. unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. 2. Petri 1. à v. 5. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autẽ amorem fraternitatis, in amore autem fra-

ternitatis Charitatem. Notum est illud: in principio erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. Item Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Ex dictis collige gradationem fieri facilè, si considerentur, res à se invicem sequentes aut pendentes. uti effectus & Consequentia multa Demum.

Nota gradationem differre à sorite, quod sorites ab uno ad aliud progrediatur, ità ut tandem aliquid *inferat* & concludat, unde debet habere particulam aliquam illativam, *ergo*, *igitur*. Gradatio autem nil concludit, sed solùm connexionem declarat, & manifestat. A Metalepsi autem differt, quia Metalepsis non ponit expresse illa multa, quæ ab invicem dependent; dum tamen explicanda est tum opus est gradatione v.g. ex aristis intelligitur spica, ex spica messis, ex messi æstas, ex æstate annus. Unde patet in Metalepsi gradationem esse occultam, non apertam, & expressam, nisi explicetur.

Hoc autem casu desinit esse Metalepsis, & fit gradatio.

* * *

Ca-

CAPUT XXVII.

De figuris quæ fiunt per detractionem.

Synecdoche est, cum vox aliqua omittitur, quæ tamen facilè subintelligi potest, atque ideo vocatur intellectio, & subintellectio. Differt ab Aposiopesi sententiarum figura, in qua non facilè subintelligitur, quod omittitur; ac virtus ejus in sensu est, neque enim unum tantùm, sed plura subintelliguntur verba sensum facientia. Differt à synecdoche tropo, quia tropus loco illius, quod omittit, ponit aliud. In syntaxi hæc figura dicitur *Eclipsis*, & cum ea convenit in hoc quod verbum ad plenam vērborū Constructionem desideretur: distinguitur tamen in hoc, quod hæc simul afferre debeat ornamētum conducens *ad vim* delectandi, persuadendi, flectendi, ad hoc enim figuræ Rhetoricæ deservire debent, Unde notandum etiam pro reliquis figuris, quæ cum Grammaticis conveniunt, ut est *Zeugma*, posse eandem figuram diversimodè considerari, in quantum scilicet verbum requisitum deest, & in quantum hujus omissio affert ornamentum, & vim aliquam movendi: priori modo consideratæ figuræ ad Grammaticam pertinent; posteriori autem modo ad Rhetoricam. Hoc prænotato, ad exempla ecce Synecdochen, subintelligitur enim accedamus Synecdoche.

mu. Comicus, tantamne rē tam negligenter agiet? subauditur oportet. Historicus: hîc ego subnascentem in me furorem comprimerem; tacere primum, meditari, quid irato reponerem prudens: tum blandis compellare atque rem ut gesta est exponere subintelligitur cœpi. Qui modus non tantum Historicis familiaris est, sed & oratoribus in narratione. Vulgaria sunt illa; ibo ad D. Petri, quid multis, quid multa? rectâ ad me venit, subintellige viâ, comedit bubulam, laceravit bibulam, quartanâ laborat. Cæsar habet sex millia, intelligitur militum, hæc Cicero, ità ille, hactenus ille. Quid jam? omnibus has lecturis salutem. Virgil. Æneid. 9.

Ecquis erit mecum Juvenis qui primus in hostem? (irruat) Etiam Christus hâc usus Petrum curiosè sciscitantem repellens, quid ad te? tu me sequere. Et matri suæ vini miraculum petenti dixit: quid mihi & tibi est mulier; subintellige, *faciendum*, quasi diceret: tibi faciendum priùs incumbit, ut aqua adsit in hydriis, tum mihi incumbet (prout convenimus) illam mutare in vinum. Unde non est vox reprehendentis, sed monentis: Christus enim domi prævidens defectum vini fore in nuptiis, cum ea contulisse videtur, alioqui ipsa miraculum primum petere non fuisset ausa.

Disse-

Dissolutio est contraria Polysyndeto, omittit enim Conjunctiones, quas illa figura multiplicat. Dissolutio.

Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.

Martial. Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

Frons oculi vultus &c. Aliter vocatur *Asyndeton.*

Adjunctio est: cùm vox, quæ sæpiùs poni posset, & deberet vi Syntaxeos plenæ, non nisi semel ponitur, in reliquis omittitur, & subintelligitur; differt à Synecdoche, quæ verbum, quod omittit, ne semel quidem ponit. Virgil.

Trojugena interpres, Divûm, qui numina Phœbi.

Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis.

Ubi verbum *sentis* ad omnes accusativos subintelligitur.

Idem, Æneas urbe, & sociis, & classe relictâ:

Ubi *relicta* ad alios ablativos addendum erat. Notandum verbum, quod in reliquis desideratur, in principio ponitur, vocatur à Grammaticis *protozeugma*, si in medio *Mesozeugma*, si in fine *hypozeugma.*

Disjunctio est, in qua nullum verbum omittitur, omitti tamen potuisset,

Disiunctio. unde est contraria Adjunctioni, Non est autem figura secundi generis, eò quod nihil omittat: ponitur tamen inter illas, quia alibi locus pro ea non erat commodior. Nam poni non potuit inter figuras primi generis, cùm non repetat *idem* verbum, sed *aliud* in syllabis & significatione (si enim in significatione idem est, spectabit ad synonymiâ) & aliunde est contraria priori; contrariorũ verò eadem est disciplina, id est, idem discendi locus. Quod si dicas etiam dissolutionem contrariam esse Polysyndeto, & tamen divisim positæ sunt: patet solutio ex dictis, quia dissolutio alibi poni potuit, alibi Polysyndeton, cùm hæc eandem conjunctionem repetat, illa eandem omittat: sed disjunctio non potuit; non enim ponit idem verbum sæpius, sed aliud quemadmodum polysyndeton. Inde Author dicit se illam perspicuitatis gratiâ huc retulisse, quoniam superiori contraria est. Exempla affert idem Author; quibus adde hoc. Populus Rom. Numantiam delevit, Carthaginem sustulit, Corynthum solo æquavit, Tregellas evertit. &c.

Synæcios. *Synæciosis est, quæ duas res adversas colligat.* Hoc modô: tam deest avaro quòd habet, quã quod nõ habet. Ità Cypr. Alii sic definiũt: quæ duas res adversas in unũ cõbinat, Alii sic: *quæ duo contraria eidẽ rei attribuit, sub uno eodẽq; verbo. Ità ut illud verbũ semel ponatur, alterâ vice omittatur.* Quod ultimâ additur, ut pateat hanc figuram jure relatã,

esse

esse inter figuras per detractionem, semel enim ponitur verbum v.g. *deest*, deinde verò omittitur, & subintelligitur. Hæc definitio, aut potiùs primæ definitionis explicatio, bona videtur; tum quia exemplum allâtum illam sic intelligendum esse docet, tum quia apparet quomodo sit figura secundi generis, & ab aliis distinguatur sufficienter. Nam Adjunctio licèt semel ponat, verbum, & deinde omittat, non tamen continet contraria in se: Antithesis autem seu contra positum, licet contraria contineat, non tamen illa uni rei attribuit; sed posito & attributo uno alterum removet. v. g. vicit pudorem libido, timorem audacia, &c. pudor enim & timor excludìtur à subjecto, & removetur. Præterea in Synæciosi ad unum contrarium apponitur verbum, ad alterum verò omittitur & subintelligitur: quod in contrapositò non fit. Ex his collige non esse Synæciosim si dicas: Hic nec habet famulum, sed nec habet Dominum: potare est pernicìosa utilitas, convivari est studium desidiosum, die tota garrire ad populum est ars sinè arte. Musica est concordia discors, Sapientia Christi est stultitia. Humilitas est divina sublimitas, morbus sceleratis est salutaris &c. Hæc enim licet duo contraria contineant sub uno verbo, illud tamen verbum, ad nullum ex contrariis omittitur, & sic non potest esse Synæciosis, quæ est figura per detractionem. Neque est, si dicas: potare

est

est pernicioſa utilitas, convivari deſidioſum ſtudium &c. licèt enim omittatur verbum *eſt*, non tamen omittitur ad contrarium illi, cui erat appoſitum, ſed prius ad utrumque contrarium ponitur, deinde ad utrumque omittitur. In Synæcioſi autem ad unum cõtrarium poni debet, & ad alterum omitti. Unde nec illud Senecæ hujus loci eſt, Omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium vacationẽ illius occupatio; licèt enim omittatur in poſterioribus verbum *defendit*: non tamen ad unum, ſed ad utrumque omittitur; præterquam, quod hæc contraria non uni attribuantur, ſed alii ſomnus, alii vigilantia, &c. Eſt autem ſynæcioſis in ſequentibus: Nec poſſum tecum vivere, nec ſinè te. Africanus dicere ſolebat; Nunquam ſe minùs otioſum, eſſe, quàm cùm otioſus, nec minùs ſolùm quàm cùm ſolus eſſet. Nocet immoderata ſervitus, & immoderata libertas, & nihil dare aliis vitium eſt, cùm habeas, & omnia prodigere: Malum eſt nihil bibere, & multum bibere; & pernicioſum eſt ſemper ſtudere: Et vigilare & dormire quandoque oportet. Tam non habet annos quos vixit, quàm quos non vixit, ſed victurum ſe ſperat. Raphanus ille bonus, qui malus eſt. Mors æquè probos, ac improbos manet. Qui optimus hæreticus, ille peſſimus eſt. Qui nunquam libros in manus ſumit, neque ſtudioſus eſt, neque non ſtudioſus. Quod

repi-

tepidum est, neque est calidum, neque frigidum. Qui Dei legem & præcepta non servat; neqve DEI servus est, neque libertus; subest enim DEO nihilominus. Ausonii est illud, non, qui habet, quæ cupit beatus est, sed qui non cupit, quæ non habet: ubi simul est commutatio.

CAPUT XXVIII

De Figuris verborum tertii generis.

Tertium figurarum genus est, in quo non idem vocabulum repetitur, ut in figuris primi generis; sed simile, aut par: & cùm contrariorum eadem sit disciplina, dissimile, & dispar, atque adeò contrapositа huc referuntur (contraria enim sunt maximè dissimilia) correctio, & dubitatio: quæ etiam videntur per modum additamenti, & appenditis adjecta.

Paronomasia est, quando sibi similia, aut affinia, quoad syllabas, & litteras vocabula ponuntur, aliquâ tamen immutatione factâ; quod fit quatuor modis. 1. *Adjectione litteræ vel syllabæ* v. g. Hic mero, non Homero dat operam; non libris sed liberis; audiam te, non exaudiam; non tibi bona verba, sed verbera apparantur, ô munde immunde, lu- Paronomasia.

sisti

sisti me abunde. Sunt oculi scopuli, titulo meliore vocandi.

Ennius ità cecinit.

Quo vobis mentes, rectæ, quæ stare solebant.
Antehac, dementes sese flexêre viai
Bini jocus est elegans:
Dixerat Astrologus Cælum sine nube futurum,
Principe silvarum lustra petente suo.
Dixerat, & contrà ruiturum nubibus Imbrem,
Vertere consuetus bubus arator humum.
Vix ingressus erat princeps nemus illice densum
Cum subitò pluviæ, præcipitantur aquæ:
Laudat aratorem princeps ipsumque doceri
Astra, sed Astrologum sumere rastra jubet.

2. *Detractione* litteræ vel Syllabæ. v.g. somnio comparatur nostra vita: ità nimirum vana est ut *somnium*; *omnium* quinimò vanitatum est epitome. Hic est sepulchrum haud pulchrum. Sacerdotium non est otium. O fortunatam natam me Consule Romam. Huc pertinet Echo. v. g.

Dic an dives ero si carmina scripsero? Nero.
Serè igitur potiar divitiis? vitiis.

Nomen & omen habet. Ad harum non ada-

adaram; ad caulam non ad Aulam natus est. Amicus noscitur amore, more, ore, re. In Plauti Epitaphio: innumeri numeri. Cic. 3. de Oratore qua tempestate Paris Helenam innuptis, junxit nuptiis, Ovid. 2. Metamor. ut dedit amp'exus injustaque justa peregit.

3. *Commutatione* litteræ, ut syllabæ v.g. dum diabolus peccantem videt, ridet. Gratia, quæ tarda est, ingrata est gratia. Sic Claudius Riberius Nero dicebatur, Calidus Biberius Mero. Virgilius Virgineus. Huc pertinet illud de Vasconum pronunciatione, qua U pronunciant in modum B.

Non temere antiquas mutat Vasconia voces
Queis nihil est aliud vivere, quàm bibere.

Cic. Catil. 1. qui de hujus urbis, atque adeò orbis terrarum exitio cogitant. Idem Philipp. 3, ex aratore Orator. Apulejus. Hasce tuas flammas dum potiar, patiar. Ennius.

Haud doctis dictis certantes, sed maledictis.

Quæ noc nt docent; qui pavet, cavet; Voluptatum cænum tibi est cælum: ità amantes sunt amentes.

Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

Verras non prætorem egit Siciliæ, sed prædonem. S. Agnes in martyrio fuit, ut agnus. Deligе quem diligas. Mors & Mars unica distant litterâ. Ex rostris abiit ad

rastra,

rastra, hinc ad castra. Cicero pro Roscio? non modò ignoscendi ratio, sed cognoscendi consuetudo de foro sublata est. Ælius Spartanus scribit Caracallam de fratre à se interempto, quem Astrologi Divum, id est Imperatorem fore prædixerant, usurpasse illud: sit Divus, dummodo non sit vivus, Cic. 1. ad Attic. 2. Judices illos magis fames, quàm fama commovit. Sic queritur Poëta.

Nos Musæ mulæ, nostraque fama, fames.

Item. Alter respondit æquum, sed tulit alter equum. Fide, sed cui fidas vide; nam omnibus rebus jam peractis; nulla fides est in pactis, mel in ore, sed in corde, verba lactis, fraus in factis. Ennius. quæ scis

In vulgum vulgas, artemque exprimis inertem.

4. *Transpositione* litterarum vel syllabarum v. g. Cic 4. ad Atticum. Consul ipse magis parvo & pravo animo; facie magis quàm facetiis ridiculus. Item nolo esse laudator, ne fiam adulator. Corpus est porcus, & voluptatis porcus. Huc spectant anagrammatismi, de quibus vide Palatium Eloquentiæ de Notatione v. g. amor, mora, Roma, Maro, Maria, ara, mî, prò mihi. JESUS vis es, Eucharistia cithara JESU. Bartholomæus, sol beatorum, Maria Magdalena, mala mea grandia. Societas Jesu, vitiosa feces, &c. Huc etiam pertinent retrogada. Quale est illud dæmonis.

Signa-

Signa te, signa temerè me tangis, & angis;
Roma tibi subitò, motibus ibit amor.

Nota Paronomasiam differre à Traductione, quod traductio repetat idē vocabulum; paronomasia autem non idem, sed simile v. g. Hic quos bello vincit, mox catenâ vincit, Hic situs est probus Imperator, verè probus. Cicero ad Herenn. hunc avium dulcedo, ducit in avium; in his est Traductio, quippe idem vocabulum; est autem paronomasia dicendo: hunc dulcedo avium duxit in devium; quia non est idem sed simile per tertium modum, qui est commutatio. Quamvis autem Traductio aliquando mutet & inflectat vocem per casum, non tamen mutat litteram vel syllabam unam in aliam; sed solùm sibi associat alteram figuram quæ est polyptoton. Porrò polyptoton differt à paronomasia, quia hæc per commutationis modum mutat literam vel syllabam vocabuli, non autem casum: mutatio enim casus, ad polyptoton spectat, similiter licèt polyptoton adjiciat vel detrahat in fine vocis aliquid, tamen hoc fit solùm per inflexionem casuum, non autem alio modo: unde reliquos modos, qui per mutationem casuum non sunt, sibi paronomasia vendicat. Quod autē per casus non solū accipiātur Nominativus Gen. &c, sed etiā numeri

genera &c. dictum est suprà. Sicut autem polyptoton ejusdem vocis diversos casus habet, ità è contrà.

Similiter cadens est, quod diversas voces habet in simili casu, positas, *omioptoton* Græci appellant. Per casus autem quid intelligatur, jam dictum est, & patet in exemplis abipso Authore allatis. Nempe quidquid inflectitur per numeros, genera, tempora, modos, Rhetores appellant casus ; undè solæ partes indeclinabiles hic excluduntur. Cic. Agrar.: tamenne vexari Rempublicam. Contemni Majestatem populi Rom. deludi vosmetipsos à tribunis plebis patiemini. Hic *Remp. Majestatem vosmetipsos*. Item : *vexari, contemni, deludi*, casus sunt similes, idem Agrar. l. solicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus, & concionibus, & seditionibus tradidistis, Hic in *solicitam suspensam, perturbatam*. Item in ablativis utriusque numeri, sunt casus similes.

Similiter desinens.

Similiter desinens est, quando membra Orationis similiter exeunt & terminantur. Seu quando Constructio in fine similem habet exitum, quem facere possunt non tantùm declinabiles. Hinc distinguitur à similiter cadente, 1. quòd admittat partes etiam indeclinabiles. 2. quòd similiter cadentia ubicumque poni possint. In constructione, similiter desinentia tantùm in fine.

3. quod

3. Quòd etiam in casu convenire possint voces non tamen similiter desinere, estò in fine ponerentur, ut suprà, *in metu* & *legibus* patet. Et in hoc: quisquis dat pauperi, fœneratur DEO: & vicissim possunt esse diversi casus, & tamen similiter desinens v. g. viri isti sunt præclari, adeoque digni amari; Ratio horum unica. Quia terminatio vocis hic attenditur, non inflexio & declinatio; atque ideo exemplum est: pugnavit fortiter, vicit feliciter, triumphavit hilariter. Concurrunt tamen frequentissimè similiter cadens, & similiter desinens in unam eandemque vocem; Si scilicet similiter cadentia in fine ponantur, & similem habeant terminationem. Exempla passim occurrent legenti Ciceronem & alios.

Compar est, quando membra orationis, seu constructiones sibi sunt similes, quòd ferè parem habeant syllabarum numerum: dixi *fere*, quia non est opus, ut tam accurata, & exacta sit paritas, sed sufficit ut aurium judicio disparitas non advertatur; fit enim ut parum pro nihilo computetur, & ut syllaba longa duas breves in aurium judicio adæquet: unde potest una Constructio excedere alteram unâ vel altera syllabâ v. g. laudas hominem divitiis abundantem: sed eundem virtute præstantem non laudas. Item in fuga fœda mors, in victoria gloriosa. Item in prælio pater mortem appetebat, do-

mi Filius nuptias spparabat. Item, ego te consiliis, nummis, & sanguine juvi, tu me dolo, arte, & gladiis invasisti. Maximam autem habet gratiam hæc figura, si tribus membris constet. Et tum Græcis tricolon dicitur, ut nec Rei publicæ consuluisti, nec amicis profuisti, nec hostes deviciſti.

Contrapositum seu Contentio.

Contrapositum, aliis *contentio*, Græcè *antithesis* vel antitheton, fit, cùm contraria, vel pugnantia inter se verba ponuntur, aut in eadem, aut in diversa Constructione: in eadem: ex divite factus est pauper; ex felice infelix, ex glorioso inglorius: in diversa: ut: nulla in eo pietas, nulla assiduitas, nulla temperantia; sed scelus, desidia, luxuria, ebrietas, dum silendum est loquitur, dum studendum otiatur, his similia sunt, quæ sequuntur. Cicero moribus fuit compositis, pacis & tranquillitatis amans; Catilina distortis, furoris ac seditionum concitator.

Sudat quando vorat, frigescit quando laborat,
Tota hominis vita est, nil nisi nolo, volo.

Propertius lib. 2.

Hujus ego vivus, mortuus hujus ero,

Catullus: non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis, miscet amaritiem.

Martial. Non bene semper olet, qui bene semper olet.

Per hanc figuram mirandæ fiunt illæ sententiæ, quæ paradoxa dicuntur v.g. hæc sunt antiqua nova, servus, qui non servit peccatis, est liber. Nil certius morte, nil eâdem incertius. Inopem me copia fecit. Infelix Epulonis felicitas. Splendida paupertas vel miseria. Voluptas dulce venenum : amor est blandus tyrannus. Infelix omnis terrena felicitas, qui vult multum vivere, comedere vel bibere, debet parùm, si enim non excesserit potu & cibo diutiùs vivet, & comedet; adeoque multùm extensivè. Stultitia Christi sapientia est, ejus mors nostra vita. Humilitas est honorata celsitudo; nescire, quæ Deus non vult nos scire, Sapiens est ignorantia. Macrob. lib. 2. Saturnal. Bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt. Cic. in Bruto: subito in Civitate, cùm alia acciderunt, cum ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. Catullus necquidquam tacitum cubile clamat. Horatius.

Alme sol curru nitido, diem qui
Promis & celas, aliusque & idem
Nasceris.

Christus Matth. 40. & 46. qui invenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Et Joan. 12. qui odit animam suam, dicitur amare animam suam; qui autem amat, odit. In quem locum Augustinus: magna, inquit, & mira sententia!

quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat; odium, nè pereat : si malè amaveris odisti ; si bene oderis, tunc amâsti; felices qui oderunt custodiendo, nè perdant amando. Ità ille. D. Paulus de vidua ait. 1. Timoth. 5. quæ in deliciis est, vivens mortua est. Talis contradictio est in illo Matth. 44. cæci vident , claudi ambulant &c. S. Ægidius socius S. Francisci vir sanctus, & à DEO illuminatus, hæc abnegationis sensuum dabat paradoxa. Si vis bene videre, erue oculos tuos , & esto cæcus; si vis bene audire, esto surdus, si bene loqui, esto mutus: si bene ambulare, abscinde tibi pedes ; si bene operari, mutila tibi manus, si bene amare, habeas te odio; si vis bene vivere, te mortifica, si bene lucrari, disce perdere , si vis esse dives, esto pauper; si vis esse in deliciis, afflige te; si vis esse securus, semper esto in timore; si vis exaltari, humilia te ; si vis honorari despice te; & honora te despicientes ; si vis honotari despice te; & honora te despicientes ; si vis habere bonum, sustine malum ; si vis esse in quiete, labora; si vis benedici, desidera maledici, &c. Sic ille apud Cornelium à Lapide in cap. 16. Matth. ad affectum sunt antilogiæ illæ Ferdinandi III. de de Passionis Dominicæ mysteriis, Tristatur in horto lætitia Angelorum,

Affli-

Affligitur in anima refectio animarum sanctarum.
Solatur Angelus solatium Afflictorum;
Traditur furori luporum mansuetissimus agnus.
Capitur, quem cæli capere non possunt;
Ligatur, qui nostra solvit vincula,
Judici repræsentatur Judex vivorum & mortuorum.
Negatur à Petro, petra ipsa Christus;
Facies illa velatur, in quam desiderant Angeli prospicere
Falsò accusatur veritas æterna;
Non respondet Verbum, per quod Verbum facta sunt omnia.
Indecorè nudatur, qui vestit omnia;
Tremit, coram quo tremunt potestates,
Direè flagellatur Dominus in similitudinem servi factus;
Ignominiosè coronatur Rex Regum, & Dominus Dominantium:
Stultitiæ insimulatur sapientia Patris;
Nocens dimittitur, innocentia damnatur.
Ponderi crucis succumbit, qui tribus digitis Cælum appendit,
Crucifigitur tanquam latro, ipse DEI Filius;

Moritur eheu ! moritur vita æterna;
Ut te mortalem reddat immortalem,
Moritur DEUS homo factus, ut te hominem DEIficet.
Morere & tu cum concupiscentiis tuis, ut vivas Christo.
Morere mundo, ut vivas Cælo,
Morere tibi ipsi, & affectibus pravis,
Ut vivas soli DEO pro te mortuo in æternum.

Nota, non esse opus ad hanc figuram, ut semper sint strictè & propriè contraria; possunt enim esse pugnantia, & aliquo modo disconvenientia: ut, dum studendum est, hæret in opinis; dum orandum, confabulatur: Sic voluptas est dulce malum, blandum venenum &c. Item sufficit si dissimilitudinem & diversitatem importent, quod indicatur per particulas adversativas, *sed*, *at*, *verum* &c. v.g. non est mei ingenii, sed vestri auxilii; non est scripta, sed nata lex &c. Sufficit igitur oppositio etiam solorum verborum.

Commutatio. *Commutatio est, quando una* sententia, seu sensus aliquis invertitur in alium per inversionem & commutationem verborum in priori sententia positorum. Seu est figura tertii generis, quæ contraria, aut disconvenientia complectitur, sed ità ut verbis

ba, quæ in priori membro, vel inciso, seu constructione fuerunt, ponantur in posteriori cum aliqua inversione illorum. Potuisset hæc figura collocari inter eas, quæ fiunt per adjectionem; repetit enim idem, licèt cum Commutatione: sed quia sequens membrum priori opponitur, & contrariatur, indè postoppositа, seu coutrapositа locatur; à quibus differt, quod contrapositа non mutent sedes & clypeos, seu quod *mutua inter ea non sit conversio*, quemadmodum in Commutatione. Unde commutata sunt quæ habet Cic. 3. de legib. vere dici potest Magistratum legem esse loquentem, legem autem, mutum Magistratum & pro Dejotaro: in dominatu servitus, in servitute dominatus, pro Muræna: cum haberet accusatores, non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderunt. Aristoteles apud Stobæum, quandoquidem haud res fiunt prout vellemus, velle convenit, prout fiunt: cui etiam tribuitur illud, quoniam Aristoteles non cepit Euripum, Euripus caplat Aristotelem. Biantis est istud. Sic ames tanquam osurus; sic oderis tanquã amaturus. Plato interrogatus, quomodo beat' esse posset. Resp. reposuit, si aut sapientes regnaverint, aut reges sapientes esse studerint: Isocrates apud Plutarchum in vitis Rhetorum: quæ præsens locus, & tempus exigunt, ego non calleo; quæ ego calleo, nec loco præsenti sunt apta, nec tempori. Epicurus apud Senecam epist. 29. ajebat, nunquam

voluí populo placere: nam quæ ego scio, non probat populus, quæ probat populus, ego nescio. Hîc commutatio, & Antithesis conveniunt. Antiochus sophista in Hermogenem Rhetorem sic cavillatus est. Hermogenes inter pueros senex, inter senes puer; nam postquam vigesimum secundum agens annum Rhetoricas illas institutiones scripsisset, vigesimo quarto, mente captus est. Sophocles delirii à filio accusatus respondit: si Sophocles sum, non deliro, si deliro, non sum Sophocles. Ad horum imitationem sunt hæc: in pace bellum optat, in bello pacem: quando habet non curat; quando curaret, non habet, aliqui bibunt ut vomant, vomunt ut bibant, talem si videris appellare potes.

Semisuemque virum, semivirumque suem.
Aut. Semicanemque virum, semivirumque canem.
De stupido verò: semiasinumque virum, semivirumque asinum.

Sic Cyprianus lib. 1. Cap. 9. ait; non Eloquentiam ex arte, sed ex Eloquentia ortam esse artem. Sic dicimus non locus honorat hospitem, sed hospes locum: amor est otiosorum negotium, & negotiosorum otium: non pes propter calceum, sed calceus propter pedem, adeoque non pes calceo, sed calceus pedi adaptandus. Non Tullius claritatem à genere, sed genus claritatem à Tullio accepit. Non servum Dominus expectare debet, sed servus Dominum. ô beata solitudo Carthusiæ!

siæ!ô sola beatitudo. Cicero inter sapientes eloquentissimus, inter eloquentes sapientissimus. Augustinus inter sanctos doctissimus, inter doctos sanctissimus; fuit in eo humana eruditio, & erudita humanitas; sapiens pietas & pia sapientia; verè piè doctus docteque pius.

Angele Gonzaga es si pictas exuis alas.
Si Gonzaga alas induis, Angelus es.

In Evangelio habetur: qui se exaltat humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur. Itē: erunt primi novissimi, & novissimi primi Marci 2. Sabbathum propter hominem factum, non homo propter sabbathum.

Nota dum v. g. dicitur: sæpe vir in puero est, in sene sæpe puer. vel me fratri amantissimo, & mihi fratrem amantissimum reddidisti. non est sola casuum commutatio, sed etiam sensûs prioris in posteriorem iisdem verbis retentis: unde præter polyptoton est *commutatio* non *casuum*, sed *verborum*. Porrò non requiri ut in hac figura contrarius sensus priori ponatur in posteriori membro, patet ex allato ultimo exemplo in auth. v. g. ut & sinè invidis culpa plectatur & sinè culpa invidia ponatur.

Correctio verborum, est figura, quæ verbum aliquod prius positum revocat, & retractat: differt à Correctione sententiarum quæ sensum & sententiam corrigit & emendat, non autem verbum. Fit dupliciter; aut enim revocato priori verbo aliud sub-

ſubſtituitur, aut nullum Poſterioris modi Exemplum eſt: Ovidius

Talis mater erat, ſi modò mater erat.

Sic Cic. Conſules, ſi modò Conſules appellandi ſunt & Cives, ſi hoc nomine appellari eos fas eſt. Et tuis rapinis expleviſſes, ſi hoc eſt explere, quod ſtatim effundas. Huc ſpectant illæ formulæ: quanquam, quid hominem appellem, quid oculis dico? ſi tamen ignorantia eſt dicenda. &c. Prioris modi exempla ſunt. Stuporem hominis, vel dicam pecudis attendite. ô hominem, qui ejuſmodi nuntios, vel potius pegaſos habet. Huc pertinet jocus Catonis, qui cùm cuidam dixiſſet; eamus deambulatum, & ille, reſpondiſſet, quid opus eſt *de*; imò verò regeſſit Cato, quid opus eſt *te*? ubi ſimul eſt Paronomaſia. Cic. pro Milone, de Clodio; quales illæ leges, ſi modò leges nominandæ ſunt, & non faces urbis, ac peſtes Reip. ſic dicimus quid loqueris? imò effutis, vel blateras; te omnes homines malum, peſſimũ dicere debebam, non ignorant: quem hujus mali incentorem, vel, ut mitius loquar, authorem fuiſſe compertum habent. Quid egit igitur? ſuaſit, quid dico ſuaſit? ut ſit, impulit, imò per manus traxit. Canifex ille tuus, erro Carminificem dicere volebam, ſi tamen novato verbo datur locus.

Dubitatio.

Dubitatio verborum eſt figura, qui in dubio relinquitur, quo nomine, aut verbo res aliqua ſit afficienda: per quod differt à figura ſententiarum, quæ de rebus ipſis dicendis dubitat,

tat, non de verbis: & quanquam descriptio dubitationis ab Authore allata dubium *dere* insinuare videatur, tamen dicto modo explicandam esse patet manifestè ex eo, quod inter figuras verborum ponatur: & ex exemplo quod affert Author cui adde hæc: quo nomine te compellem? improbum? audacem? perfidum? Cives vos asseram qui Remp. perdidistis? milites, qui imperium detrectatis? hostes in quibus vestrum civium agnosco, vel milites an latrones vos appellem, qui omnia diripuistis expilâstis &c.



PARA-

PARADIGMA.

In quo figuræ omnes verborum expreſſæ, cum nonnullis ſententiarum ornamentis.

Thema de nato Salvatore à Bethlemitis non recepto.

Repetitio. QUid agitis? quid animo volvitis? quid moramini ô Bethlemitæ? quid adventantem in carne DEUM hoſpitio non recipitis? qui promiſſus eſt Patribus Salvator, adeſt, quem affuturum vaticinati

Converſio. ſunt Prophetæ, adeſt; cujus adventum præſtolati ſunt juſti, æquè ac peccatores, adeſt; & veſtram in urbem divertere cupientem ex-

Proſopopæja. cluditis? Non eſt, inquiunt ei locus in diverſorio, non hoſpitium in palatio, non cubile in Civium incolatu: jam occupata omnia à domeſticis, repleta peregrinis, advenis omnia ſunt referta. Maturiùs eum adeſſe oportebat, qui locum nanciſci oportunum exoptabat. Perpendite amabò Audit; inconditam, inſulſam, nè dicam barbaram reſponſionem. Hi

Complexio cum ſubeant inſtructa hoſpitum receptacula, & DEUS! hi magnificas incolant tabernas, &

DEUS!

DEUS! hi Principum sede gaudeant in palatiis,& DEUS! DEUS! quis non, stupeat? quis non miretur? DEUS, inquam, non lectum, non angulum, non locum habeat in diversorio? ô tempora! ô mores! humanitatem indutus, venit DEI Filius, & nullam præstant humanitatem adventanti Bethlemitæ; debita tanto Numini obsequia non deferunt, nec detulerunt, nec deferre meditantur. Non diversorium nec locum in diversorio, neque diversorii angulum cedere cogitant. ô immanitas! ô fera! ô barbara incolarum pectora! neque reverentiam, quam summo debent Numini, neque humanitatis, quam homini; neque gratitudinis, quam Redemptori, rationem pensi habent: Ex urbe in diversorium, ex diversorio in mapale suburbanum, ex mapali in stabulum, & quale, prô superi! ablegant. quid enim inibi? solum (sit verbo venia) vaccinis, aër fætoribus, murorum latera, telis aranearum sunt refertissima: divulsi hiant parietes, lacerata visuntur tecta, pervia patent, & humano usui tam parùm serviunt, quæ adsunt, quàm quæ non adsunt; nil enim Cœli injurias, aëris inclementiam, hyemis rigorem, ventorum rabiem, prohibebat superstes illa facies parietinarum: unum præsepe, quod in ruinam jam jam inclinat, unum est, in quo natum Virgo Mater velut in cunas reclinat. Adstat asinus in obsequium, ad geniculatur bos in homagium, uterque afflat halitum in solatium, ut humanitate sua Bethlemitarum suppleant barbariem & frigoris sævitiam calore

Apostopesi

Conduplicatio

Traductio

Polyptoton

Synonymia

Polysyndeton.

Gradatio.

Synecdoche

Hypotyposis

Dissolutio.

Adjunctio.

Disjunctio.

Synæciosis

Annominatio.

Similiter cadens & desinens & compar.

Apostrophe & Communicatio

lore suo depellant & arceant. Videte hîc atque ipsimet judicate Bethlemitæ; an non pecude amentiores, ferâ ferociores existatis! bruta suum agnoscunt Creatorem, ac possessorem; vos ignoratis: bruta suo recipiunt hospitio; vos excluditis; bruta obsequio venerantur; vos contemnitis. Non jam igitur rationis expers brutum, humanitatis morumque normam desumat ab homine; sed hominem à bruto desumere est necesse, quando hæc incarnato Numinis filio deserviunt, non homo. Nec est quod hospitii angustias, rerumque tenuitatem oggeratis; promptæ mentis ad omnia paratæ amisissent obsequia infanti DEO, dum videret majora, pluraque à vobis expectari non posse, quàm quæ facultas vestra tulisset. Cederent Principibus viris augusta laquearia, obvenirent ampla diversoria, fumarent opiparæ culinæ, obsequerentur innumera familia: at tenui cubili contenta foret DEI hominis infantia; si modò ad honestatem concinnatum & ab aëris injuriis liberum existeret, affluente larga voluntate, affectuque. Sic sic confidere fas olim foret, amplam pro tenui fortunam, pro levi obsequio, grande præmium, pro angusto cubili augusta Cæli palatia vos adepturos in mercedem. At modò, ô homines! si tamen homines dicendi estis, in quibus nullum humanitatis vestigium; brutane appellem, qui brutis incultiores extitistis? sed litem nolo de nomine: quid est modò, inquam, quod sperare habeatis? an non bonorum rapinam, belli, famis-

Contrapositа

Commutatio.

Anteoccupatio.

Concessio.

Dubitatio

Correctio

que

que cladem, urbis excidium, exilium? ut præteream numinis iram, æternorumque pœnam tormentorum. Est tamen, si effugere vultis cuncta, & desideratis, veniæ locus adhuc, & clementiæ: parvulus est, natus Deus, placari potest, leniri potest, si delicti in animum subeat pœnitudo. Agite igitur, culpam cognoscite, in genua procumbite, manus levate, & supplices facti veniam exorate: addite lacrymas, pectora tundite, & tam durum non sentietis infantem: quin lacrymarum stillicidio neque at emolliri. *Ad hujus Exercitii imitationem* possunt alia fieri, quo Tirones in principio exerceantur. Sed facilitatis gratiâ præmittatur exercitium, quo *eandem sententiam* seu Constructionem per has figuras varient. Exemplum habet P. Masen in Palæstra Styli lib. 2. Cap. 5. quod tamen quoad omnia cum Authore consentit.

CAPUT XXIX.

Quid verborum figuræ orationi conferant, & quid in eis cavendum sit.

Duo continentur hoc capite ; Primum quanta sit gratia orationis, instructæ figurarum expolitione. Secundum, quâ moderatione utendum sit figuris; non enim quovis loco intrusæ arridents: apparet quippe violentia, quâ intrusæ sunt ; suamet sponte influere eas est necesse, ut non vi sed ultrò venisse videntur. Neque semper iisdem utendum, si enim frequentiùs eædem veniant, notantur, & satietatem afferunt. Parcè igitur, & cùm res postulat, usurpandæ sunt. Ut verò constet quid quævis valeat in ordine ad motum, breviter annotandum censui. Universim loquendo, figuræ per Adjectionem conferunt plurimùm ad exhortandum, objurgandum, exprobrandum, quo maximè servit repetitio, conversio, complexio. In particulari loquendo *Repetitio* amplificat orationem, & eam reddit vehementem, servit ad permovendos Auditorum affectus. *Traductio* ad acutas & breves sententias valet. *Conduplicatio* confert ad affectus obtestationis, admirationis, doloris exprimendos: utimur hac majoris vehementiæ, amplificationis & certitudinis causâ. *Polyptoton* juvat ad amplificandam, ornandam, venustandamque orationem casuum varietate. *Synonimia* valet ad rem exaggerandam, inculcandam, & con-

commovendos Audit. animos: est enim necesse Auditorem vehementer commoveri, cùm prioris dicti gravitas interpretatione verborum renovatur, & auditor diutiùs in eadem materia detinetur. *Polysyndeton* servit ad orationis vehementiam exprimendam. *Gradatio* facit ad venustatem, leporem, & jucunditatem, juvat ad rerum seriem & ordinem exprimendum, ut sunt virtutes, vitia, atque effectus, quorum unus descendit ab altero; item Genealogiæ, successio Regum, Ducum &c. *Synecdoche* ad orationis brevitatem conducit, sicut & ad novitatem & celeritatem: ad quod etiam servit *Dissolutio* & *Adjunctio*; potissimùm autem earum usus est, cùm quid instanter, acriter, & vehementer dicendum; suâ enim celeritate obruunt Audit. animos, & vehementiam faciunt. *Disjunctio* valet ad exprimendos affectus, iræ, doloris &c. ornat & amplificat. *Synæciosis* facit ad acutas, brevesque sententias, & allusiones. *Annominatio* valet ad orationem venustandam, & delectandum Auditorem; sed videndum ut sententiarum pondere gravis fiat, levis aliàs per se figura: ut delige, quem diligas: *Similiter cadens* & *definens* elegantem faciunt orationem; sed tamen in re seria parcius his urendum est; eò quòd affectatione fidem rebus derogent, & fastidium pariant. Ad idem ferè valet *Isocolon* in qua figura, Conjunctionem omissio addit gratiam, acrimoniam & vehementiam. Contrapositum servit ad excitan-

dos affectus commiserationis, indignationis, ad acutas sententias, ad ornatum Orationis. *Commutatio* confert ad acutas, & breves conclusiones; v.g. non ex Domino Dominus, sed ex domino domus æstimanda est: si sapiens sum, non peccavi; si peccavi non sum sapiens. *Correctio* non solùm amplificat orationem, sed & auget ejus vehementiam. *Dubitatio* suspendit Auditorum animum, in convitio & laude. Ex dictis patet rectè cap. 25. definiri figuram, quod sit extraordinarius loquendi modus, qui non solùm exornat orationem, quemadmodum phrasiologicæ elegantiæ; sed etiam animat, id est, vitam, & vigorem ei tribuit concitatione affectuum. Quæ omnia ex allatis suprà Exemplis sunt manifesta; & fient in sequentibus.

* * *

CAPUT XXX.

De Figuris sententiarum.

Has figuras *schemata* Græci vocant; est autem schema propriè idem, quod vestis, & metaphoricè figuram & formam Orationis significat: sicut vestis hominem induit, &, si elegans sit, formosum reddit hominem, sic res, & sensum mentis induit sententiarum figura, & quia elegans est, mirificè exornat orationem. Est igitur schema hic idem, quod habitus quidam Orationis, in sensu, & significatione vim specialem complectens.

Interrogatio.

Interrogationem figuram esse negat Scaliger, eò quod non sit artificialis, & extra ordinarius loquendi modus; nemo enim, inquit ille, non sine arte interrogat, & omnis figura ab arte. Sed facilè respondetur. Non enim omnem interrogationem figuram dicimus, quæ v. g. fit discendi causâ; hæ enim usitata quoque est in communi & vulgari sermone; sed illam quæ fit instandi causâ, indignandi, acriùs imperandi &c. Unde expressè ponit Author, quoties *non suscitandi causâ* quærimus, id est non, ut aliquid resciamus, quod ignoravimus; solemus enim figuratè nos ipsos interrogare, v. g. quid agam &c. quod frustrà ac stultè fieret, si suscitandi gratiâ fieret. Fit igitur instandi gratiâ, id est, interrogamus id, quod scimus, ut adversarium urgeamus, & premamus, atque

in anguſtias redigamus, quando id, quod quæritur negare non poteſt, aut certè difficulter. Item invidiæ, miſerationis, indignationis, admirationis, & majoris motûs gratia; majorem enim vim habet, ſi dicat dux militi: non vis facere imperata? quàm ſi dicat: fac. Solemus etiam nosmetipſos interrogare, qui modus loquendi in ordinario ſermone uſitatus non eſt. Exempla ſunt in Authore, illuſtre autem eſt illud Ciceronis in Catilinam. Quousque tandem abutêre patientiâ noſtrâ &c. Quod Eccleſiaſtes quidam noſtri temporis in illud Evangelii: ſpiritus ſanctus arguet mundum de peccato; ſic eſt imitatus: Siccine ſtulti mortales (arguentem Spiritum ſanctum inducit) ad interitum cœcorum more ruitis? ſiccine momentum voluptatis cum beata æternitate mercatores peſſimi commutatis? ſiccine magis ſordes, & ſentinam amatis, quàm cœli voluptates? pluris æſtimatis cum porcis volutari in luto, quàm nutriri in croceis! potiores vobis ſunt ſiliquæ, quàm manna? ſapidior aqua Ægypti turbida, quàm vinum de vineis Engaddi? gratior mephitis quàm odor ſuper omnia aromata? dulciora toxica, quàm mella? Circæa quàm virginea pocula? ô beluas abominabiles! ô cadavera potentia! ô univerſi monſtra! quousque tandem abutemini patientiâ, & bonitate noſtrâ? quamdiu nos etiam veſania iſta veſtra illudet? nihilne vos tot beneficia; nihil tot è Cœlo data præſidia; nihil Angelorum vigiliæ! nihil timor tar-

P. Johada Dominica 4. poſt Paſcha alloc. 2.

tarij

tari; nihil æterni præmii spes; nihil pulcherrimus beatorum locus, nihil præsentia nostra, nihil ora, vultusque movent? patêre divinis oculis turpitudines vestras non sentitis? conscia cordium vestrorum Numina non animadvertitis? quid proximâ, quid superiore nocte egeritis, ad quas domos, ad quas personas accesseritis; quam divinarum Personarum ignorare arbitramini? ô tempora! ô mores! Pater æternus hoc intelligit, Filius videt; vos tamen vivitis? vivitis? imò etiam lætamini, cùm malè feceritis, & exultatis in rebus pessimis. Ad mortem vos, ô impii! justitiæ jussu duci jam pridem oportebat; pridem quasi Sodoma, & Gomorrha esse merebamini; sed pepercit vobis bonitas mea, quâ tamen sacrilegè abuti non pertimuistis, & velideo peccare, quia ego bonus sum. Quid est, quod jam amplius expectetis, quàm ut mittamini in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur. Hactenus ille, quem ideo retuli, ut commonefacerem Eloquentiæ studiosum ad imitationem exemplorum ab Authore relatorum, in alia materia posse confici hujusmodi exempla in figuris sequentibus, in quibus ne sim longior, multa prudens prætermittam.

Responsio figura est, quando ad quæsitum non respondemus id, quod petitur (sic enim figura non esset, cùm hoc etiam in vulgari sermone fiat) sed plus vel minus quàm interrogatum fuerit, aut aliud aliquid, quod Responsio.

tamen facit ad rem præsentem. Unde oportet, ut sit saltem mediatè & per plura quærendo connexum v. g. mactastine Petrum? respondendo, non fui hîc; facis hujus loci figuram, quia ostendis mactare te non potuisse, cùm absens fueris. Faciunt autem hoc Oratores, vel ut evitetur ulterior interrogatio, & dubium, quemadmodum fit in dato exemplo: vel ut augeatur, aut minuatur res, de qua agitur v. g. estne fur suspensus? & meritò quidem, estne miles in furcam actus? & quidem propter sex nummos. Huc pertinet, quod Christus Matth. 11. & tu Capharnaum, nunquid in cœlum exaltaberis? usque ad infernum detraheris. Pulchrè Boëtius ostendit in rebus creatis non esse felicitatem hunc in modum: Quantis verò (res creatæ) implicitæ malis sint, brevissimè monstrabo. Quid enim? pecuniamne congregare conaberis? sed eripies habenti: dignitatibus fulgere voles? danti supplicabis; & qui cæteros præire cupis honore, poscendi humilitate vilescis: potentiamne desideras? subjectorum insidiis obnoxius, periculis subjacebis: gloriam petis? sed per aspera quæque distractus securus esse desistis. Voluptuariam vitam degas? sed quis non spernat, atque abjiciat vilissimæ, fragilissimæque rei, corporis servitium. Jam verò, qui bona præ se corporis ferunt, quàm exigua, quàm fragili possessione nituntur: num Elephantes mole, tauros robore superare poteritis? num tigres velocitate præibitis? respicite Cœli spatium, sir-

firmitudinem, celeritatem, & aliquando desinite vilia mirari. Ità ille.

Subjectio est, cùm Orator se ipsum interrogat; & sibi ipsi respondet, aut, si alium interroget, non accipit ab eo responsum. Sed ipse illius loco respondet. Unde patet esse figuram: nam in ordinario Sermone nemo se ipsum interrogat, taceo, ut sibi respondeat, neque dum alium interrogat, ipse ejus loco respondet. Distinguitur autem hæc figura ab interrogationis figura: quia in figura interrogationis nullum subjicitur responsum, sive alium, sive se ipsum interroget: si enim adjiciatur responsum, est subjectio. v.g. Cic. pro Ligario. Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cùm hæc sciret &c. Idem pro Quinctio: ad vadimonium non venit, quis? socius: quis? is, qui tibi semper præstò fuit. Et in Verrem Act. 4. utrum tibi, Siculos publicè, privatimque amicos, an inimicos existimari vis? si inimicos? quid te futurum est? si amicos &c. D. Paulus Rom. 3. legem ergò destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus. Subjectio.

Ex dictis collige discrimen inter prædictas tres figuras: in prima enim fit interrogatio, sed nil respondetur; in secunda respondetur, sed non immediatè ad petitum, neque directè; in tertia autem immediatè, & directè.

Anteoccupatio, Græcè Prolepsis, est, cùm id, quod Oratori posset contradici seu objici (non quod objectum est, tunc enim non est Anteoccupatio. Anteoc-

teoccupatio, quia non præoccupat, nec antevertit objectionem, sed est confutatio) ipse prævenit, & sibi objicit ultrò, ac deinde, solvit, & refutat. Fit communiter per particulas adversativas: sed. ast, at, verùm. Item sic: fortasis nonnemo illud aggeret: Mirabitur aliquis. Hic adversantem sentio nonneminem, aut quærentem, mirantem, obstrepentem &c. Sic etiam solet Orator in principio, causam susceptæ accusationis, vel defensionis dicere Auditoribus; item cùm aliquid ingratum est dicturus Auditoribus; ipsius enim est prævidere, & præmunire, ne quid ingrati afferat; unde etiam noscendi sunt ipsi Auditorum affectus, & judicia, Cic. pro Roscio. Credo ego vos, Judices, mirari quid sit, quòd cùm tot summi Oratores, hominesque Nobilissimi sedeant, ego potissimùm surrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant, comparandus. Idem in Verrina 1. Si quis vestrûm, aut eorum, qui adsunt fortè miratur, me, qui tot annis in causis, judiciisque ita versatus sim, ut defenderim multos, læserim neminem; Subitò nunc mutatâ voluntate ad accusandum descenderim, si mei consilii causam, rationemque cognoverit, unà & id, quod facio, probabit &c. Idem pro lege Manilia. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cùm hæc ita sint, reliquum possit esse bellum: cognoscite Quirites, non enim sine causa quæri videtur. Idem pro Cæcina. Dicet aliquis; hæc igitur tua est disciplina?

na? sic tu instituis adolescentes &c. Et pro Archia n. 15. quæret quispiam, quid illi ipsi summi viri quorum virtutes litteris proditæ sunt, istane Doctrinâ, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt? difficile est hoc de omnibus confirmare &c. Vide Palatium Eloq. fol. 531. col. 2.

Correctio Sententiarum figura est, quæ non verbum aliquod uti facit Correctio verborum, sed sensum integrum aut rem aliquam jam dictam revocat, & retractat; Cic. pro Ligario n. 24. Quæro, quid facturi fuissetis? quanquam quid facturi fueritis, non dubitem, cùm videam, quid feceritis. Idem in Anton. Philipp. 14. n. 22. nunquam in civili bello supplicatio decreta est: decretam dico? ne victoris quidem literis postulata. Idem pro Dejotaro n. 16. quis consideratior illo? quis prudentior? quanquam hoc loco, non tam ingenio, & prudentiâ, quàm fide, & religione vitæ defendendum puto. Idem pro Roscio, quem ubi dilaudâsset, corrigens se, ait; sed quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem dico? ignotum hominem scilicet pluribus verbis commendo. &c. qui ultimus modus servit ad transitiones in oratione v. g. sed quid ego his pluribus immoror! At, quid ego hæc commemoro, nota sunt, vilia &c. Correctio.

Dubitatio sententiarum figura est, cùm non de verbo, alicui rei attribuendo, sed de re dicenda, aut facienda deliberamus nobiscum. Sic Cic. pro Roscio, quid primùm querar, Dubitatio.

rar, aut unde potissimùm Jud. ordiar &c. & Poëta: eloquar? an sileam? &c. exemplum elegans est Virgilii 4. Æneid. ubi Dido secum deliberat, quid post abitum Æneæ factu sit opus. Vide Palatium Eloquent. pag. 582, ex eodem est pag. 532. de S. Agnete, quod in Exemplum exordii formandi propono, quando se plurima dicendi copia offert. Sic autem habetur ibi: Quid, amabò ex illius laudibus omittendum est, ut vulgare? quid promendum, ut eximium? justitiamne proferendam putem? est illa quidem in Agnete præstantissima; sed fortitudo videtur excellere: fortitudinem anteponam? at illi justitia non cedit: an temperantiam? prorsus id amplissimum ornamentum est: sed sapientia videtur illustrior. Sapientiam! hæc ipsa temperantiæ societate laudabilior, existimatur, an ejus tranquillitatem, & otium laudem? nihil actuosius; an negotium, & occupationes? nihil sedatius; religionem? humanissima est; humanitatem? religiosissima est: parsimoniam? cum liberalitate disceptat; liberalitatem? cum parsimonia dimicat; utramque proponam? at reticeri non vult animi submissio. Hanc igitur commendabo? at nunquam hæc est sine magnificentia &c. Hinc patet figuram hanc valere ad multa enumeranda, ad quod etiam servit Præteritio. Differt autem à sustentatione, quia licèt in ea multa proponendo per modum dubii, dubium & suspensum teneam Auditorem; subjungere tamen debeo aliquid expectatione majus, aut minùs, quod non fit in dubitatione.

Com-

Communicatio est, quando non jam nobiscum deliberamus (hoc enim facit Dubitatio) sed cum aliis v.g. cum adversariis, cum Auditoribus, judicibus &c. quia tamen hæc figura deliberationem habet, inde dicitur, quod non multùm absit à Dubitatione. Cum aliis autem Orator deliberat, quando eos ipsos consulit, & in Consilium vocat, quid faciendum judicarent tali casu, vel quid aliud ipsi fecissent v.g. si tua hîc res ageretur, cedò, quid ageres? cedò, si vos eo loco essetis, quid aliud fecissetis? hic tuam appello conscientiam, an ferres ab alio factum, quod tibi nunc vis esse impune? in hoc turbulentissimo rerum statu, date consilium, quid mihi faciendum censeatis? Sic Cic. pro Cæcinna: Fac in hoc errare me, nec posse ullo modo per hoc interdictum id assequi, quod velim; te uti in hac re Magistro volo: quæro sitne aliqua hujus rei actio. Idem pro Quinctio. Ego pro te nunc hoc consulo, post tempus in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te, Aquili, Lucculle, Marcelle, vadimonium mihi non obiit, quidam socius, & affinis meus. Quicum mihi necessitudo vetus, controversia recens de re pecuniaria intercedit: postulone à Prætore, ut ejus mihi bona possidere liceat? an cùm Romæ domus ejus uxor, liberi sint, domum potius denuntiem? quid est, quod hæc tandem in re vobis possit videri? profectò si vestram bonitatem, atque prudentiam cognovi, non multùm me fallit: si consulamini, quid sitis responsuri: primum expectare &c.

Pro-

Prosopopœja est ficta personarum inductio, ut dum rebus inanimatis ac sensu carentibus vocem attribuimus : seu illas inducimus loquentes : sic Cic. inducit Patriam cum Catilina expostulantem , cum Verre Siciliam, Chrysippus justitiam, Boëtius Philosophiam, Politianus Lamiam, alius moriam, seu stultitiam. Et hoc est, quòd Author ait: formas quoque virtutum (itidem vitiorum) fingimus. Id est, personam iis attribuimus vocem & actionem , ut patet in Comœdiis & Tragœdiis. David in Psalmis alloquitur mare, flumina, montes, & colles, eosdemque facit Respondentes. Hoc modo mortuos excitant Oratores & loquentes inducunt: Sic etiam absentes homines inducunt loquentes, item præsentes, sed ipsi in eorum Persona loquuntur. Hoc enim sufficit , ut figura sit, seu specialis modus loquendi. Huc revocantur Apologi, Dialogi &c. Cicero in Anton. Quod si nunc ille Brutus reviviscat , & hic ante pedes vestros adsit , non hac uteretur Oratione ? ego Reges ejeci, vos tyrannos introducitis; ego libertatem, quæ non erat peperi, vos partam servare non vultis; ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi sine periculo esse non curatis &c. Formulas alias Chriarum, methodus , quæ circumfertur, offert , & habet Palatium, Eloquent. pag. 564. Lud. Granatens. Ecclesiast. Rhet. lib. 3. cap. 9. | insignis est quam habet D. Ambrosius libro de *Nabuth.* cap. 5. Sed

qui

quia fusior, describere non vacat: breviorem ponam S. Basilii Seleucensis serm. de Elisæo, ubi Matrem viduam in Naim producit filium mortuum deplorantem. Cuinam, fili, viduam & orbam Matrem reliquisti? quem, te adempto, adjutorem reperiam? cui baculo ætas mea grandior innitetur? vel quo modo: angustias orbitatis, & viduitatis ferre potero? duos illustres oculos possidebam, virum & filium; utrumque mors effodit. Quis fili Matrem sepulchro mandabit, justaque persolvet? illum, qui me lacrymis sequi debebat; lacrymor ego, & sepulchrum ei paro, qui parare mihi debuerat. Par erat Matrem ante filium à morte rapi; hic enim est naturæ ordo, ut filii parentes præmittant; sed quia ordinem pervertisti, me celeriter tibi adjungat Deus. Satius mihi erit eodem sepulchro condi; quàm sine filio, brevi hac luce perfrui: nulla mihi vitæ ultrà jucunditas, cùm ille non supersit, cujus causâ vivere cupiebam. Quamdiu supererat, sine dolore ærumnas ferebam, & viri calamitatem, filii expectatio paulatim à memoria subtrahebat; sed solatium meum mors amara conturbavit, & in dolorem intolerabilem convertit. Quàm diversa sunt eventa ab his, quæ mihi proposueram! ejus nuptias expectabam, pro thalamo sepulchrum construxi; quando de nuru cogitabam, monumentum tunc paravi; cùm de nuptiali conditione tractabam, testamen-

mentum ejus consignatum accepi; & filius Matrem hæredem scripsit, quæ filium hæredem constituere debebat; cùm vestem nuptiis pararem, funebribus victis cadaver constringere cogor. Quàm diversa sunt hæc ab iis, quæ proposueram! nullus dolor, cum cordis mei acerbitate conferendus, nulla calamitas par calamitati meæ, nullus vulnus meum sanare poterit, nemo tantus in urbe medicus &c. Hæc ille dignus, qui in metrum elegiacum vertatur. Cæterùm notandum hic, ut in fingendo consideretur Persona, & rei natura quæ loquitur. v. g. an Deus, an homo sit? Gallus, an Hispanus? doctus, an rudis; lascivus, an tetricus? &c. Oratio enim personæ & rei congruere debet, ita ut sermo juvenis, sit alacer; matronæ serius, senum gravis; vani tumens; miserabilis in humili conditione positi, inconditus rustici; temerarius pueri; Oratoris ornatus &c.

Apostrophe.

Apostrophe est, cùm à contextu materiæ, vel sermonis cæpti repentè nos aliò convertimus per allocutionem ad rem aliquam. Sic apud Virgilium Æneas, recensitis suis ærumnis, allocutionem facit ad occisos in Trojæ occupatione: ô terque quaterque beatos, quêis ante ora Patrum Trojæ sub mœnibus altis contigit oppetere. Sic, facto sermone de mundi fallacia, dicere potes; ô munde! quàm blanda sunt, quæ promittis, quàm amara, quæ reddis. Item habito discursu de peccato, subdere potes; ô mendax peccatum! quàm dulcia

pol.

pollicebaris initio, quam nunc alia loqueris, tuis casibus irretito. Sic Christus: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas. Et, væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida. Hinc patet etiam, ad res inanimatas, & sensu carentes fieri posse Apostrophen. v.g. ad cœlum, terram, inferos, ad montes, sylvas, urbes, domos tecta, v.g. ô tecta ipsa misera &c. Multò verò magis ad Sanctos in cœlo, atque ad Angelos, ad Damnatos in inferno &c. Exempla passim leguntur, & audiuntur in Concionibus.

Hypotyposis.

Hypotyposis est rei ad vivum per verba repræsentatio: quod fit, quando res ita verbis proponitur, ut cerni potius, quàm audiri videatur. Huc spectat Cosmographia, seu mundi descriptio. Chronographia seu temporis descriptio; Geographia, terræ descriptio, Topographia seu loci descriptio; Prosographia seu personæ quoad habitum & formam (nam si quoad mores fiat descriptio, est Etopœja de qua postea) descriptio ad vivum facta. Sic legere est descriptiones hortorum, pratorum, avium, animalium, tempestatum, præliorum, direptionum, naufragorum, triumphorum, ludorum, tam apud Poëtas, quàm Oratores. Sic Virgil. l. 4. Æneid. describit tempestatem, Carthaginem, & portum in Africam, Veneris habitum. In 2. Trojæ excidium, in 6. Campos Elysios; in 3. Polyphemi Cyclopis formam; in 7. domum Caci &c. Ovidius describit diluvium lib. 1. Metamorph. tempestatem, l. 2. quatuor

tuor ærates 1.Met. Regiam solis Met.2. sedem somni met. 11. domum famæ. met.11. Horatius ver.lib.1.oda 4. hyemem oda 9. Cic. Civitatem act.4.in Verr.& in Catilin.4. item pro Milone, Clodii, & Milonis apparatum ad egressum urbis.&c. Gregor. Nyssen.hom.de nativit.cædem innocentium. Ambros.lib.1.de Abel c. 4. voluptatis illecebras,alii alia, Quintilianus sic urbis expugnatæ direptionem describit. Apparebant effusæ per domos,& templa flammæ,& ruentium tectorum fragor,& ex diversis clamoribus unus quidam sonus: aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium,fœminarumque ploratus, malè usque in illum diem servati fato senes: tum illa, profanorum Sacrorumque direptio, efferentium prædas,repetentiumque discursus, & acti ante suum quisque prædonem captivi, & conata suum infantem retinere Mater: & sicubi majus lucrum est,pugna inter victores. Ita Quint. Sic regiæ Priami irruptionem proponit Poëta, Lib.2.Æneidos.

Et domus interior,gemitu, miseroque tumultu
Miscetur,penitusque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: ferit aurea sidera Clamor.
Tum pavidæ tectis Matres ingentibus errant,
Amplexuque tenent postes, atque oscula figunt.

In-

Instat vi patriâ Pyrrhus, nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent; labat ariete crebro.
Janua, & emoti procumbunt cardine postes.
Fit via, vi rumpunt aditus primosque trucidant
Immissi Danai, & latè loca milite complent. &c.

Adolescentis defuncti metamorphosim decantat lessus ille: Vide Palatium Eloq. à fol. 559.

Ut bulla defluxit aquosa, subsedit ut vespere rosa,
Brevis omnis est flosculi sors, rapit ungue celerrima mors.
Quam manibus osseis tangit, crystallinam phialam frangit.
O inepta! & rustica mors, ô caduca Juvenculi sors!
Ubi nunc decor ille genarum? ubi formæ miraculum rarum?
Bina lumina subripit mors, cæca tenebras intulit sors.
Ubi corporis bella figura? ubi lactis, ostrique mixtura?
Lac effudit in cespitem sors, texit ostrum sandapilâ mors.
Ubi rubra coralla sunt oris? ubi, retia, crines, amoris?
Parcæ rapuit forficem sors, scidit atra cæsariem mors.

Ubi cervix,& manus eburna? heu funebri jacet in urna !

Atra nives imminuit sors, colla pressit tam candida, mors.

Eheu quid homines sumus, evanescimus sicuti fumus !

Vana, vana terrigenûm sors, cuncta dissipat improba mors.

Exinde patet, ad hoc genus descriptionis plurimùm facere, partium, circumstantiarum, seu adjunctorum, antecedentium, & consequentium, atque effectuum multorum cum suis causis explicationem; eorum autem maximè, quæ rem oculis ad vivum subjiciunt, ubi juvat non solùm ars & ingenium, sed etiam oculis spectâsse, quæ velis effingere, aut expertum esse, quid in casu simili accidere soleat; aut saltem prælegisse tractationem argumenti similis in Authorum aliquo. Sic descripturus prælium, primò locum proponat cum suis circumstantiis. Planus, an montosus? an palustris? quàm longus, latus &c. deinde tempus nox, an dies? sole sereno, nubilo, hyeme? &c. dehinc copiam, numerum, ordinesque militum, eorum arma, vires, animos, consilia, insidias. Tum congressum, pugnas, ictus, vulnera, strages, cadavera fugas, deditiones, clamores, sonitus, fragores, & gesta fortium virorum, suis quæque coloribus, ut lector non legisse, Auditor non audiisse, sed prælio interfuisse, & spectâsse videatur. An verò, & quomodo hypotyposis differat à periphrasi, dictum est in Peri-

Periphrasi cap. 19. nempe quòd periphrasis, illa multa ponat pro voce una, Hypotyposis autem pro re : unde ibi illa multa vocabula tantùm efficiunt, quantum si vox una posita esset, in ordine ad motum; hic autem amplius; ad vivum enim expressa res concitat affectum doloris, commiserationis, lætitiæ, admirationis &c.

Aposiopesis est inchoati alicujus sensûs interruptio, & præcisio; dum scilicet aliquid reticetur, quod ad sensum & sententiam cognoscendam est necessarium; neque aliunde colligitur, quod reticeatur: debet enim esse incertum, quod omittitur, ut à synecdoche figura distinguatur. Fit autem hæc interruptio in vehementi affectu iræ, amoris, desiderii, pudoris, solicitudinis &c. vehementia enim affectûs abripit rationem, & orationem ad alia, neque sinit exprimere Verbis, quod mente conceptum est. Terentius in Eunucho, ergone illam? quæ me? sine, morime malim. Idem in Andria. Quem quidem ego, si sensero: sed quid opus est verbis. Sic indignantes pœnam commerito dicimus: si adhuc semel mihi veneris dabo ego tibi: si vellem, possem; sed parco hâc vice. Virgilius Æneid. Aposiopesis.

Non jam prima peto Mnestheûs, neque vincere certo
Quamquam ô! sed superent, quibus hoc Neptune dedisti.
Extremos pudeat rediisse.

Juvenal.

Tune duos unâ, sæviſſima vipera, cœ-
nâ
Tune duos?

Ovid. in Epiſt.

Me tibi venturam quocumque vocâris
Laodamiæ.
Sive (quod heu timeo) ſive ſuperſtes
eris.

Cic. ad Caſſium. Brutus Mutinæ vix jam ſuſtinebat, qui ſi conſervatus erit vicimus; ſin (quod Dii omen avertant) omnis omnium curſus eſt ad nos.

Pſalmo 6. anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine uſque quò? Joan. 20. Viſo Domino redivivo exclamat Thomas: Dominus meus & Deus meus, neque ſenſum perficit. Cicero Epiſt. 22. lib. 7. ad Attic. de Pompejo. Scio nihil, eumque niſi in navim ſe contulerit, exceptum iri puto. ô celeritatem incredibilem! hujus autem noſtri, ſed non poſſum ſine dolore accuſare eum, de quo angor & crucior. Et lib. 9. ep. ult. ſed erit immitiſſimus Servius qui filium miſit ad affligendum Cn. Pompejum aut certè capiendum cum Pontio Finiam, etſi. Hic quidem timoris causâ, ille verò: ſed ſtomachari deſinamus. Solemus etiam abrumpere textum ſermonem, quia interloquendum occurrit nobis noxium aut aliis futurum, ſi totum proferamus, aut idipſum ſapere arrogantiam aut turpitudinem. Sic Virgilius turpiſſimum ſcelus tegere volens, ſic cecinit: Ecl. 4.

No-

Novimus & qui te transversa tuentibus hirquis,
Et quo (sed faciles Nymphæ risêre) sacello.

Author ad Herennium lib.4. Tu ista nunc audes dicere? qui nuper alienæ domi: non ausim dicere, ne cum te digna dixero, me indignum quidpiam dixisse videar. Ibidem. Mihi tecum præcertatio non est; ideo quod populus Rom. nolo dicere, ne fortè arrogans videar; te autem sæpe ignominiæ dignum putavit.

Juvenal.

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum.
Aut Pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Cicero pro Milone: an hujus ille legis, quam Clodius à se inventam gloriatur, mentionem, facere ausus esset vivo Milone, ne dicam Consule? de nostrûm enim omnium: non audeo totum dicere. Per hanc figuram Ecclesiastes quidam inducit detrahentes. Puella inquiunt ista, speciosa, prudens, opulenta, sed. Iste advocatus vir intelligens, bono ingenio, consilio, sed. Ille medicus. Princeps Urbis habetur, plures conclamatos sanitati restituit, sed. Ille Dux exercitûs animosus, vigilans, strenuus. sed. Ille monachus, illa Religio erudita, temperans, casta, sed. Addit similia ex Scribanio, quæ libens prætermitto. Comminationis fuit illud quod Mauritius Bræssius nomine Galliarum Regis ad Clementem

Engelgrave Parte 4. Dominica 8. post Pentecost.

VIII. protulit in fine Orationis : Tua igitur beatitas, tam pium, tam sedi Romanæ deditum, & addictum Regem Regnumq; foveat, amet, arctissimè complectatur : memor, quàm diu Christianorum Regum æquis laudibus imperia vibrabuntur & Regum ipsorum fore, & totius rei Christianæ disceptatores & arbitros, summos Pontifices. Sin autem propendere, & inclinari in lancem alteram libra cæperit. Sed præstat festo, fausto que die faustam orationem fausta ominatione concludere.

Ethopœja. *Ethopœja*, est morum fictio : sicut Ethica doctrina de moribus: fit igitur, quando hominis *mores*, aut ea, quæ *ad mores* spectant, ad vivum describuntur. Differt ab Hypotyposi Hypotyposis quia rem, quoad naturam describit, non quoad ea, quæ ad mores spectant; contingit tamen sæpe, ut utraque misceantur. Sic Plutarchus Demetrium vivis depingit coloribus. Procerâ fuit staturâ, formâ orisque pulchritudine usque adeò egregiâ, atque præstanti, ut pictorum atque sculptorum nemo fuerit inventus, qui similem unquam potuisset effingere: nam lepôrem quendam habebat, benevolentiaque omnium animos sibi conciliabat, terrorem incutiebat, gravitatem Regiam, & mansuetudinem domesticam præferebat, concurrebatque cum Juvenili, & præalto vultûs aspectu splendor cunctis admirabilis regia quadam dignitate conjunctus: itaque natus, factusque videbatur ad terrorem, stuporemque simul, & hominum gratiam concitandam. Erat autem, cùm per otium fe-

sta,

sta, ludi, potationes, & convivia celebrabantur, & delicatissimus, & regum facetissimus. Cùm verò res seria agebatur, aut pernicioſa intendebatur, laborum erat patientissimus; ingeniique præstantiâ longo intervallo cæteros antecellebat, ita Plut. Ex Plauto hæc est avari simulque invidi descriptio. Quàm avarus in re aliena sit orcus, vulturque, qui cadaver expectet, in re autem sua elargienda pumex avidissimus, rem suam periisse, leque eradicarier, & Divum atque hominum clamat continuò fidem de suo tigillo fumus, si quâ exeat foras. Pervigilat totas noctes, tum autem interdius, quasi claudus sutor domi sedet totos dies: tum ad servos ait: cave quenquam alienum in ædes intromiseris; quòd si quisquam ignem quærat, extingui volo, ne causæ quid sit, quòd te quisquam quæritet: tum aquam effugisse dicito, si quis petat: cultrum, securim, pistillum, mortarium (quæ utenda vasa semper vicini rogant) fures venisse, atque abstulisse dicito; profectò in ædes meas me absente neminem volo intromitti; atque etiam hoc prædico tibi, si bona fortuna veniat, ne intromiseris. Hæc Comicus. S. Petrus Damiani l. 2. ep. 3. sic adulatoris mores proponit. Quis ambigat eum, cum datur occasio favorabilibus Dominum suum verbis obtinere, ut cum possit blanda mulcere adulatione, ut ejus animum capiat, quid sibi magis placeat, callidus observator explorat, oculis gliscit, gestibus innuit, festivitatem sereni cordis prætendit, pendet ad nutum, ut herile sic præceptum tanquam

sibyllinum os, Phœbi præstoletur oraculum; ire jubetur, evolat, stare jubetur, silicem repræsentat, si Dominus fervet, ipse sudat, si ille æstum, hic cauma conqueritur; At si vel leviter frigeat, hic necesse est tremefactus viscеribus obtorpescat: si ille dormire vult, hic acediatur: si satur est; hic ructare compellitur, sicque non suus, nil aliud loquitur quàm quòd illi placere suspicatur, Hæc Damiani. Vide Palat. Eloq.

Emphasis

Emphasis est, cum ex eo, quod dicitur, aliud præter hoc, quod dicitur colligendum est, & desumendum. v. g. quod per funem demissum lapsi sint, colligenda est præterea altitudo, è qua se demiserunt, cùm ire, aut desilire non potuerint. Sic cùm Julius Cæsar diceret veni, vidi, vici, innuebat præter hoc celeritatem; & cum irruenti, in se inter occisores Bruto diceret: & tu Brute fili mi, indicabat præterea beneficia Bruto collata, propter quæ ingratus existeret. Quo pacto Christus Judæ se tradenti locutus: Juda, osculo filium hominis tradis? quasi diceret tu me tradis, qui es unus ex meis Apostolis? & osculo quidem, ita, quod est signum amoris, tu facis esse perfidiæ. Similiter videns Hierosolymam, flens dixit: si cognovisses & tu, quæ ad pacem tibi? ubi *tu*, plus significat, quàm verba per se declarent; sicut etiam in illo Petri ad Christum: tu mihi lavas pedes! in quem locum Augustinus: quid est, inquit *tu*, quid est *mihi*, cogitanda sunt potiùs quàm dicenda, ne fortè quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit animus, non explicet lingua; ita ille. Similiter Joannes Baptista ad

ad Christum petentem baptisma dixit Matt. 3. Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me? Emphasim etiam fecerunt Israelitæ de manna dicentes: Manhu? quid est hoc: quomodo in tam parva re, tanta dulcedo, satietas, &c. Item dum Christus ad Magdalenam in horto se post mortem quærentem diceret. Maria, ex hac enim compellatione agnovit Christum esse. Huc itidem refert sequentia: ille nec scit os aperire, unde colligitur stupiditas; nec particulam panis habet in domo, nec integrum indusium in collo. Unde notatur paupertas. Herculem hîc labor exigit, unde patet difficultas. Scanderbegus suo acinace Turcas per medium diffindebat, inde conjicitur robur illius &c. Differt hæc figura ab Aposiopesi, quia hîc non omittitur aliquod verbum, quod ad sensum perfectum requiritur; sed solùm ex eo, quod positum est, plùs conjiciendum est, quam dicitur. v.g. Discipulus Magistrum doceat? Tunc sodalis? & hæc atque illa facias?

Sustentatio est, quando diu protrahuntur Auditores expectantes, quem res in dicendo habitura sit exitum, & finem, interim verò præter expectationem eorum aliquid leviùs, aut graviùs subjicitur, aut aliquid sequitur, quod est præter opinionem. Et per hoc differt hæc figura à dubitatione, in qua quidem etiam dubii expectant quid secuturum sit; sed nihil præter opinionem subjicitur, quemadmodum hic. Ubi sæpe verum est illud Horatii. Sustentatio.

Par-

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Sic Ecclesiastes quidam ingenio celebris, agens de paucitate salvandorum, postquam ex Chrysostomi sententia ostendisset paucos salvandos in Urbe Antiochena, atque idem inferre deberet de suis Auditoribus, invertit, & contrarium intulit: omnes præsentes salvandos esse, quod postea comprobavit. Terentius. In me quidvis harum rerum convenit, quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus, in illum nihil potest, nam exsuperat ejus stultitia hæc omnia. Unde patet posse hanc figuram fieri sinè dubitatione, aut interrogatione; Communiter tamen fit illarum adminiculo. Cicero Philipp. 2. Quid putem? conremptumne me? non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii quid despicere possit Antonius. An in senatu facillimè detrahi posse credidit? atqui ordo clarissimis civibus bene gestæ Reip. Testimonium multis, mihi uni conservatæ dedit. an decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est; quid enim pleniùs? quid uberius, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profectò est: non existimavit sibi similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi inimicus esset. Vide plura in Palæo Eloq. fol. 539.

Prætermissio, seu Præteritio.

Prætermissio, vel *Præteritio* est, cùm dicimus nos tacere, præterire, & prætermittere vo-

velle, quod tunc maximè proferimus v.g. nolo dicere, quod sis piger, non dico te esse potatorem, furem, libidinosum &c. Valet ad multa breviter commemoranda, cùm scilicet iis diutiùs insistere non libet, quia leviora sunt, aut non vacat: Cic. pro Sextio: Possem multa dicere de liberalitate, de domesticis officiis, de tribunatu militari, de provinciali, in eo Magistratu abstinentia: sed mihi ante oculos versatur Reip. dignitas, quæ me ad se rapit, hæc minora relinquere hortatur. Idem act. 5. in Verrem. Audistis hæc, judices, quæ nunc ego omnia prætereo, ac relinquo, nihil de luxuria Apronii loquor, nihil de insolentia, nihil de singulari nequitia, ac turpitudine, tantum de quæstu ac lucro dicam unius agri, & unius anni, quo facilius vos conjecturam de triennio & de tota Sicilia facere potestis. Idem pro Cluentio: mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate Matris expulsam ex Matrimonio filiam, nihil de Oppianici nuptiis queror, prætereo quòd &c. Vide eundem in Verrem act. 3. n. 32 & act. 7. Non defendam Apollonii causam, prætermittam illud, non dicam ne illud quidem, etiam illud præteribo &c. locus fusior est, quàm ut huc transferri possit. Breviter; formulæ sunt: prætereo, taceo, non memoro, non dico. Sicut *licentia* Poëtica dicitur, quando quis in versu aliquid facit quod per Communem Poëticæ legem non licet; sic licentia oratoria est, attentare aliquid quod plerumque non est fas. Licentia.

fas, non enim cuilibet licet reprehendere palàm, & sine ambagibus alterum, ipliq; nudam dicere veritatem, sed habenti potestatem ratione Domini, Gubernationis, officii, quo modo habebat Joannes Baptista dum Herodi diceret: non licet tibi habere uxorem fratris tui.

Est igitur licentia præsumpta libertas in dicendo, quando scilicet timoris, aut verecundiæ causa subest, quò minus dicendum foret; præsumit tamen, & audet dicere, liberè, quia existimat prudenter, quod non sit offensurus Auditores: quod bene notandum; si enim prævideat Auditorum offensam, tum id proferendum non est apertè & liberè, de quo subveretur; sed sub aliquo involucro, ne veritas odium pariat; quod fecit Propheta Nathan Davidi scelus exprobraturus, inductâ priùs parabolâ. Potest hæc figura dici licentia *præsumpta*, vel *interpretativa*, cujus usus in utraque Repub, Ecclesiastica, & profana, frequens est, cùm scilicet ad habentem potestatem recurri non potest, ut notum est in utroque Jure, & Conscientia legibus. Usus hujus figuræ est in morendo, objurgando, insultando, minando &c. Insultavit adversario Cicero pro Ligario, quando admittit non tantum Ligarium fuisse contra Cæsarem, sed liberè edicit etiam se fuisse, quod reticendum videbatur, cùm Cæsar præsens esset, ejusque animum exulcerare potuisset, rei acerbæ mentione; facit tamen, & pro irato, benignum sibi efficit. Idem pro Sylla, cùm deprecari potiùs debuisset, quod Leentulum, & Catilinæ sectatores supplicio affe-

cis-

ciſſet, aut ſaltem extenuare, excuſare audet ex hoc facinoris gloriam, & aggratulationem ſibi quærere. Maxima, inquit, voce, ut omnes exaudire poſſint, dico, ſemperque dicam; adeſte omnes animis, qui, adeſtis corporibus, erigite mentes, auresque veſtras, & me de invidioſis rebus, ut ille putat dicentem attendite. Ego Conſul & quæ ſequuntur. Alia exempla require in Palatio Eloq. fol. 580. Audax illud pro domo ſua. Quare disrumpatur licèt iſta furia, atq; audiat hæc ex me, quoniam laceſſivit &c. Nec mitiora ſunt, quæ in alios, præſertim in Antonium, effatus eſt, ob quæ à multis Cicero, ut nimium dicax, & audax vapulat, neque fuiſſe mirum, ſi Antonium atque alios ob linguæ libertatem habuerit adverſantes. Nec ob aliud paſſus Demoſthenes: S. Chryſoſtomus quoq; ab Eudoxia in exilium miſſus. Sanè nemo libens nudam accipiet veritatem, quin ſaltem erubeſcat. Quia tamen dicenda ſæpe, præſertim Magnatibus, ne res, negotia, & ſtatus Urbis, aut Regni peſſum eat, neque ſemper Orator ſacer diſſimulare vitia poteſt, ne creſcant in immenſum, poteſt quis acrimoniam mitigare ſuaviter, præmuniendo v. g. ignoſcite, ſi quædam videbor æquo liberiùs dicere: duriùs loquar, ſed huc me compulit veſtri charitas. Dicam invitus, non dicturus, niſi eſſet in rem veſtram: Si quid eſt moleſtiæ, atque acerbitatis in hac mea oratione, cogitare velim graves morbos non ſanari levibus pharmacis. Si vos offendit ſermo liberior

berior; illis magis æquum est, indignari, quorum improbitas, ut hæc dicerem, me impulit. Simon Verepæjus hos mitigationis modos annotavit. 1. cum præfamur, aut ab Auditoribus quasi veniam reprehendendi petimus, v.g. ut ita dicam, quod pace tuâ dicam; ut pace tuâ dixerim. 2. cùm eos, quod reprehendimus, initio moderatè laudamus ex aliis capitibus v.g. hæc & illa insignia sunt vestri nominis decora, sed illud turpissimum est, quod reliqua obfuscat omnia. Sic Cicero in Philip. initio laudat Antonium & Dolabellam, quos deinde acriter reprehendit. & Apoc. 2. & 3. laudantur primùm Episcopi septem Ecclesiarum; deinde vituperantur. 3. Cùm his, quos redarguere intendimus, affirmamus nos amicos esse, neque objurgationem ex odio processuram, sed amore & benevolentiâ. Sic Cicero reprehensurus senatores, ait: venio nunc ad Consulares, quorum nemo est, qui non habeat aliquam mecum Conjunctionem gratiæ. &c. 4. Cùm quasi coactè, invitè, & ex officio nos reprehendere dicimus. Cic. Philip. 7. heu me miserum qui semper senatum laudavi, nunc cogor reprehendere. 5. Cùm propter erratum eorum, quos reprehendimus, nos affici dolore ostendimus, ut cum animi mei dolore intellexi, vel recolo hoc aut illud. 6. cum nostram personam non excipimus, sed includimus, non loquendo solùm de aliis, sed in plurali in prima persona; ut idcircone popul. Rom. nos Consules fecit, ut in amplissimo gradu collocati

pro

pro nihilo Remp. haberemus. Debet hic modus maximè à sacris oratoribus adhiberi tunc, quando constat eadem sibi, quæ aliis dicit convenire, alioqui enim obstrepentes audiet, cur nobis solis hæc dicit? cur non & sibi? quasi verò esset immunis ipse. Imò si hoc ex sui abjectione faciant etiam non rei, valet, ad majorem affectum in animis Auditorum, majoremque benevolentiam. Postremò mitigatur reprehensio nostra, dicendique libertas peccati ipsius culpam in alium rejectâ, v. g. fuisse seductionem, subreptionem, levitatem, ignorantiam. Sic ad Galat. 3. Apostolus Galatarum crimen atrox elevat, culpam rejiciens in Pseudoapostolos, qui illorum imposuerant simplicitati, nec fraudem tamen, sed fascinationem appellat, & B. Petrus act. 3. ubi errorem populi liberiùs reprehendisset, nè tam acri sermone perterritos desperationi relinqueret, mitigavit acrimoniam, ac veluti oleum post acetum infudit in vulnus, quando factum eorum ignorantiæ imputat, ac promittit pœnitentibus peccatorum veniam. Hic adde, fieri posse, ut volentes vitia grassantia perstringere inducamus exemplum vetus, atq; illud exagitemus, & in Authorem invehamus. Hoc erit quasi in imagine, ac speculo deformitatem proponere. Potest itidem fieri, ut nostri locò introducamus perorantem aliquem ex Prophetis, Apostolis, aut sanctis Patribus, atque eò faciliùs, si eorum propria, quæ locuti sunt aut scripserunt verba habeantur. Hæc fusiùs in gratiam Concionatorum.

Con-
ceſſio.

Conceſſio eſt, cùm orator aliquid admittit eſſe factum, vel dictum, quòd potiùs videretur negandum, aut excuſandum; idque ideò admittit, quia prævidet, nil ſuæ cauſæ obfuturum, eò quòd non ſequatur adhuc illud, quod adverſarius intendit, idque facit non tantùm cùm negare non poteſt, ſed etiam tunc, quando poteſt: eo modo, quo Philoſophi permittunt tranſire falſum antecedens, aut præmiſſam, tanquam eſſet vera, & negant inferri, id poſſe, quod intenditur. Unde collige 1. per hanc figuram non tantùm admittendum adverſario, quod verum eſt, & negari non poteſt, ſed etiam quod falſum eſt, aut verè factum non eſt. Ideo Author ait: Etiam iniquum, id eſt, quod æquum non eſt, eo quòd verè non ſit factum, vel dictum, quod prætenditur. Collige ſecundò non tantùm dicta, ſed etiam facta admiſſa ſpectare, ad hanc figuram; poteſt enim utrumque admitti, hoc loco, & aſſignari alia diſtinctio inter conceſſionem, & petmiſſionem. Ideo Author non aſſeruit hanc diſtinctionem, ſed dixit eſſe aliquos, qui Conceſſionem dictorum eſſe velint, permiſſionem factorum. Sed & exempla, quæ hîc attulit, conceſſionem factorum eſſe probant, ut nihil dicam de authorite. Quintiliani. Ex iiſdem exemplis collige pertinere huc non tantùm facta vel dicta, ſed etiam facienda & dicenda, quando ſcilicet facultas datur, quæ danda non eſſet, ut in futurum aliquid fiat, vel dicatur, quæ ſi jungatur ironiæ, eſt artificioſa pro-

hi-

hibitio. v.g. tantùm convivieris, tantum reveles secretum nostrum, experieris quid sis reportaturus, tantùm frequentes lupanaria, tantùm fureris, si fueris deprehensus, non abibis impunitus. Talis est locutio illa pro Milone; excitate, excitate, & quæ sequuntur ab Authore relata, Virgil. est illa.

I nunc & verbis virtutem illude superbis.

Sine Ironia sunt sequentia. Cic. in Catilin. Perge porrò, quò cæpisti, egredere aliquando ex Urbe, patent portæ, proficiscere &c. Idem alibi: sed sit beneficiũ quod me non occideris; at tale etiam latrones præstare solent. Idẽ pro Ligario. Habes igitur Tubero (quod est accusatori maximè optandum) confitentem reum, sed tamen hoc ità confitentem se in ea parte fuisse, quâ te, Tubero, quâ virum omni laude dignum Patrem tuum. Itaque priùs de vestro delicto confiteamini necesse est, quàm Ligarii ullam culpam reprehendatis. Idẽ Pro Flacco. Hoc de toto genere Græcorum dico, tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis lepôrem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam, si quæ sumunt sibi alia, non repugno: testimoniorum fidem, & religionem nunquam ista natio coluit. Idem pro Murna. Sed hæc sanè sint paria omnia, sit par forensis opera militari, sit par militari suffragatio Urbana, sit idem magnificentissimus, & nullos unquam feciſſe ludos. quid? in ipsa prætura nihil existimas inter tuam, & istius sortem inter-

fuisse. Unde patet figuram hanc ad repetitionem argumentorum præcedentium valere, & transitionem ad nova. Item ad priùs laudandum aliquem, postea redarguendum, aut contrà.

Parenthesis est nova sermonis inter jam inceptum interjectio, quando scilicet aliquid intrà membra Orationis interponitur quod non spectat ad continuationem sermonis præcedentis, sed vel ad declarationem vel ad affectum excitandum. Virgilius.

Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum, Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis. Idem.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat.

Sic dicimus: etiam Christiani (proh malum) etiam sodales (proh pudor!) immania scelera perpetrant. Cavendum hîc, nè longa nimis Parenthesis interjiciatur: obscuritatem enim hac sensuum Confusione facit, nec Auditor meminisse potest, quæ verba præmissa sint, cum quibus sequentia sunt conjungenda. Quod si autem nihil inter cæptum sermonem interjiciatur quod syntaxin turbet. Sed fusiùs aliquid, quod interturbat cæptum argumentorum filum & contextum, vocatur *digressio* & definitur, quod sit *brevis declinatio à proposito*. Id est à causa, & statu quæstionis, quod sæpe necesse est fieri ad declarationem Argumenti, quod nisi prævium hab-

Digressio

beat notitiam aliquam, non satis intelligetur. Solet etiam solius delectationis causâ adhiberi; ut enim declinare à via jucundum est viatori, si propè viam viridis, floridus aut umbrosus sit locus; ita etiam digredi à causa, si se offerat occasio recreandi fessos Auditorum animos. Et de hac, quæ ad voluptatem & delectationem ciendam valet, locutus est Cic. cùm digressionem figuram esse dixit; qui verò figuram esse negant, & solùm partem causæ faciunt, intelligendi sunt de illa digressione, quæ tantùm servit ad declarationem causæ; hæc enim de motu nihil habet, qui potissimùm requiritur ad figuram sententiarum. Digressiones faciunt frequentes Poëtæ ex occasione unius rei connexæ cum alia, uti Seneca Tragicus in choris. Virgilius in descriptione locorum, Regionum, Personarum, fabularum, & in singulis libris Georgicorum in fine. In primo enim expatiatur in luctum funebrem interempti Cæsaris; in secundo evagatur in laudem rei Rusticæ & privatæ; in tertio excurrit in laudem Octavii Cæs. Augusti, & suam in ipsam observationem detegit, in quarto se effundit in fabulam Orphei. Solent & sacri Oratores in Concionibus ea uti, ut si agant de otio adolescentibus fugiendo, invehantur occasione arrepta in parentũ incuriam, quâ filiorum

institutionem & educationem negligunt. Oportet autem digressione factâ, aptam ponere transitionem, quâ fiat reditus ad propositum statum Quæstionis: quò plerumque serviet correctio sententiarum v.g. sed quò me dicendi rapuit impetus ad rem, unde digressi sumus, redeamus.

Ironia. *Ironia* sententiarum figurâ, est fictio totius voluntatis, id est integri & perfecti sensûs, non autem partis; & per hoc differt ab ironia, quæ est tropus; unde tropus debet esse brevior, figura potest esse longior. Sic Cic. in Pisonem. Non est integrum Cn. Pompejo jam Consilio uti tuo, erravit enim: non gustarat istam tuam Philosophiam, ter jam homo stultus triumpha vit. Crasse, pudet me tui; quid est, quod formidolosissimo bello coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à senatu? P. Servile. Q. Metelle, Cai. Curio P. Africane, cur non auditis hunc tam doctum hominem, tam eruditum, priusquam in illum errorem inducemini? ô stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos &c.

Distributio. *Distributio* est, cùm aliquid per suas partes explicatur, sive jam illud sit totum, quod vocamus genus, sive quod integrale & actuale. Differt autem hæc figura à loco, qui partiù distributio dicitur; quia locus dat *materiam*, figura *formam* quâ res amplificatur ad motum; & locus adhibetur solius probationis, seu illationis causâ (est enim argumenti sedes) figura autem etiam ornatus & amplificationis gratiâ. Unde, cùm ad Argumentum tran-

stam-

ctandum satis esset dicere, omnes te oderunt, Cic. in Pisonem, sic extulit ornatûs & amplificationis ergò. Age, odit te Senatus quod eum facias afflictorem & proditorem Ordinis, ac nominis sui; videre Equites Romani non possunt, quo ex ordine Lu. Alius te consule relegatus; plebs Rom. perditum cupit, in cujus tu infamiã, ea, quæ per latrones, & per servos de me egeras, contulisti. Italia cuncta execratur, cujus idem tu, superbissimè decreta, & preces repudiâsti. Idem in 2. Catil. hanc propositionem; *omnes tibi adhæserunt scelerati* sic auget: Quis tota Italia Veneficus, quis gladiator? quis latro? quis parricida? quis adulter? quæ mulier infamis? quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? Idem pro lege Manilia. Quod denique belli genus esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna Reip. Civile, Africanum, Trans alpinum, Hispaniense, mistum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum, varia & diversa genera bellorum & hostium, non solùm gesta ab hoc uno, sed etiam confecta. Idem in Lælio ait. omnes ad unũ idem sentiunt; & hi, qui ad Rempub. se contulerunt; & hi, qui rerum cognitione, doctrinaq; delectantur, & hi, qui suũ negotium gerunt otiosi; postremò hi, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sinè amicitia vitam esse nullam. Nota 1. distributionem fieri dupliciter, aliquando enim statim, vel paulò post, cuique parti sua ratio subjungitur, ut in primo exemplo liquet, aliquando autem non subjicitur, ut in sequentibus patet.

Permissio

Permissio est, quando Orator plenè aliquid tradit arbitrio Auditorum, id est, ut eligant, statuant, decernant, quod judicaverint, quod voluerint. *Differt à concessione*, quia Concessio admittit *factum* vel *faciendum*, *dictum* vel *dicendum*, quod negare vel excusare posset. At permissio relinquit liberum Auditoribus, *ut judicium, conclusionem & sententiam* ferant de dicto vel facto: Unde in priori admittitur aliquid iniquum, id est, crimen in dicto vel facto; in hac autem admittitur libertas judicii, & sententiæ de crimine in dicto vel facto: seu ibi admittitur Crimen, hic judicium & sententia de pœna & executione criminis. Seu ibi admittitur una præmissa, vel antecedens, tanquam esse verum, negatur tamen Conclusio, hic autem admittitur ipsa Conclusio libera adversariis, ut patet in Exemplis, quæ affert Author.

Differt à Communione, quia in Communicatione exquirimus Consilium, quid adversarii facturi fuissent in re simili, quæ jam est præterita; hîc autem de re futura quæritur, neque exquiritur *Consilium*, sed *judicium* & sententia legitimè inferenda. Fit autem hæc judicii, & conclusionis libertas Auditoribus, quoties supponitur, quod non sint aliud concluſuri, aut judicaturi, vel electuri, quàm concluderet Orator, ideo dicitur ab Authore, quoties alicui rei vehementer confidimus v.g. postquã ostendisti per ardua iri ad cœlũ, per mollia ad infernũ, sub-

subjicere potest, nunc eligite quod placuerit. Item si patuerit quod per studium, honores, & opes quis adipiscatur; per otium, dedecus, & paupertatem subdem: nunc sectemini, quod arriserit. Hujus loci est, si dicas: dum hostis Petrum aggressus est, ut tueri vitam non posset suam, nisi vim vi repellendo. Quid aliud ei fuerat agendum vos ipsi judicate, en hic non petitur Consilium, uti in Communicat: sed judicium de ipso facto relinquitur aliis. Sic & in hoc: qui inscius hominem trajecit, feram existimans, an pœna mortis afficiendus sit vos ipsi ponderate, & statuite. Hac figurâ usus est Divus Petrus in Actis Apostolorum, sitne magis obtemperandum hominibus, quàm DEO ipsi judicate.

Deprecatio, obsecratio, seu obtestatio est, cùm opem alicujus expetimus, & invocamus, quod fieri potest vel simpliciter, vel inter positis iis, quæ novimus esse in pretio, aut amore apud eos, quos imploramus, ut sic an nos, facilius, aut fortius inclinemus ad id, quod petimus v.g. per DEUM te oro, per quinque vulnera Christi, per salutem tuam. Sic Ecclesia Orationes suas concludit ad DEUM. Per Dominum nostrum JESUM Christum. Et in Litaniis orat. Per incarnationem, Nativitatem, Dulcissimum nomen JESU. &c. S. Paulus obsecro vos, inquit per misericordiam DEI. Sic alii per Majestatem, Sceptrum, Diadema, per amicitiam, amorem, quo te, tuosque diligis. Per agnatam clementiam &c. Virgil. 6. Æneid. Deprecatio.

Quod te per cæli jucundum lumen,& auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Julii,
Eripe me his invicte malis.

Eadem invocatio est usitata Poëtis initio Poëmatis v. g. Musa mihi causas memora &c. Oratores adhibent in vehementi affectu,ac maximè in Peroratione , uti Cicero pro Milone,Muræna &c. quem require , & Palatium Eloquen, fol. 526.

Optatio. *Optatio* est,quâ alicui,sive nobis, sive aliis bonum vovemus & precamur. Dii faxint ! inquit Cicero, ut meus collega vix fortissimus , hoc Catilinæ nefarium latrocinium, armatus opprimat.Et pro lege Manilia: utinam virorum fortium tantam copiam haberemus &c. Virgilius

Vivite felices , quibus est fortuna peracta
Jam sua,

S.Chrysologus ad arborem,cujus fructum comederunt parentes nostri, sic loquitur: O si tunc vel levis turbo mortiferam arborem dejecisset ! O si nebulæ fumus illius mulieris tenebrâsset aspectum! O si terræ nubes lethalis pomi speciem caligâsset ! O si manus tangens inconcessa,tremuisset ! O si peccati diem tenebrâsset nox injusta &c.

Execratio *Execratio* est optati oni contraria , quippe malum alicui imprecamur, Sic Dido apud Virgilium.

Sed

Sed mihi, vel tellus, optem ! priùs ima dehiscat !
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam !
Antè pudor, quàm te violem, aut tua jura resolvam.

Cic. in Antonium. Quin tu abis in malam pestem. Terentius dispeream ! si quid studio mihi jucundius. Epiphonema.

Epiphonema est dictum sententiosum narrationem factam concludens, aut etiam Argumentum fusiùs deductum. Virgil. 4. Georg. postquam apum industriam in conficiendo melle descripsisset sic finit.

Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Idem Georg. 2. adeo à teneris assuescere multum est. Similes clausulas invenire est in Seneca Tragico, præsertim in choris, fiunt autem sic: expendatur, quid ex dictis, aut probatis, aut narratis inferri possit per modum consequentiæ, tum omissâ formâ illationis, seu particulâ, *ergo*, *igitur* &c. ponatur absolutè, aut per figuram Exclamationis, interrogationis: sic Satyricus. O curvæ in terras animæ cælestium inanes ! vide plura in Palat. Eloqu. fol. 57 §.

Excla-

Exclamatio.

Exclamatio est, quando vehementi affectu commoti erumpimus in exclamationes v.g. admirationem, indignationem, detestationem, dolorem, gaudium &c. v.g. David. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terrra. Christus in Cruce: DEUS Deus meus, ut quid dereliquisti me.

Poëta.

O cives! cives! quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos.

Cic. pro Cælio: proh dii immortales! cur interdum pro hominum sceleribus maximis connivetis? atque præsentis fraudis pœnas in diem reservatis? Atque hæc sunt Orationis ornamenta ab Authore posita aliis relictis, tum quòd de his Communis Authorum sit sensus, tum quòd alia minutiora, hæc præcipua, tum quòd pleraque ad hæc referri possint. v.g. Admiratio ad interrogationem; exclamationem adjuratio v.g. Testor Deum: ad Apostrophen, aut exclamationem &c. Pœnitentia ad correctionem &c. &c.

Appendix de usu figurarum prædictarum.

Interrogatio præter ea, quæ annotavit Cyprianus, valet ad varietatem, & vigorem Orationis; aculeos enim subjicit Auditori, nec sinit

sinit languescere. *Responsio* ad exprimendos valet affectus odii, indignationis, & ad rem exaggerandam. *Subjectio* conducit ad perspicuitatem: docilitatem, vehementiam, ad exprimendos item affectus indignationis, odii &c. *Anteoccupatio*, ad solidè confirmandum valet. *Correctio* apta est ad amplificandum, ad res exaggerandas, vel minuendas, ad mordaciter perstringendum, ad transitiones; pulchrè tractatur per Ironiam.

Dubitationis usus occurrit in Exordiis Orationum, & Epistolarum generis demonstrativi, & deliberativi, dum scilicet ob rerum multitudinem, vel unius facti magnitudinem dolore, vel gaudio affecti hæremus, quid potissimùm laudare aut vituperare, aut quomodo aggredi debeamus. Pulchrè admiscetur Interrogationi, & exclamationi. *Communicatio* valet ad urgendum, & objurgandum, ad confessionis veritatem exprimendam; interdum etiam ad judicem invitandum, ad benevolentiam, vel misericordiam, si nos omnem fiduciam in ipsius æquitate collocatam habere dixerimus. *Prosopopœja* ad vehementes affectus exprimendos, & acriter commovendos animos. *Apostrophe* servit variis animi affectibus, lætitiæ, indignationis, commiserationis, invocationis &c. Utendum hac figura, cùm fervet Oratio, tum enim plurimùm valet ad con-

concitandos affectus. *Hypotypoſis* plurimùm valet ad delectandum, docendum, illuſtrandum, ornandum, amplificandum, flectendum. *Ethopœja* eſt morum initiorum & affectuum repræſentato, valet ad exaggerandum in laudem, vel vituperium, ad affectum amoris, vel deteſtationis. *Emphaſis* ad exprimendam rem aliquam magnam, aut magnum dolorem, iram &c. *Suſtentatio* valet ad res exaggerandas, augendo, vel minuendo, ad affectus doloris, indignationis, gaudii &c. concitandos ex inopinato eventu. *Prætermiſſione* utimur cùm res ſint multæ, ſed parvi momenti, vel odioſæ, vel turpes, vel ſatis notæ. *Licentia* valet ad oſtendendum veritatis amorem, ad arguendum ſine offenſione. *Conceſſio* ad ſtendendam fiduciam cauſæ, interdum eſt artificioſa quædam prohibitio, cùm Ironiæ jungitur. *Parentheſis* ad declarandum valet id, quod dicitur. *Ironia* venuſtat orationem, recreat Auditorem, valet ad contemptum rei alicujus exprimendum. *Diſtributio* valet ad ornandam orationem, & res declarandas. *Permiſſio* valet ad oſtendendam rei alicujus magnitudinem, aut veritatem, aut fiduciam cauſæ ſuæ. *Deprecatio* ad dolores, timores, alioſq; affectus exprimendos. *Optatio* ad exprimendum rei alicujus magnum deſiderium. *Execratio* ad indignationem & iram. *Epiphonema* ad declarandam rei magnitudinem, ad laudandum, ad affe-

affectus excitandos. Ejus potissimùm usus est in Conclusionibus rationum, & ratiocinationum, & in Epilogis. Exclamatio ad quid serviat invenies in Cypriano.

Per pleraſque harum figurarum, eandem sententiam, seu propositionem variari posse ostendit P. Juglaris in Ariadna, observatione 27. ubi tamen pro anteoccupatione, accipi Correctionem, & concessionem, ac permissionem, intellige conformiter ad dicta. Simile exemplum invenire est in P. Masen. Palæstra Styli lib. 2. cap. 5. & in Oratoria, ad quorum imitatiouem similia effingi possunt.

CAPUT XXXI.

De Collocatione.

Sicut figuræ ad ciendos affectus varios serviunt, ità collocatio ad aurium lenocinium, & gratiam: aures enim, ut annotavit Cicero, vel animus potiùs, aurium internuncio, naturalem quandam in se continet vocum omnium dimensionem: unde sicut musicum concentum, artis licèt imperitus, dijudicat, approbat, improbat, ità & cursum Orationis, plenusne sit, ac planus? an hiulcus, durus, asper? continuus? an abruptus? suavis? an acerbus? verbo, aptene an ineptè cadat

cadat ad aures. Quæ si offendantur asperitate vocum aliquâ, non potest tam grata ipsi animo influere, tropis licèt & figuris instructa oratio, nec proinde gratiam obtinebit flectendi ac persuadendi. Ut igitur visui servitur, dum pro munere offertur res aliqua, ut scilicet non ipsa solùm, sit gratiosa, sed & id, in quo offertur, ità necesse est, ut etiam serviatur auditui, ut gratum quoque accidat id, quod in verborum involucrò præsentatur. Hoc autem rectâ verborum collocatione, ac structura perficitur, in qua quidem primùm observandus est *verborum ordo*, nè quod priùs erat ponendum, collocetur posterius, tum *junctura*, ut non solùm asper, ac durus vocum concursus evitetur, sed etiam

suavis, & concinnus efficiatur,
placido verborum flu-
mine.

* *
*

CA

CAPUT XXXII.

De Ordine.

Ac ordinem quidem quod attinet, id necesse est præponere, quod naturâ suâ, vel dignitate est prius. Naturâ est prius sol, quàm dies, manè, quàm vesper; nasci quàm mori, infantia, quàm adolescentia; ingredi, quàm egredi. Malus igitur est ordo in illo Poëtæ: postquàm altos tetigit fluctus, & ad æquora venit: priùs enim est ad mare venire, quàm tangere fluctus. Dignitate præstant, ac priora sunt Pontifex, Cardinali, aut Episcopo, Episcopus Sacerdote. Cæsar Rege, Rex Principe, Princeps Comite, Eques Nobili, Nobilis Cive. Consul Senatore, Senator Cive, unde & in titulis Diplomatum, Privilegiorum, testimoniorum, ea quæ majoris sunt dignitatis præponuntur v. g. nos N. Romanorum Imperator, Ungariæ & Boëmiæ Rex. Dux. &c. Nos Consul & Senatores &c. Quæ omnia accuratè observanda, ne ordinis perversione offendantur animi. Accidit hîc etiam sæpe, ut id, quod sequitur, fiat superfluum & vitiosum, si in priori jam contineatur, aut supponatur: ut si dicas, sunt gemini fratres, ex hoc ipso enim, quod sint gemini, intelligitur, quod sint fratres: Si autem dixeris, fratres gemini, nihil redundat, Livius tamen sic dixit: gemini fratres & ter-gemini fratres,

Hoc vitio loborat illud Terentii ; valet & vivit, si enim valet, supponitur quòd vivat, Sicut si dedit pecuniam, supponitur habuisse : & qui defunctus est, vixisse, & qui surrexit, jacuisse ; perversa igitur verborum Series est, dedit pecuniam, & habuit ; Surrexit, & jacuit. Hic præterea attendendum, an augere, vel minuere rem velimus per incrementum verborum. Si enim augere, seu plus & plus dicere, non debet fortiori subjungi aliquid infirmius, id est, id quod sequitur, non debet minus aliquid significare, eo, quod præmissum est, sed majorem in significando vim habere oportet v. g. facinus est vincire civem Roman. scelus verberare, parricidium necare, quid dico in crucem tollere ? Cicero pro Milone : neque verò se populo solùm, sed etiam Senatui commisit, neque Senatui modò, sed etiam publicis præsidiis, & armis, neque iis tantùm, sed etiam ejus potestati, cui Senatus totam Rempub. commisit. Quòd si minuere velimus, invertendus est verborum ordo. Ut quæ plus significant præmittantur, & minora ac minora semper subjiciantur v. g. Præceptorem is agat, qui sine barbarismi, & solæcismi labe, constructionem formare nescit ? qui nec loqui, nec os aperire potest ? qui vix, ac ne quidem vix latinè legere ? item, non aureum, non Rhenensem, non dimidium, non obulum possidet. Universum hic attendendum, ut sic verba ponantur, quo auditor, aut lector, plus &

plus

plùs audiendo, vel legendo, semper proficiat in sensu suo, minus vel majus semper judicium formando, teneaturque sciendi avidus, dum ad finem decurrat Oratio: cujus sensus & sententia, quia pendet à verbo personali, hinc optimum judicatur verbo sensum claudere, si compositio patiatur: non patitur autem, si cadentia verbi, quoad præsentem materiam, & affectum, sit inepta: si duriorem cursum aut finem efficiat. Quare junctura etiam habenda ratio de qua jam.

CAPUT XXXIII.

De Junctura.

Junctura duo præstare debet: 1. asperitatem verborum quoad sonum tollere. 2. Inducere, gratum auribus verborum fluxum, & cursum. Per primum efficit, ut aures non offendantur soni duritie aut hinlcitate; per secundum verò, ut etiam demulceantur vocum gratiâ: unde fit, ut in verbis, non solùm sit nihil, quod displiceat, sed etiam adsit, quod placeat. Quare per junctura devitanda ea, quæ offensam, & accersenda quæ voluptatem in auribus primùm, tum animis creant Auditorum: nam ut Quintil. ait l. 9. c. 4. nihil intrare potest in affectum, quod in aure, velut in quodam vestibulo offendit.

Creant verò offensam verba aspera, & hiulca; voluptatem, numerus oratorius; modulationem enim certa illa syllabarum dimensio inducit; non absimilem illi, quæ est in musica, & carmine. Sed de numero postea, nunc de verbis asperis & hiulcis. *Asperum concursum* faciunt consonantes quædam asperiores, si conjunctæ sint. Reddunt enim Orationem pronunciatu difficilem, & sono ingratam. Cujusmodi sunt S. & X. ut exercitus Xerxis. Item S. in fine præcedentis, & principio sequentis positum. Ut ars studiorum; quod etiam habet X. ut Rex Xerxes. Pindarus litteram S. vocat adulteram, nec verè litteram esse censet, quam ob causam totas odas sine ea conscripsit, ut testis Demetrius Phalareus: veteres verò Poëtæ eander elidebant. Certè serpentinum quid habet, sibilat enim sicut serpens. Ut Sosia in solario soleas suebat suas. Etiam R. caninum quid refert Persio. Utraque tamen suo loco posita gratiam invenire potest. Si materiæ aut affectui congruat. Ut si ventorum rabiem, & sibilum exprimere sit opus, rectè cum Virgilio pones Æneid. 1.

Totumque à sedibus imis,
Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus --- furit æstus arenis
Et Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.

Ejusdem est 1. Georg. --- crepitans salit horrida Grando.

Hiul-

Hiulcam & vastius diductam orationem efficit vocalium certarum concursio v. g. Phillida amo ante alias. Maximè si sint ejusdem generis ; dura enim fit collisio non sine hiatu oris & orationis, ut : Herculea arma allata sunt Æneæ. Si tamen ipsa rei magnitudo, vel deformitas, aut affectus exigat, potest fieri cum gratia hæc collisio. v.g. Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra, Heu me miserum. Tellus, quæ me æquora possunt accipere! quæ etiam causa est, quod Poëtæ de industria elisionem faciant. Ut in illo : Monstrum horrendum, informe, ingens. Et: à nimium cœlo, & pelago confise sereno. Nec Poëtis hæc usitata solùm, sed & Oratoribus ut Platoni, Demostheni , Ciceroni; tum quòd rem ipsam faciant ampliorem , tum quòd indicium sit non ingratæ negligentiæ , de re magis, quàm verbis laborantis. *Dissonam* etiam, atque auditu ingratam Orationem faciunt 1. Si verba in syllabam desinant à qua sequens verbum incipit , ut. O fortunatam natam me Consule Romam : Casus Casandra canebat. Discolor unde auri , per ramos aura refulsit. Magnis de rebus inter se cernere certant. Cæca caligo, dissitus situs. Eodem vitio laborant verba ab iisdem ferè syllabis incipientia , aut similiter cadentia, aut desinentia v.g.

Et sola, insicca secum spatiatur arena.

Pérfer perpetienda parit patientia palmam.

Plorantes, lacrymantes, flentes: ad mala patrata sunt atra theatra parata. Nimia enim ejusdem figuræ repetitio satietatem, satietas tædium parit. Quod etiam facit ejusdem verbi assiduitas. Ut quisquam quidquam cuiquam probet.

Secundò, Monosyllaba plura juxta se posita; ut in hac re me nil juvat. Huc revocantur etiam voces, quæ quidem plurium Syllabarum sunt, sed spectata quantitate Brevium, cùm enim duæ breves uni monosyllabo longo æquivaleant tempore, & quantitate, idem facient quod monosyllabum v. g. stat sua cuique dies brevis irrevocabile tempus. Habent tamen & hæc gratiam, si res cita, aut citò facta exprimatut. Tunc enim verba rem ad vivum exprimunt. v. g.

At tuba terribilem sonitum dedit ore canoro.

Volat fulminis ocyon alis.

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Sicut contrà cum gravitas, tarditas, aut magnitudo rei est exprimenda, optimè affectantur longa, & polysyllaba vocabula v. g.

Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

O Fortunatæ gentes Saturnia Regna.

Cæte-

Cæterùm optimè miſcentur monoſyllaba polyſyllabis & longæ brevibus. Sic Cicer. initium pro Muræna. Quod precatus ſum à Diis immortalibus &c. Monoſyllaba cum polyſyllabis attemperat. Et Virgilius de Scylla & Charybdi canens breves longis permiſcet.

Sorbet in abraptum fluctus, rurſusque ſub auras
Erigit alternos; & ſidera verberat undis.

Servit hic plurimum Hyperbaton; ejus enim beneficio trajici voces, è loco, quo concurſum durum faciunt, poſſunt eum in locum, ubi durus non erit. Sic Cicero. Hoc aditu laudis non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes prohibuerunt: pro me mea voluntas. Sed nè quis in hoc nimis ſit anxius, rectè monet Author, non requiri diligentiam operoſam: quò minus ars appareat, ſubrepere poteſt aliqua nonnunquam negligentia: Qui verò lectioni Tullianæ addiderit animum, facilè cum Stylo facilitatem hauriet, ut ipſo in orationis curſu advertere queat, quid durum pronuntiatu, & ingratum auditu accidere poſſit.

* *
*

CAPUT XXXIV.

De modo & forma verborum.

Juncturam non solùm carere oportet verborum asperitate & hiulcitate, sed etiam nimia constructionis extensione: mensura enim & modus teneri debet, ut in longitudine sensus, & sententiæ modum, & limites oratorios non excedat verborum structura. Quidam nimis curti, & breves sunt, abruptis, & incisis sententiolis, sua sensa explicant; aliorum è diverso oratio fertur in immensum, & in infinitum fluminis instar, quod ab origine progressum manare non cessat, donec mare contingat. Ita sensum & sententiam trahunt hi eo usque, dum rem totam, quam explicandam sumpserunt, absolvant oratione, nunquam interrupto cursu loquendi, nulla audienti data quiete. Fatigant igitur non solùm se ipsos, quando sine respiratione pronunciandum est perpetuo; sed etiam Auditoris animum & aures; animum quidem, quia non statim percipit plenè, quid dicatur, sed expectare necesse habet, usque dum ille sensum sententiamque perficiat, quam in immensum extendit funem; aures autem quia diutinâ, nec unquam interruptâ audiendi quiete langueſcunt, ac vociferatione obtunduntur: contingit enim illis, quod in molendino existentibus, qui molesto rotarum fragore, ac strepitu propè obsur-

surdescunt. Et verò currit hîc istorum lingua, ut rota molaris, quamdiu materies loquacitatis affluit. Sed hoc imperitorum leguleiorum est: Orator verò id, quod dicit non materia, neque dicendi spiritu, determinat, sed arte verbis modum ponit; finem & terminum, cancellis quibusdam verba concludit, argumenta sua ceu milites in manipulos cogit, verborum flores offert non diffusos, sed collectos in fasciculo. Hic modus verborum *forma* dicitur, quippe verba ad formam certam rediguntur, ne sine fine evagentur libera & dissoluta ad eum ferè modum, quo argumenta in certam Argumentationis formam coguntur, ut vim, roburque suum meliùs exerant. Sicut autem non utitur diffusa in immensum oratione, ita nec argutis, arctis, ac decurtatis sententiis semper loquitur orator; sed cum modo ac moderatè prout res exigit, nunc breviter ac per incisa, nunc longiùs per membra & periodos attemperat omnia: incisa enim, membra, & periodi, sicut nimiæ prolixitati, ita & continuæ brevitati modum ponunt; cæsim enim & membratim dicta brevitati, periodicè, & circumscriptè effusa, longitudini congruæ deserviunt. Attemperatum ac promiscuum horum usum quia plurimi non observârunt, indè tanta stylorum diversitas, ut iste cum Seneca ac Petrarcha sit concisus, & argutus; ille, cum Livio diffusus, ut Salustius à Cæsare, ab utroque Tacitus, ab omnibus Plinius

secundus hic ab ipso Cicerone sit diversus, & dissimilis. De qua diversitate vide Palæstram Styli P. Masen. lib. 2. à capite 6. usque ad 25. Orator verò cum Cic. Sic illigat sententiam verbis, ut nihil inane, nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil in oratione sit redundans.

De nomine Oratorio.

Hoc *Oratorio fit numero.* Advertendum autem, quod hic numerus incisis membris & periodis adstrictus, non solùm hoc habeat, quod brevitatem cum longitudine sermonis attemperet; sed etiam quod aptam ad aurium judicium, concinnam & suavem, ad earundem oblectationem efficiat orationem. Sicut enim metrum seu carmen certam habet syllabarum dimensionem & quantitatem, ita & incisa membra, & periodi suam habent, nam etiam pedibus suis incedit Oratio, licèt non ita determinatis aut certis; Unde sicut carmen modulationem quandam facit, ad aurium illicium, & voluptatem, ita non minùs Oratio. Duo igitur numerus oratorius (in quo modus & forma verborum consistit) præstat, congruam longitudinem & brevitatem, per incisa membra, & periodos, quæ orationem, velut limitibus coêrcent, ne in immensum sine fine fluat oratio, sed ut detur intervallum & spatium respirandi, tum loquenti, tum audienti. Deinde suavitatem seu concinnitatem ad aurium lenocinium, in quantum videlicet incisa illa membra, atque periodi suis pedibus colligata concinnè, & blandè cadunt ad aurium judicium.

CA-

CAPUT XXXV.

De Origine Orationis numerosæ.

Hujus numeri inventor fuisse dicitur Trasymachus, qui tamen in eo reprehenditur cum Gorgia, quod nimiùs fuerit in ejus usu: nec enim tota, ex numeris constare debet, nihil ut fiat extra modum, verba sunt Tulli (id est, ut nullum verbum sit, quod non sit ad numeros accommodatum) nam id quidem esset Poëma. Sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans; sed æqualiter, constanterque ingrediens, *numerosa* habetur *Oratio*: atq; id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat è numeris, sed quod ad numeros proximè accedit. Ita Cic. in Orat. Perf. Causam idem reddit; sic minimè, inquit: advertetur delectationis aucupium, & quadrandæ orationis industria: si enim advertantur hæc duo, tollitur actioni affectus, & suspectam habet oratoris fidem, dum se ex insidiis circumveniri putat Auditor. Aliud est cum carmine, quod non ad faciendam fidem, sed ad voluptatem est compositum. Hinc Aristoteles aeerrimus judicio sophus, versum in oratione vetat esse; numerum jubet. Causa verò quod Oratores pedibus quoque Orationem instruere cæperint, erat voluptas aurium, ut suavius ad aures illapsa oratio, gratiùs in animum penetraret.

CA-

CAPUT XXXVI.

Cur numerosa oratio inventa?

Habent enim aures inditum quoddam à natura ipsa judicium, ut de quantitate toni, & soni in verbis & cantu Musico discernant, quid aptè, quid ineptè consarcinatum sit, Itaque dissona sentit, mutila notat, sibique deesse aliquid ad plenam aut aptam clausulam advertit. Si verò quid concinnè depromptum esse, aut rectè, aptèque cecidisse inaudit, recreatur & approbat. Me stante, verba sunt Tullii l. cit. Cajus Carbo Tribunus plebis in Concione dixit his verbis ô Marce Druse, Patrem appello, tu dicere solebas, sacram esse Rempub. quicumque eam violavissent, ab omnibus esse eis pœnas persolutas. Deinde Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit. Hoc dichoræo (comprobavit) tantus clamor Concionis (licèt imperitæ) excitatus est, ut admirabile esset. Quæro, inquit Cicero, nonne id numerus effecerit? verborum ordinem muta, fac sic, comprobavit filii temeritas, jam nihil erit, etsi temeritas totidem habeat syllabas, animo istuc satis est (quocunque loco verba ponantur) auribus non est satis, ita Cicero, quem aliis exemplis ostendisse, quanti momenti sit aptè dicere, invenies in Cypriano cap. 50. itaque ut Poëtæ, quò pla-

placerent auribus, certâ pedum dimensione constrinxerunt orationem, sic & Oratores, multò tamen serius, neque ita certis ac determinatis pedibus, ne affectatio fastidium pareret, & delectationis aucupium tolleret fidem, & affectum, prout dictum est; sed & de pedibus dicetur postea, ubi primùm de incisis, membris, & periodis explanatum fuerit.

CAPUT XXXVII.

De incisis membris & periodis.

Doctrinam atque praxim de incisis, membris, & periodis, tam utilem Tironi eloquentiæ censuit P. Sigis. Lauxmin. in sua praxi Orororia, ut in hac primùm exercendum Tyronem existimârit, ac basim fundamentumque eloquentiæ in ea collocârit, sed bonâ tanti viri veniâ, ego in tropis, & figuris priùs exercendum putarem, ut aliquam quamcumque propositionem dilatandi priùs habeat facilitatem; qui enim sermonem in membra secabit, in periodos quadrabit, si extendere eundem nesciat, formam scilicet volet inducere, cùm materiam non habeat: & erit ea deductio destituta ornatu, vitâ & vigore, si tropis, & figuris destituatur, quarum usum supponitur non habere. Utiliùs igitur operam in troporum, & figurarum ex-

exercitio collocabit, tum verò ad incisa, membra, & periodos adstringendus erit, ut dilatatio illa thematis, brevitate, & amplitudine debitâ coërceatur, ac conformetur, pedumque concentu decoro cadat ad aurium illecebras. Potest id fieri primùm dissolutâ, ac dissipatâ aliqua Ciceronis periodo, quam insciis mutationis, jubeantur concinnare ad numeros; demum quo pacto à Cicerone expressa sit prælegatur. Aliàs verò distortum alicujus Authoris fragmentum accipi potest, quod ad numerorum leges formetur, & patebit mox quantum intersit inter fluxum Authoris, & Oratoris, verbis tamen iisdem ferme retentis. Hic videri potest in Cypriano C. 50. & fieri reflexio, quid fractum sit metrum respectu compositi. Demum & ex se formare exempla poterunt, eandem sententiam, jam incisim, jam membratim, jam periodicè offerendo. Verùm priùs horum doctrina atque differentia rectè inculcanda est, ne velut in tenebris sine lumine operari compellantur. Quare quid incisum sit, quid membrum, quid periodus; quid incisim, quid membratim dicere, quid periodicè, explicandum erit.

Incisum ex Quintiliano definitur, quòd sit *sensus non expleto numero conclusus*, id est, est sententia, constructio, seu structura verborum, quæ *pronuntiatione dispescitur*, interpolatur, & *interrumpitur*. Author ad He-

Herennium sic definit. Articulus (qui idem est quod incisum) dicitur, cùm singula verba intervallis distinguuntur cæsâ oratione, hoc modo: acrimoniâ, voce, vultu adversarios perterruisti. Item; inimicos invidiâ, injuriis, potentiâ perterruisti. Hic cæditur & dissecatur inter dicendum oratio, ita ut singula propè post verba spatium, & intervallum interponatur. Interciſum igitur dicitur, quod incidat continuam pronuntiationem. *Membrum* autem à Quintiliano definitur, quòd sit *sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens*, id est, est constructio, seu structura verborum, quæ habet completum numerum, sed non habet completum, & perfectum sensum; hic enim absolvitur tùm primùm, cùm periodus finitur. Sic: ô callidos homines? perfectum est inquit author; at remotam à cæteris vim non habet, ut per se manus, pes, &c. Author ad Herennium sic definit: Membrum orationis appellatur, res breviter absoluta, sine totius sententiæ (id est perfecti sensûs) demonstratione, quæ denuo alio membro excipitur, hoc modo: Et inimico proderas: id est unum quod appellatur membrum, deinde hoc excipiatur ab altero: Et amicum lædebas. His ita positis facilis est distinctio inter membrum inciſum; utrumque habet imperfectum sensum, sed membrum habet numerum completum, & perfectum, quem inciſum non habet: *Inciſum* enim dicitur sensus *non ex-*

pleto

pleto numero concluſus; *Membrum* autem ſenſus *numeris concluſus.* Verùm in hoc difficultas eſt, *quid ſit* eſſe *numerum completum*, quid *incompletum.* Neoterici, ut P. Maſen. in Palæſtra orator. l. 1. cap. 34. §. 2. P. Lauxmin in praxi oratoria cap. 1. quæſt. 1. & 2. ut alios præteream, in hoc diſtinguunt, quod inciſum admittat numerum ſyllabarum ſolùm octo, novem, decem; Membrum autem ultra decem, & excurrere poteſt ad octodecim, ad viginti. Unde inciſum hemiſtichio ſimile faciunt, Membrum autem hexametro. Sed oppoſitum habetur ex Quintiliano, cujus definitionem refert author, & ex Cicerone, cujus exemplum etiam ponit author, & Quintilianus. Hic quidem dicit, ſe per numerum intelligere *æquam* & juſtam è *pedibus concluſionem*, ſeu pedum *dimenſionem*; non igitur illud in definitione: *non expleto numero* intelligi poteſt de numero ſyllabarum, ſed de juſta quantitate ſyllabarum accipi debet. Cicero autem exemplum Inciſi, & Membri poſuit, in quorum uno tot ſyllabæ ſunt, quot in altero: nam exemplum Inciſi eſt: domus tibi deerat? at habebas; pecunias ſuperabat, at egebas. Hæc inciſè dicta ſunt quatuor inquit Cicero: at membratim, quæ ſequuntur: ô callidos homines! ô rem excogitatam! ô ingenia metuenda! ita ille. En, ut in primo, & tertio inciſo, tot ſunt ſyllabæ, quot in primo & ſecundo membro, ſicut & in illo: Teſtes dare volumus, quod Cicero dicit eſſe membrum

brum. Non igitur per numerum intellexit numerum syllabarum *arithmeticum*, sed ut patet ex Quintiliano proximè allato, *oratòrium*, qui in quantitate seu dimensione pedum consistit. Et verò de hoc potissimùm ab hoc capite usque ad 50. tractatur ab authore, & hoc sensu de numero & numerosa oratione agit Cicero in oratore perfecto, ut vel ex principio patet dum ait: neque numerosa esse ut poëma, neque extra numerum, ut sermo vulgi est, debet oratio. Itaq; Incisum erit sensus, qui non habet expletum numerum oratoriũ, membrum erit sensus, qui habet expletũ numerum oratorium. Verùm quo pacto discerni poterit, an sensus habeat numerum *oratoriũ completum* an *incompletum*? Dicam quod mihi occurrit, aliis meliora excogitandi locum aperiens. Numerus oratorius (de hoc enim hic agunt Oratores, non Arithmetico syllabarum) cùm injusta pedum conclusione consistat, ex dictis, tunc erit completus, quando verborum dimensorum quantitate aurium judicium aptus erit complere: incompletus autem erit, quando aptus non videtur ad aurium judicium implendum. Habent enim aures animo judice vocum omnium dimensionem, cùm discernant quid graviter, leviter quid aptè, quid ineptè, cadat, ut patet in concentu musico, quem etiam ignari artis dijudicant dignoscuntque è cessatione abrupta, vel debitè remissa, num plura expectanda sint, necnè. Porrò judicium aurium expletur, quando pronunciatio sermonis interrupti de-

debitè & congruè cadit in ceſſatione; quod exinde fit, quia vox in altum pronunciatione ſententiæ elata. in terminatione illius deprimitur, & demittitur *ſaltem aliqualiter*, quâ cadentiâ, ſeu clauſula aures conquieſcunt, quando verò pronunciatio terminatur voce in alto pendente, animadvertunt plura ſibi expectanda eſſe, ideoque ſuſpenduntur, & ipſæ, deſiderio pronunciationis, eodem tono poſt interruptionem continuandæ. Declarari id poteſt per abruptos in numeris muſicis ſonos, & concentus: item in verſu hexametri cæſura: & toto carmine. Ego id in exemplo ab authore relato exponam. Domus tibi deerat? at habebas, pecunia ſuperabat? at egebas. Ubi poſt inciſa ſingula pronunciatio, & vox in alto abrumpitur, & expectationem aurium ad ulteriora provocat. Idipſum patet in illo: inimicos invidiâ, injuriis, potentiâ, perfidiâ ſuſtuliſti: ubi poſt ſingulorum verborum in pronuntiando diſcontinuationem; vox non cadit, ſed in alto ſuſpenſa detinetur, eodem tono poſtea reſumēda. At in illo ô callidos homines! ô ingenia metuenda! vox in fine deprimitur, & remittitur, ideoq *vi pronuntiationis* non provocat ad audienda plura, ſed aurium expectationem explet, & quieſcere facit ſaltē *aliquo modo*. Dico: *aliquomodo* & *aliqualiter*, quia cùm enuntiato membro non fiat clauſula, & cadentia finalis, qualis fit abſoluta periodo, aurium expectatio perfectè, & omnimodè expleta non eſt, ſed adhuc ſuſpenditur: pendente enim adhuc ſenſu, non poteſt

test finalis terminatio pronuntiationis habere locum. Hæc ubi olim commentatus fuissem Rhetoricæ præceptiones exponens; sacris postea dictionibus applicitus incidi in Augustinum, ingeniorum illud portentum, cui utpote Rhetoricæ quoque magno Magistro fidem adhibendam esse non dubitavi. Sic autem ille l. 4. de doctr. Christ. c. 7. dum Pauli locum Rom. 5. v 3. ad Rhetoricæ leges expendens, ubi gradationem esse dixisset, ait: agnoscitur & aliud decus; quoniam *post aliqua pronuntiationis voce singula finita*, quæ nostri *membra*, & *cæsa*, Græci cola, & commata vocant, sequitur ambitus, sive circumitus, quam periodum illi appellant, cujus *membra suspenduntur voce dicentis*, donec ultima finiantur. Nam eorum, quæ præcedunt circuitum, *membrum* illud est *primum*, quoniam tribulatio patientiam operatur: *secundum*, patientia autem probationem: *tertium*, probatio verò spem. Deinde subjungitur ipse circuitus, qui tribus peragitur membris, quorum primum est: spes autem non confundit: secundum, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: tertium; per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hactenus Augustinus, qui mox aliud exemplum subjicit ex Paulo 2. Cor. 11. & secundùm præsentē doctrinam ponderat. Ex his patet etiam Augustinum sensisse, quod *membra suspendantur voce dicentis*, donec ultima finiantur, id est, donec sensus perficiatur; deest enim pronuntiationi finalis cadentia, usque dum sensus compleatur. Neque tamen

negavit aliquo modo deprimi, & remitti: inter pronuntiandum vocem, dum membra terminantur. Unde ut dicta breviter concludamus: Incisum non habet expletum numerum, quia dum enunciatur nullo modo explet aurium judicium & expectationem, sed potiùs provocat ad ulteriora excipienda vi pronuntiationis, quam exigit. Membrum licèt aliqualiter suspendat propter defectum absoluti sensûs, aliqualiter tamen complet *vi pronuntiationis*, eò quòd non interrumpat vocem in alto pendentem, sed aliquatenus remittat, licet *non cum finali cadentia* & clausula. Periodus autem perfectè complet, & aurium expectationem & animi, eò quòd non tantùm sensus sit absolutus, sed & vocis terminatio in fine formari solitæ. *Definitur* autem *periodus* in authore sic: cùm ab initio ad finem usque quasi in orbem, inclusa fertur oratio, donec consistat in singulis, perfectis, absolutisque sententiis: id est quæ fertur per *membra sibi invicem colligata*, & à se invicem dependentia, usque dum perficiatur, & absolvatur sensus. Aliter vocatur ambitus, circuitus, comprehensio, continuatio, circumscriptio. Requiruntur autem ad periodum membrà minimùm duo, ità enim Cicero in Oratore perfecto: postquàm dixisset, diximus, testes dare volumus, *extrema* inquit, *sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, quâ non potest esse brevior*. Cui conformiter August. loquit. minùs enim ait ille, quàm duo membra circuitus habere non possunt, plura verò possunt, sic ille. Et verò si unum membrum sufficit

cit ad periodum, erit idem membratim,& periodicè dicere, cùm hæc tamen sint distinguenda, ità, ut aliud sit *loqui per membra*, aliud *membratim*, aliud per *incisa*, aliud *incisim*. *Incisim loquimur*, quando vocabula propè singula, etiam ad eandē syntaxim pertinentia, *pronuntiatione* distinguuntur, interpolantur, & discontinuantur, quasi colligata & concatenata non essent; tunc enim *in singulis liberior existit oratio*; ut teruntur literæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio. Et aliquando prorsus vincta non sunt, ut in illo; excessit erupit, evasit. Veni, vidi, vici. Per *incisa* autem dicimus, quando non singula prope vocabula pronuntiatione disjungenda sunt, sed continuato aliquot dictionum cursu; ac præterea sic incisa à se invicem dependent: quippe vincta & colligata inter se: ut nullum prætermitti possit sine sensus, atq; syntaxeos perversione; ut teruntur tuæ, quas ad senatum populumque Romanum dedisti, literæ tua manu exaratæ, ubi plures voces incisum faciunt, non singulæ, psaque incisa sibi illigata sunt, atque à se dependentia, ut nullum prætermitti possit, quod non evenit dum incisim dicitur, uti incisa inter se colligata non sunt, cùm sinè syntaxeos & sensūs perturbatione omitti possit v. g. signa, manus, unde hic liberior existit oratio, quia minus vincta, non item dum per incisa loquimur.

Quare incisim dicta scopis dissolutis, per incisa verò scopis colligatis rectè comparaveris. Similiter membratim & per membra di-

cta accipe: nam *Membratim* dicimus, quando membra, quæ *pronuntiatione disjunguntur*, etiam quoad syntaxim concatenata non sunt, sed à se invicem independentia, quia tunc in singulis membris liberior insistit oratio, quippe membrum à membro quoad syntaxim & conjunctionē independens. v. g. Cicero pro Milone de sica Clodi: hæc intentata nobis est, huic ego vos objici pro me non sum passus; hæc insidiata Pompejo est &c. *Per membra* autem *dicimus*, quando membra à se invicem dependent quoad aliquas particulas copulativas, aut syntaxim ut etsi verendum non est pro fortissimo uno dicere, timoris tamen adsunt causæ non leves, &: si me violentè non invasisset Clodius, nunquam ego Milo Clodium confodissem. Et tali casu *membra sic vincta conficiunt periodum*: tunc enim ab initio usque ad finem, quasi in orbem involuta fertur oratio, quia concatenata & contînua. Hoc itidem casu *membrum est pars periodi*, quia *actu* dependet à periodo; quando autem membra concatenata non sunt, tum non est pars, quia à se invicem non dependent, sicut digitus pars manûs non est, quando actu à manu non dependet, sed rescissus est. Idem dicendum de *Inciso*, quod tunc *pars membri* est, quando *actu* à membro *dependet*, eique iunectitur. Si autem non dependeat, pars non est, sicut nec articulus est pars digiti, si ei non cohæreat. Talia incisa sunt: veni, vidi, vici; excessit, erupit,

orupit, evasit. Quando autem incisim, quando membratim, quando periodicè seu per membra concatenata sit dicendum, vide in Authore c. 48. & si plura requiris consule P. Masen & alios. Hic interim

Nota ex capite 47. posse orationem quæ membratim fit, excurrere ad quindecim, aliquando etiam ad viginti membra, quia eniur à se invicem independentia sunt, non ita fatigant audientem vel dicentem continuâ pronuntiatione. Verùm periodus ex mente Ciceronis optima est, quæ ex quatuor membris conficitur : quæ enim brevior est, nec aures, nec animum ità explet : quæ verò longior, obruit intellectum, dum uno obtutu comprehendere nequit principium, & finem. Hæc vocatur *quadrimembris quadrata tetracolos*, sicut quæ tria membra habet dicitur *trimembris* & *tricolos* ; quæ verò duo, *bimembris*, seu *dicolos*. Unimembris seu menocolos juxta dicta non datur. Quod si periodus quatuor membra superet, dicitur *pneumatica*, quia non commensurarur justæ magnitudini, sed *spiritui* dicentis. Sic & membrum æquò longiùs dicitur *pneumaticum* seu *schinotenes*. Horum exempla require in P. Lauxmin, doctrinam tamen hic positam cum illius nè confundas. Denique *Nota*, inter punctiones quas Grammatici *comma*, *colon* & *punctum* vocant, distingul à commate, colo, ac periodo Oratoria. Potest enim esse colon Grammaticum, ubi præcisè Incisum est & comma Rhetoricum ; & ubi est colon

oratorium, esse comma grammaticum. Præterea dum Orator per incisum interrogat v. g. domus tibi deerat? aut per membrum exclamat v. g. ô callidos homines! non ponitur comma, vel colon grammaticum, sed signum interrogationis, vel exclamationis; & tamen est incisum & membrum, igitur hæc idem non sunt. Et verò interpunctiones illæ grammaticæ à magis vel minus expleto sensu dependent. Comma autem & colon, seu Incisum & Membrum Oratorium à magis vel minùs expleto numero Oratorio, id est, aurium judicio & expectatione. sed de his consule Grammaticos.

CAPUT XXXVIII.

De Pedibus.

Præcipuum, & quod tanquam differentia à commate, colo & puncto collocatur in definitione incisi, membri & periodi, est numerus oratorius; non enim satis est Oratori secare in partes orationem, quia hoc faciunt Grammatici, & scriptores alii per commata, cola & puncta; sed requiritur etiam, ut incisa, membra & periodi aptè cadant ad aurium judicium & voluptatem. Hoc autè facit justa pedum dimensio; unde numerum oratorium ad similitudinem poëtici definiunt communiter sic: Est suavis quædam orationis modulatio, ex apta pedum collocatione & varietate pro-

proveniens. Et oratio numerosa est, quæ longis, brevibusque syllabis concinnè collocatis, jucunda progreditur, & aptè cadit ad aurium gratiam & lenocinium. Qui porro pedes usui sint Oratori, collocantur ab Authore hoc capite, quod require.

CAPUT XXXIX.

De numero Oratorio.

Licèt autem pedibus utatur Orator pariter ac Poëta, non tamen adstringitur ad certos tantùm pedes, neque ad ponendos certo ac inviolabili ordine, quemadmodum adstringuntur Poëtæ. Unde oratio neque totà constat ex numeris, ut metrum, neque tamen est sinè numeris ac pedibus; quo ex capite difficiliùs est constare orationem numerosam: certam enim pedum legem non habet Orator, uti Poëta; sed ex Oratorum scriptis cognoscere habet, qui pedes initio, qui in medio, qui in fine magis probentur; quod lectione assiduâ Ciceronis atque imitatione assequetur, nec non inspectione præceptorum, quæ in sequentibus capitibus tradit Author, ad quem te remitto. Vide etiam quæ Causinus l. 7. c. 8. 9. 10. Palatium Eloquentiæ à fol. 26. Breviret P. Balbinus in quæsito 29.

CAPUT II.

De Triplici genere dicendi, seu elocutionis.

Ex majori vel minori, vel attemperato usu troporum, figurarum, atque numerorum nascitur elocutio magis vel minùs, vel mediocriter polita, & insignis. Hinc *triplex dicendi genus*, seu elocutionis forma statuitur ab Authoribus, quam Græci characterem & stylum nominant. Differt à triplici genere orationis, demonstrativo, deliberativo, & judiciali, quia hæc exprimunt *materiam*, quam oratio complectitur (quod idem accipe de quinque causarum generibus l. 2. c. 5.) istud verò de quo hic agitur, triplex genus significat *formam* elocutionis, quâ unum ex illis generibus exornatum est. *Primum* ex his vocatur humile, tenue, submissum, gracile, subtile, acutum, attenuatum, Atticum, communiter infimum. *Alterum* sublime, grande, grave, vehemens, rapidum, copiosum, amplum, magnificum, communiter summum. *Tertium* inter hæc duo medium, & mediocre dicitur, temperatum, interjectum. *Infimum*, seu humile dicendi genus est, quod quasi humi serpere videtur, altiùs tamen est nitore supra sermonem vulgarem, amat enim præter verborum proprietatem & puritatem, cultum verborum, tropos etiam, præ-

ser-

sertim mecaphoras communes, & figuras loquentibus familiares : quibus tamen orationem non infarcit, eò quòd proximè ad quotidianum, & familiarem eruditorum (non tamen vulgi) sermonem accedat. Amplificationes & graviores ad motum figuras non admittit, numeris etiam non ita adstringitur : ejus enim usus eò spectat, non ut flectamus, sed doceamus, declarando, narrando, probando. Genus *summum* est, quod rerum & sententiarum pondere turgens regiam in perorando refert Majestatem. constat enim argumentorum, troporum figurarum & numerorum gravissimo apparatu, eò enim spectat, ut moveat, flectat, & percellat Auditorum animos. Hinc frequentibus, & illustribus exornatur tropis, & figuris, intumescit amplificationibus, insurgit affectibus concitatis. Dictionem habet atrocem, rapidam ac vehementem, incisa, & membra plurima, quibus instat, mordet, pungit, periodos paucas, nè aurium tantùm illecebris serviat, sed sonantes; litterarum hiatum, ac duram syllabarum collisionem negligit, modò affectui & rei melius exprimendæ deserviant. Vim habet hoc genus longè maximam, dum modò perstringit, modò irrepit in sensus, novas opiniones inserit, insitas evellit, amplificationibus attollit orationem, & vi superlationum erigit, iram & misericordiam, odium & amorem imprimit, & per omnes affectus optationis, exclamationis, execrationis

nis &c. Vagatur, ut videre est in peroratio-nibus Ciceronis pro Muræna, Milone &c. *Medium* seu mediocre genus est, quod inter humile & sublime, seu infimum & summum utriusque ornatum sic attemperat, ut quod humili sublimius sit & robustius, sublimi verò submissius. Huic pleraque dicendi ornamenta conveniunt: sunt in eo mediocres sententiæ, verba decora, schemata illustria, compositio numeris plena, ac fluida, omnia denique supra quotidiani sermonis usum assurgentia. Plurimùm habet suavitatis, quæ partim numeris, partim junctura, partim troporum, & figurarum splendore comparatur, valet atque adhibetur ad delectandum Auditorem. Ex his

Collige, quando summo, quando medio, quando infimo dicendi genere sit utendum. Sunt quidam, qui ex materia id colligi debere existimant, eò quòd res magnæ summum; res mediocres medium; res parvæ infimum characterem, & formam sibi postulare videantur. Sed quia res etiam magnæ, aliquando stylo infimo proponi opus habent, ut cùm de Deo aut rebus divinis loquendum est ad captum Auditorum ideo *regula optima* sumitur *ex* triplici Oratoris *fine*: an velit Orator docere, an delectare, an flectere Auditorem: dum enim docet, infimo genere utendum est, etiamsi de maximis rebus dicat, ut intelligatur, quid velit. Dum vult delectare, mediocri utendum est, ut adsit condimentum

finè

sinè acerbitate, & vehementiâ. Dum autem movere, tùm summo, ut quantos potest impetus faciat in animos Auditorum. Hinc fit, ut in eadem sæpe oratione omnia tria genera sint miscenda, diversis tamen in partibus; dum enim narrat aut probat Orator, infimo utitur, dum exorditur, cùm velit facere benevolos delectando, utitur medio; in amplificatione & epilogo, si res postulat utitur summo, ut patet in oratione Ciceronis pro Milone &c. Tali autem casu à potiori parte sumitur denominatio, aut fine, à quo tanquam objecto formali specificatur oratio, cujus sit generis, & styli. Porrò si universam orationem spectes, infimum dicendi genus invenies in oratione Ciceronis pro Quinctio, pro Flacco, pro Plautio, Divinatione in Verrem, secunda & tertia Catilinaria. Medium pro lege Manilia, pro Marcello, pro Archia. Summum in ultima Verrina, in prima Catilinaria, in Antonium & Pisonem, Ex dictis

Infer 1. rectè epistolas, officia, libros Philosophicos, de Oratore & Senectute dialogos à Cicerone stylo infimo esse tractatos, quia in iis tantùm docere intendit.

Infer 2. Errare eos qui in scribendis epistolis, dedicatoriis, petitoriis, &c. in concione catechetica ad rudes, in libris ascericis &c. grandes & vehementes figuras intrudunt, tum enim præcipuè intenditur delectare, aut docere.

Infer 3.

Inter 3. In concionibus & orationibus Panegyricis v. g. de Christo resurgente, ascendente, de B. Virgine, de Sanctis, in victoriarum, triumphorum, nuptiarum, Natalis diei aggratulatione, in Principis salutatione &c. adhibendum esse stylum mediocrem, mens enim est tum delectare. At in cohortatione ad milites, ad peccatores inveteratos, & obduratos, ad contumaces & refractarios, vel cùm agitur de negotio Reipubl. aut animæ in periculo gravi constitutæ, opus est stylo summo, quia motus faciendus est. Sed

Nnta eum, qui hoc summo genere uti cupit, opus habere celeri linguâ, forti voce, memoria expedita; alioqui evanescet omnis figurarum impetus, & pro motu risum, aut fastidium est reportatutus: quid enim exilis vox, tarda lingua, & memoria hæsitans præstabit vitæ & vigoris? qui in hoc genere desideratur.]



APPENDIX I.

De Triplici stylo in Narrationibus.

Rem eandem narrare potest & solet Historicus, Orator, & Poëta; alia tamen & alia, narrationis sit facies oportet. Hoc etiam nosce cum sit Rhetoris, an nectam differentiam styli Historici, oratorii & Poëtici in narrationibus, ut, si factum idem efferre jubeantur Tyrones exercitii gratiâ per triplicem hunc dicendi modum, quid eos præstare sit necesse, cognoscant. *Stylus Historicus* consistit in hoc, ut illo simpliciter & sine fuco rerum factarum veritas exprimatur. Ille igitur historicè narrabit, qui illum dicendi modum adhibuerit, qui fidem facit, illum vitaverit, qui veritati adversatur, aut eam suspectam reddit. Hoc utrumque præstabit adhibendo puram & dilucidam dictionem, simplicitatem, & lenitatem orationis, ut suavii ac fluens decurrat oratio absque salebrosa claudicatione, nullo tamen elocutionis illicio singulari, nè lector à rebus abstractus verborum illecebrâ, his inhæreat, illis non attendat; itaque res describatur, ut non tam ad rerum commemorationem accessisse, quàm rebus ipsis interesse videatur. Periodi nec numeroso ambitu sint circumductæ, nec nimia

Stylus Historic.

mia brevitate concisæ, nè artificio dictionis apparente, suspecta habeatur scribentis fides. Ornant historiam vocabula quædam narrationi propria, & constructiones, quæ ex regulis Syntaxeos & Authorum sensu habentur pro purè historicis. v. g. ponere multos infinitivos ad unum verbum personale pertinentes, aut ipsum personale omittitur, quod facilè subauditur, nomina multitudinem significantia, in singulari posita, cum plurali verbo jungere &c. Item ornant suo loco positæ prosopopæjæ, interlocutiones dialogisticæ, & factæ breves ad historiam veterem, aut proverbium illusiones, digressiones ad instituтum facientes, ut descriptio locorum, morum eâ ætate &c. Excellit in stylo purè historico ex antiquioribus Julius Cæsar, in commentariis de bello Gallico, Curtius, Livius, Salustius. Ex Recentioribus P. Famianus Strada de bello Belgico. Nota tamen si historicus descripturus est munitionem aliquam, regionem, pugnam, adhortationes Ducum &c. potest esse stylo elatiore, nempe medio de quo suprâ, aut etiam summo, in ultimo nimirum casu, hic enim sonorum, quid & tubam poscit. Tunc tamen ille dicendi modus ex Oratorio & Historico conflatûs censebitur.

* * *

Viginti Præcepta pro historica Lege ac Stylo à quopiam Salustii interprete annotata.

Prima Historiæ lex est, nè quid aut falsi dicere; aut veri (quod quidem scitu dignum sit) supprimere in alicujus odium, aut gratiam audeat; debet enim esse vera & sincera.

II. Nè ordine perverso aut præpostero quid recitet: ut enim quidque primum gestum est, ita primum narrabitur. Neque prolepsim aut præsumptionem rerum diligens Historiographus ex aliena præsertim persona usurpaverit, cùm temporum, locorum, aut rerum in eis gestarum immemorem esse turpissimum sit. Ex talium enim rerum ignoratione, aut mendax, aut imperitus convincetur. Undè etiam Poëtæ vitio datur, quod portus Velinos tempore Æneæ nominaverit, qui tempore posterius extiterant.

III. Nè quid repugnans aut implicans seu falsitatis se mutuò coarguens asserat. Nam si mendacem decet esse memorem, si deprehendi non vult; quantò magis Historiographum, cui né dubium quidem asserendum est. Non tamen continuò quidquid apud Historiographum legimus, ab eo assertum dixerimus. Multæ enim sunt apud eos sen-

tentiæ, quas pro judicio loquentium, non suo inducunt. Neque quando aliquid dictum, aut factum narrat, illud propterea aut verè dictum, aut rectè factum asserit.

IV. Ne quid superfluum aut imminutum contineat Historia. Superfluum autem continere videbitur, si altiùs, quàm opus sit exordium reperierit; si digressiones ad rem nihil facientes induxerit, si non solùm multâ paucis, sed omnino pauca dicere contendent; In qua re Salustius excelluit. Nam ubi alius sibi breviùs locutus videretur, si ità diceret. Cicerò intellectâ re januas obserari jussit; venerunt conjurati, quâ constituerant horâ; verùm cùm clausum ostium offenderent, cognoscebant se frustrà tantum facinus suscepisse. Sallustius sic absolvit. Ita illi januâ prohibiti tantum facinus frustra susceperant. Imminuta autem erit, si quid scitu necessarium omiserit; & ità obscuram locutionem fecerit; quod vitium sic notat Flaccus in arte: dum brevis esse laboro, obscurus fio.

V. Aptam tamen digressionem ad institutum facientem, & decentem exornationem non nimis fucatam, nec affectatam, historia non vitaverit; imò concionibus, orationibus, consiliis exhortationibus, apertionibus fraudum, & stratagematum locupletari, & dicendi floseulis stylo historico aptis decorari poterit. Et hæc quinque præcepta oeconomiam & rerum farraginem respiciunt.

VI. In

VI. In concionibus & cæteris orationibus habenda est dicentium ratio, ut docto disertus sermo, & illiterato minùs cultus, utque viro acri, & strenuo non languida detur oratio; nec inerti, aut molli, acris. Neve præter ætatis, aut statûs decorum aut turgeat, aut deprimatur sermo.

VII. Ex verbis obsoletis & nimium vetustis, multumque affectatis, non affectabit historicus multæ lectionis, aut scientiæ aucupium, nec diligentia junctura aut compositionis stylum obscurabit.

VIII. Historia sic erit brevis, ut in brevitate ipsa aptè delectet, plenè doceat, sensumque acriter, quantum opus fuerit, moveat. In qua re præcipua Salustio laus, cui cùm nihil demi, sicut & Virgilio nihil addi possit, sic tamen brevis est, ut minimè sit obscurus. Unde quod Cicero de decora brevitate præcepit, ad unguem observavit. Verba Ciceronis sunt hæc: Oportet orationem tres habere partes, ut brevis, ut apta, ut probabilis sit. Brevis erit si unde necesse est, indè sumatur initium, & non ab ultimo reperatur, & si cujus rei satis erit summam dixisse, ejus partes non dicantur: nam sæpe satis est, quid factum sit dicere, non ut enarres quemadmodum factum sit. Et si non longiùs quam scitu opus est, in enarrando procedetur, & si nullam in rem aliam transibit, & si ita dicet, ut nonnunquam ex eo quod dictum sit, id quod dictum non est, intelligetur; etsi non modò quod obest, verùm etiam id quod non obest, nec ju-

vat præteribit, & si semel unumquodque dicetur, & si non ab eo, in quo proximè desitum erit, inciptetur deinceps. Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut cùm se breves pùtant esse, longissimi sint, cùm dant operam, ut res multas breviter dicant, non ut omnino paucas res dicant, & non plures quam necesse sit. Nam plerisque breviter dicere videntur, qui ita dicunt. Accessit ad ædes, puerum vocavi, respondit, quæsivi Dominum: domi negavit esse. Hic tametsi tot res brevius non potuit dicere, tamen quia satis fuerat dixisse, Dominum, negat esse domi; sit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est brevitatis imitatio, & non minùs rerum non necessariarum, quàm verborum multitudine supersedendum est. Hæc Cicero.

IX. Est, ut stylus sit uniformis, atque sùi similis. Primum nè medio, medium nè discrepet imo: sic tamen ut interloquentium servet decorem. Nam aliud servandum ubi perpetuò loquitur Historicus, aliud ubi introductæ ab eo personæ.

X. Sic erit compositio historica numerosa, ut non censeatur metrica, nec versum constituat, quanquam Livius ab hexametri capite, Authore Fabio exorsus est. Facturusne operæ pretium sim. Ubi quatuor hexametri versûs pedes continui.

XI. Imperfectis infinitis pro Indicativis frequenter utetur in rerum narratione Historicus, in qua re Salustius est frequentissimus.

XII.

XII. Multa infinita ad unum finitum semel positum referet Historiographus. Pulchrum autem est infinita activæ vocis sic subjungere: ut postquam cæpêre urbes, atque nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere; maximam gloriam in maximo imperio putare. &c.

XIII. Accusativos plurales tertiæ declinationis in Is aut in Eis dyphtongon, quoties genitivus erit in Ium pulchrè usurpaverit Historicus, præsertim si adhæreat accusativo in Es, ut apud Salustium statim in principio. Omneis seu omnes homines, quod & alibi frequenter facit.

XIV. Tametsi more Oratoris partem & proprietatem cum adjectivo laudis vel vituperii venustè ponit utrumque in ablativo, tamen toti & subjecto conformare poterit, positâ parte aut proprietate nihilominus in ablativo. Exemplum prioris ut: Catilina nobili fuit genere: secundi: Antonius pedibus æger.

XV. Secundam personam verbi etiam singularem pro qualibet frequenter ponet in narrando, aut admonendo Historicus, ut priusquam incipias consulto opus, id est. priusquam quis incipiat. &c.

XVI. Proprietatem rei, seu abstracta adjectivorum potiùs in dativo, quàm per emphasim eodem casu posuerit, ut potiùs dixerit cum Salustio: quibus corpus voluptati, & animus oneri, quàm quibus est voluptas & onus &c. Quæ res frequens est apud Salustium.

XVII. Deerunt in oratione sæpe verba & nomina, sed quæ intellectu sint facilia, præsertim ad loquelam spectantia, aut generalitatem portantia, ut gero, facio, dico, loquor, &c.

XVIII. Quoties Relativum ponitur inter duo substantiva, quorum sequens est alicui rei proprium, pulchrè conformatur sequenti, ut: Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Et ad possessivi, veluti ad primitiva fiet relatio, etiamsi illa exprimi nequeunt, ut: Corpora nostra ab injuria tuta forent. Qui miseri.

XIX. Gerundia nomina pro gerundiis venustè usurpantur, ut: magis dandis quàm accipiendis beneficiis amicitias parabant.

XX. Quæcunque venustatis præcepta Oratori dantur, Historiographo servanda sunt.

Oratorius in narrando stylus.

Orator præter fidem & veritatem intendit etiam motum delectationis, aliorumque affectuum ex occasione nata inferendorum, qui tamen mitiores sunt, aut si vehementes, breviter interjiciuntur veluti igniculi. Oratorius igitur stylus eò erit perfectior, quò veritate & affectibus exultus magis. Hinc fervium celebriores verborum ac sententiarum figuræ, ut sunt hypotyposes, & vivaces rerum descriptiones, prosopopæjæ, acutæ sustentationes ex re natæ, insperſæ interrogationes, exclamationes, epiphonemata, definitiones conglobatæ, loci communes pronuntiatis sententiolis comprehensi, allusiones breves

ad

ad illustriores historias, adagia, affectus doloris, lætitiæ, commiserationis, indignationis, Apostrophe &c. Vide P. Balbinum in quæstionibus oratoriis parte 1. quæst. 50. Excelluit in hoc genere Cicero plurimis in locis, maximè in Verrinis. Florus &c. Poëta narrat & delectat. Unde Poëticus stylus eò erit perfectior, quò ipse dicendi modus majorem admirationem & delectationem parit. Id verò comparatur dictionis festivitate seu lepore, & lætitiâ, verborum grandium pompâ, modulatione numerorum, audacibus metaphoris, floridis rerum quasi ob oculos positarum descriptionibus. In hoc stylo debent omnia esse pigmentis oblita floridarum dictionum; serviunt etiam hyperbolæ, comparationes seu similitudines, fictiones, allusiones ad fabulas frequentiores, proso popæjæ, periphrases poëticæ, & quidquid in carmine venustum & admirabile esse solet. Juvat frequenter aspergere suaves & teneros affectus, perbreves exclamationes excitantes dolorem, commiserationem, admirationem. &c. Clauditur enocinnè narratio gratulatione, applausu, epiphonemate læto, lugubri, prout res postulat. Excellit in Narrationibus Poëticis ex antiquioribus Seneca in Tragœdiis, Virgilius in plerisque libris Æneidos, Ovidius in Metamophphosi, maximè dum narrat fabulam Narcisci, Atalantæ, Phaetontis, &c.

Poëticus in narrãdo stylus.

Exemplum rei ejusdem per triplicem hunc stylum deductæ elegant, habet P. Famianus Strâda in Prolusionibus academicis. l. 2. prolus. 3. partis 2. mihi fol. 283.

Exemplũ styli triplicis.

De Stylo in Elogiis etiam hic dicendum esset aliquid, cùm etiam hujus notitiam & usum Eloquentiæ Tirones habere oporteat; sed quia præ manibus plerorumque est P. Masen in argutiis, P. Rhadau in Oratore extemporaneo, P. Juglaris, Emmanuel Thesaurus &c. Poterunt illi consuli. Breviter edico, genus hoc scribendi stylum amat argutum, & concisum, ideoque cæsim & membratim dicendum, periodus quadranda nulla.

APPENDIX N.

De Stylo Epistolæ ex Simone Verepæo. lib. 2.

VEtat hic Author in Epistolis stylum nimis excultum, ornamentis compluribus nitidum, ac Rhetoricis coloribus illuminatum, vult latinis, puris, elegantibus, & electis constare illas vocibus, ut vitetur plebei sermonis deformitas ac sordes; rationem dat, l. 1. quòd epistolæ finis sit supplere sermonem, quem præsentes præsenti facturi essemus, *est enim sermo absentis ab absentem*: Unde si vulgarem loquendi modum excedat, & eruditorum & prudentium sermonem referat, quàm proximè, sufficit. Oratoriis verò pigmentis si excolatur, id arrogantiæ vel ostentationis est. Hunc in finem refert Senecam ita ad Lucilium scribentem: qualis, inquit, sermo meus esset si unà sederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis, tales esse epistolas meas volo. Post hunc Paulum Manutium

nutium l. 2. epist. 2. Non soleo, inquit ille, studiosus epistolas elaborare: primùm si quid scribitur ad familiares, planè familiariter agendum puto: odi illa nimis ambitiosa, constructa verbis & sententiis exquisitis. Et infrà, imitetur epistola sermonem (communem) excurrat liberè nullis adstricta legibus, & suavem quandam perfectâ non indiguam amicitiâ negligentiam præ se ferat. Ita Manutius. Verepæus verò ubi lib. 2. dixisset rariorem esse figurarum usum in epistolis, etiam numerum oratorium, & periodos ab iis removet: quod confirmat authoritate Quintiliani, qui vult epistolas solutas esse numeris, commatis verò & colis, ut ferè constat sermo noster quotidianus sic & epistolæ, quæ nobis quotindianum sermonem repræsentant. Ex eodem notatu dignum est, quod habet fol. 57. de rebus amplissimis sit gravissima, de mediocribus concinna, de humilibus elegans. In petendo quidpiam sit verecunda, in narrando lucida, & graphica, in commendando officiosa, in suadendo gravis & sententiosa, in exhortando vehemens & animosa, in rebus afflictis seria, in consolando blanda & amica, in secundis gratulabunda, in jocosis acumine & lepore referta, in encomiis delectet apparatu. Elaboratior & lucernam olens erit, si scribatur erudito; artificiosè contexta, si artis perito; carebit artificio si simplici, Laconismum habeat, si occupato; blandior si amico; licentior si familiari; fucatior sit si curioso, adulantior si ambitioso, asperior si impro-

In suada civili.

bo, priscis verbis constet si antiquario. Sic Rhetoricè Rhetori discolo non sinè sale scripsit quispiam. Audio te inter nepotes Tullii adoptatum, & verè ut inaudio nepos es, Tulliano more id accipe Novus tu mihi planè Rhetor! dissolutio, quam in mores etiam admittis, tibi in usu vel maximè. Nec licentiæ figura tibi ignotior, cui quidquid libet, licet; sic nempe vivere didicisti licentiâ Magistrâ. Adjunctio tibi alia non gratior, quàm tui similibus. Allegoriam non nôsti, nisi in quantum inversio, imò perversio morum est, Stratus hic nè quære, ubi nulla morum gravitas animum occupavit; Protheo tu inconstantior, trocho versatilior es, omnibus majorum imperiis contrarius; ità hic etia n amas antitheta. Translatio in campos, digressio in popinas tibi non infrequens: videris nove inter Rhetores Annibal, ne tibi hæc inquam sæpiùs digrederis, Compania fatalis fiat; aut nè nowum ibi parentheseos genus edisces, dignum tali Rhetore, quæ non meliùs orationem tibi, quàm faciem distinguat. Exclamationibus verò, ô quantum indulges, quibus noctu lymphaticus forum imples! Quanquam vix tu meliùs, quàm inter pocula exclamas, ibi latera firma, ibi canoram vocem tibi inesse probas: tunc vel maximè tonare cum Pericle, fulminare cum Demosthene, & omnia permiscere solitus. Mentiar, nisi Eloquentia, id est ars benedicendi in artem [bene] bibendi te auctore, degeneravit. Profecisse quoties te asseris mentiens, imò superementiens hyperbole

bole est. Moneo si profectum negligis, tuæ saltem prospectum consultumque velis, vel ut Cato monuit, famam servare memento.

Hæc de stylo epistolæ hic adjicienda censui, quod alia in classe discentibus proponi commodiùs ad captum non possit. Sed & artem illius conficiendæ percipere melius non possunt, quam post degustata Eloquentiæ præcepta, licèt alibi exercitationes ys hujusmodi imponantur. Quare cùm turpe sit aliquem post absoluta Eloquentiæ studia non posse concinnam efformare epistolam, & ejus rei frequens sit usus, methodus verò, quàm concinnavi brevis & universalis, non inutile judicavi hic eam subjicere. Præmoneo tamen, me locuturum de epistola, quæ *artificialis* est, non quæ *familiaris* est, hæc enim cùm familiariter noto scribatur, affectum potiùs sequitur, quàm artis præcepta, unde familiaris epistolæ leges dare universales impossibile judicant omnes, & patet ex epistolis Ciceronis, quas ad leges renovare Herculeus labor est. Hoc prænotato.

Vide 1. Cujusmodi epistolam velis conficere, an petere aliquid vel suadere, vel gratias agere, vel accusare, &c. indè enim denominabitur epistola petitoria, suasoria, gratiarum actoria, accusatoria &c. Vide 2. quæ sunt rationes, causæ, vel motiva, quæ te ad petendum, suadendum &c. movent aut incitant, quoad rescies interrogando te, cur hoc petis?

Artificiis epistolæ universalis.

tis? cur suades? quare istum accusas? cur gratias agis? &c. 3. ad dispositionem epistolæ accede, ordine inverso, sicut Cicero faciendum monet in oratione, libro de inventione. Et quia plerumque epistola quatuor habet partes sicut oratio, quatuor tibi observanda sunt; quid in Exordio, quid in Propositione, quid in Confirmatione, quid in Epilogo dicere debeas. *Epilogus* debet hoc facere, quod epistola gerit in titulo à quo denominatur talis vel talis. v. g. si est petitoria, tum in hujus epilogo necessum est petere, seu ponere formulas petitorias; si suasoria suasorias; si accusatoria sit, epilogus in accusatione consistet. *Confirmatio* semper continebit & tractabit rationes, causas & motiva, ob quæ istum accuso, defendo, cur suadeam, petam, gratuler, gratias agam &c. rationes enim sunt id, quo rem aliquam stabilimus & confirmamus, ideoque in confirmatione ponendæ sunt. *Propositio* sicut nomen ipsum declarat, proponere debet, quid hâc, quam scribimus, epistolâ velimus & intendamus, an accusare, an gratulari, an petere. *Exordium* captat benevolentiam vel significationem amoris, doloris, gaudii, iræ &c. prout res est, de qua scripturi sumus. Sumit etiam materiam ex opportunitate, occasione & connexione personæ, quæ scribit, ad quam scribit, circa quam scribit, ut v. g. quòd tibi incumbat illius curam gerere, qui se malè gerit, quòd persona, ad quam scribis, sit liberalis naturæ, multa tibi contulerit, ideoque adhuc speres te impe-

tra-

traturum, quod præsenti epistolâ petis &c. quod alius te rogaverit, ut pro se intercederes &c. Si à doctioribus fiat syllogismus, poterit major poni in exordio v.g. in epistola laudatoria sit major: omnis doctus & pius est commendatione dignus & officio. Sed iste N. est doctus & pius, ergo est commendatione dignus. Major tractabitur in exordio, minor in confirmatione, est enim causa cur istum commendes, quia est pius & doctus. In epilogo conclusio. Post exordium interpone propositionem, & habebis omnes epistolæ partes.

Hoc breve & universale est artificium, & captu facile, quod exemplis pluribus, quæ in gratiam discipulorum elaboravi, comprobarem, nisi timerem esse longior: Unum tamen, alterumque subjicio.



EPIS-

EPISTOLA

Quâ Demetrius Alexium commendat, ut ad officium aliquod promoveatur.

Ratio datur, quia est probus, & doctus.

Hinc formari potest syllogis. Major. Viri probi & docti sunt commendatione digni. Minor. Sed Alexius est vir probus & doctus. Conclusio. Ergo Alexius est commendatione dignus. *Major* ponenda ad *Exordium*, *Minor* ad *Confirmationem*, *Conclusio* ad *Epilogum*: *In Propositione* interpone, quid præsenti epistola velis, nempe Alexium commendare. v. g.

Exordium. Non parum refert ad Reipublicæ emolumentum & gloriam, si per viros administretur, qui pietate ac litteris sunt insignes: hi enim præterquam quòd majori sint commodo bono publico, etiam fulgore vitæ, doctrinæque velut sidera eandem illustrant, cùm è diverso rudes atque improbi eam dedecorent.

Propositio. Quamobrem etiam atque etiam cuperem, ut curæ tibi foret Alexius opportunitate proxima, qua vacantem officio locum in Republica esse contigerit.

Confirmatio. Etenim vir est non morum solûm probitate, sed & artium ingenuarum pe-

peritiâ exculti ſſimus. Eſt in eo ardens religionis avitæ cultus; myſterio rum divinorum æſtimatio & frequentia, orat ionis ſtudium, caſtimoniæ & ſobrietatis amor, juris & æqui tenaciſſima mens, abhorrens ab omni eo, quod ſive lucri cupiditate, ſive ambitionis tumore labem famæ poſſet aſpergere. Vir integerrimus, quem ſanctimoniâ ſuſpicias, candore & affabilitate amabilem amplectaris, Eâ verò litterarum expolitus varietate, ut nihil in illa ſive manſuetudinis eruditionis è Poëtarum, Oratorum, hiſtoriarumque officina, ſive rigidioris, ex Philoſophorum ac Juriſperitorum placitis valeas deſiderare. Digniſſimum igitur cenſeo, quem non modo diligas, ſed & cures, ut ubi ſeſe occaſio tulerit, inter Reipublicæ adminiſtros cenſeri facias. Erit illè tum bono publico percommodus, ut quod ſummâ induſtrâ & fidelitate provehet, cùm tibi honori, qui talem virum evexeris, quin & pro ea, quâ eſt grati animi memoriâ te officus colet ſemper, & amabit. Vale. Epilogus.



EPIS-

EPISTOLA

Quâ Achilles Landelino suadet militiam.

In exordio dices, cùm Turca cum rebellibus Hungaris terris nostris infundere se velit, decrevisse Augustissimum Cæsarem eos justo bello reprimere, & hæc causa est cur milites scribantur, quibus ut se etiam Landelinus adjungat, dices, te ei in *Propositione* velle persuadere. In *Confirmatione* dabis rationem, quâ ei persuadeas, ut nomen militiæ det, qualis esse potest, quod vita militaris jucunda sit, ut pote à plurimis laboribus, curis & molestiis libera, quod non habent artes aliæ, aut negotia rei familiaris, in quibus die nocteque laborandum, sudandum, caputque frangendum est, ut subsistas. In *Epilogo* adhortaberis illum ut tam jucundum vitæ genus sibi deligat, Poterit sic efferri.

Exordium.

Tubarum tympanorumque strepitus auditur apud nos, non ambigo quin vestra etiam in urbe. Quò spectet! non ignorabis, cùm pervulgatum sit Augustissimum Cæsarem scribere milites, quas Ottomannicæ potentiæ, junctisque perduellibus opponat, qui patriæ nostræ excidium minitantur. Placetne tibi clangor hic Martius, qui Martè sæpius verbis spirare auditus es? Hoc cupio, ut gene-

Propositio.

ro-

neroſorum pectorũ nomine tuo adaugeas numerũ. Et quid tergiverſeris? cùm vita hæc demũ ſit jucundiſſima, quæ liberrima eſt à laboribus, moleſtiis & curis, quibus diſtorquentur & excruciantur ii, qui aut rem procurant, domeſticam, aut arti exercendæ ſive liberalis ea ſit, ſive illiberalis operam navare compelluntur. Vita militaris ſinè labore agitur, & nè tempus nihil agendo longum evadat, facetiſſimorum commilitonum jocis, luſibus & potationibus lætiſſimè diluitur & diffluit. Abrumpe igitur moram deliberandi tecum, torporem excute, & quæ tibi offertur opportunitas, vitam tetricam, curiſque ac tædiis refertam cum amœniſſima commuta, & amplectere. Aurea libertas eſt, hanc aſſequeris, ſi Martem pro arte ſequaris. Dic ergo vale artibus, ubi primum meum acceperis vale.

Confirmatio.

Epilogus.

EPISTOLA DISSUASORIA,

Qua diſſuadetur Landelino eſſe militiam ſequendam.

E*Xordium* facies declarando quàm ſincerè ſis Landelino affectus, & quàm benè ei ſemper volueris hactenus; ut ſic eum tibi concilies, ad auſcultandum tuis conſiliis. In *Propoſitione* dices, cùm hoc ita ſit, ſperare te tuam ſuaſionem locum apud eum reperturam, & à propoſito militiam ſequendi, deſiturum. In *Confirmatione* dabis cauſam

sam, propter quam militiam amplecti non debeat, v.g. quod, licet à molestiis, quas artes aut negotia domestica secum apportant, sit futurus liber, in majores tamen sit deventurus, quas tum noctu vigilando in calore & frigore, in fame & siti, in dura cubatione, tum in multo rigidiori disciplina, & obedientia subire debebit, & quamvis aliquam pecpandi libertatem assequi videatur, hanc tamen appetere non debet, eò quod illa libertas sit turpis & inhonesta, animæque noxia. Quare ut militiam non sequatur, in *Epilogo* dehortaberis Landelinum, Hæc omnia sic exprimi possunt.

Exordiũ. Quantum honori commodisque tuis studuerim hactenus, plurimis à me tibi palam factum esse documentis, nullus dubito dulcissimè Landeline; amor enim quo in te feror, non sinit ut ullam serviendi tibi opportunitatem prætermittam, cùm semper cupiam esse tibi quam optimè. Qua ex causa cùm ad aures meas rumor (utinam falsus esset) attulerit, castra te sequi velle: dissimulare non potui, quin ab eo te dehortarer proposito. Cogites velim mihi charissimè vitam illam jucundam quidem videri, verùm sub melle latere venenum, sub rosis spinas; quid enim vigiliæ diurnæ nocturnæque, quid sub aperto Jove frigora, calores, quid pluviæ, durissimaque strata? non ibi tectum, non paratam dapibus mensam, non focum reperies; deerunt etiam fami sitique depellendæ perne-

Propositio.

Confirmatio.

cessa-

cessaria, sive rerum in tanta militum copia, inopia, sive æris defectu, quod si petas pro verbis verbera reportabis; reticeo quotidiana mortis & vitæ discrimina. Dum igitur quas pateris in artium studio molestiis te eximere cupis, in majores te conjicies; *incidis in scyllam cupiens vitare charybdim*: Et dum fræ-num fernlæ refugis, rigidiori disciplinæ te subjicis imprudens. Libertas quidvis agendi si quæ permittitur, ea dedecori tibi est, animæque noxia, honestati enim repugnat & legibus divinis. Quamobrem quid agas medi-tare, nè te facti serò subeat prænitudo: altius memtem evibra; sectari castra liberum est semper; at semel se illis juramentò obligasse, perpetua est servitus, retrò pedem ferre non licet, nisi funem exspectes. Igitur finem pro-spice tam vitæ temporalis quàm æternæ, ut bene semper vivas, & valeas. Epilogus.

EPISTOLA

Novi Anni apprecatoria.

In *Exordio* Excusabis te, quod tam serò gra-tuleris amico novum annum: causam adjicies quod fueris impeditus. In *Propositione* dices te id modò facturum. In *Confirmatione* cau-sam ob quam id præstare te oporteat, da-bis magnum amorem, quo in amicum pro-pensus es. *Epilogus* in aggratulatione con-sister.

Exordium ab excusatione seræ aggratulationis.

Si verum est quod agit Tullius noster, seram gratulationem reprehendi non solere, præsertim si nulla negligentiâ prætermissa est; spero veniam te mihi daturum, quod dudum tibi fortunatum novi anni auspicium non sim apprecatus; nec enim id mea tui oblivione, vel negligentiâ factum est, sed negotiorum quædam moles me detinuit, ac remorata est. Quare quæ tunc ad calamum producere non potui animi mei vota, & aggratulationes, nunc exhibeo. Nec enim ardoris in me tui affectum comprimere valeo, quem indies subjectis benevolentiæ & liberalitatis fomentis inflammas. Tuus in me animus tot se prodit indiciis, & collocatis apud me beneficiorum momentis, aut oblivisci tui non possim, monent illa me alia omnia agentem, neque alia sinunt agere sine tui memoria. Quoniam vero par referre nequeo, tibi votis animum tibi detego meum; quo medullitus opto, ut anno insequenti ad votum fluant omnia refluantque, quæ sive ad corporis, sive ad animi emolumentum faciunt, & felicitatis tuæ incrementum. Quæ ut Deus ter optimus maximus evenire faciat, meis apud eum precibus expetere non desistam.

Propositio.

Confirmatio.

Epilogus.

Nota, si Exordium veritati circumstantiarum non consonet, accipi potest sequens.

Gau-

Gaudeo lætorque amice chariſſimè, eâ felicitate annum veterem decutriſſe tibi, ut non modò ſiniſtræ fortunæ adverſitatem paſſus ſis nullam, ſed etiam omnia tibi ad voluntatem & voluptatem evenerint. Hoc idem ut anno quem cæpimus ſorte beatiori faciant Superi, præſentibus apprecor. Nec enim &c.

EPISTOLA PETITORIA.

Quâ filius à Parente veſtes petit hyemales.

IN *Exordio* dices, te debere potiùs gratias agere pro acceptis beneficiis, quàm nova petere, quia tamen noſti liberalem parentis animum, ideo in *Propoſitione* dices audere te per has novam veſtem hyemalem petere. In *Confirmatione* dabis cauſam, v. g. quòd altera jam lacera, & inſuper ſit hyems, quâ bonâ veſte opus eſt. In Epilogo verba ſupplicia formabis, quibus veſtem illam enixè petas. Exordiū.

Ad referendas potiùs immortales, quâm petendas calamum ſtringere me oporteret gratias multorum beneficiorum causâ, quibus me, tum ab ineunte ætate, cùm maximè operam ſtudiis navantem affeciſtis & afficere non deſiſtitis, illa quoque liberaliſſimè ſæpiùs ſuppeditando, quibus opus non omninò habeo.

Propositio. Quare maximam etiam spem concepi obtinendi ea multò facilius, quibus me egere, si bene meministis, scitis ipsi. Vestis enim, quam uno abhinc anno mihi comparastis, usu jam attrita est, atque in partes agitur, adeò ut mendicabili instar floccidus non multò post cogar incidere, non minori meâ confusione, quàm vestro dedecore. Accedit illa temporis asperitas hyemalis, quæ uti est frigidissimus atrox nivibus, ità & gelidis sæva ventis; quæ omnia uno velut agmine malè sartas pervadunt vestes, corporisque lædunt sanitatem, quam semel debilitatam difficile est reparare, & majori impendio, quam vestium foret pretium. Itaque supplex oro, ut hac in necessitate constituto eâ, quâ soletis, promptitudine, & facilitate subveniatis: hoc uti mihi gratissimum erit, ità non desinam meâ in studiis operâ vobis solatio esse. Valete.

Confirmatio.

Epilogus.

* * *
* *

EPIS-

EPISTOLA

Gratiarum actoria.

Pro veste accepta hyemali.

PRimò explicabis tuum gaudium, quod habuisti, ob novam acceptam vestem. In *Propositione* dices motum ad te referendas, gratias. In *Confirmatione* dabis causam ob quam gratiæ tibi sint agendæ. v. g. primò, quòd parens magnum beneficium contulerit. 2. Quia juxta proverbium: Qui citò dat bis dat. Denique claudes epistolam dicendo te per diligens studium id effecturum, ut hoc & aliis beneficiis non abutaris.

Ubi advenisse inrellexi, atque etiam oculis intuitus sum meis, transmissa mihi pro hyeme vestimenta, dici non potest, quâ animi dulcedine, lætitiaque perfusus sim; quo enim ante hac mihi desiderata fuerant vehementiùs, eo gratiùs & acceptiùs obvenerunt. Hac de causa morari etiam non potui, quin ad amplissimas agendum gratias, me accingerem ocyus. Unum tamen hoc ipsum attentantem non parùm absterruit, animumque sic exultantem perturbavit, summo enim mihi dolori est, quòd imparem me non tantùm ad referendas, sed ne quidem agendas animadverterem; ea enim est hujus collati mihi beneficij magnitudo, quam aliquantulum quidem animus concipit, lingua tamen vel calamus

Exordium

Propositio.

Confirmatio.

nequit explicare. Unde optarem perspicere vobis animum meum liceret, ut intelligeretis, quanti ego id ipsum faciam, quamque excelso loco constituam, tum quod in se magni sit momenti, & æstimatione dignissimum, tum quòd incunctanter ad meam protinus petitionem sit collatum promptissimè; auget siquidem beneficij excellentiam, ac magnitudinem, ipsa facilitas, quâ præstatur, & novum singulareque beneficium est, in benefactis esse velocem; nam ut communi fertur adagio: Qui citò dat, bis dat. Quarè cùm verbis æquare magnitudinem non valeam, meâ indefessâ in studendo industriâ, efficiam, ut intelligatis impensa mihi subsidia opemque exhibitam in auras non abiisse, sed quàm optimè collocata esse.

Epilogus.

EPISTOLA

Qua Parens hortatur filium ad fervens literarum studium.

IN Exordio dices te putare fervorem, quo studia aggressus est filius, jam intepuisse; ideo in *Propositione* dices, te illum velle ad id rursus adhortari. In *Confirmatione* dabis rationem, cur diligenter studendum sit, qualis esse potest, quòd ipsi non alteri profutura sint studia. In *Epilogo* illud facies, quòd in Propositione dixisti te velle facere.

Jam

Jam menſes aliquot elapſi ſunt, à quo ſtudiis animum addixiſti tuum, literaſque addiſcere cæpiſti magno fervore, & alacritate. Exordiū.

Verùm quoniam ſubvereor, ne, ut diuturnitate res aliæ ſolent remittere, tuus quoque fervor ſit repuerit aliquantulum. Statui novis eum ſubjectis igniculis inflammare, teque ad continuandum in artibus liberalibus laborem exſtimulare. Propoſitio.

Et quidem ipſe tu tibi deeſſe non deberes, tua enim res agitur; cui enim proderit literas te noſſe? diſciplinarumque peritiam eſſe adeptum? tibi aras tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem & metes: te non alium me herculè, è ſordibus egeſtatis, & lacernæ dedecore ad opulentum evehent ſtipendium, nec alteri cedet is honor, quem in eminentiori poſitus dignitate conſequeris. Confirmatio.

Hæc meditare, hæc cogita, & niſi ejus ſis animi, qui inglorius & turpi oppreſſus egeſtate ſemper vult delitere, excita temetipſum ad alacriter ferendas, quas literæ ſecum afferunt moleſtias. Epilogus.

Vale.

EPISTOLA

Qua Familiaris familiarem invitat ad Bacchanalia.

IN *Exordio* dices te gaudere de præsentia Bacchanaliorum ; ideò ut tecum Amicus lætetur illum in *Propositione* invitabis. In *Confirmatione* profers causam cur illum invites v. g. ut, cùm aliàs inter studia multas molestias, curas & tædia habeat, per lætitiam animum suum oblectet, & genio liberaliùs indulgeat. In Epilogo illum invitabis, vel potiùs adhortaberis ut hoc faciat.

Exordiũ. Imminent, ut vides, festivissimæ Bacchi feriæ, quæ cùm magnorum sint matergaudiorum, non possunt non mihi jucundissimæ gratissimæque accidere : nec enim saxo durior sum, qui his non movear oblectamentis : nec ejus sum animi, qui cum Heraclyto deplorem omnia. Mei persimilem

Propositio. cùm te esse cupiam, amicorum meorum intime, has ad te adhortatoris munere functuras expedivi, quibus adducaris ad feria pauxillum removenda. Satis enim ea mentem

Confirmatio. mordent tuam reliqua anni tempestate, quâ non nisi molestissima inter chartarum negotia pallescere, ex iis prosilientes haurire cogeris pulveres, unde non pauca laborum fastidia, animique continuo intenti lassitudines, quæ stomacho parum faciunt, procreantur, idque

idque potissimum, si nulla interposita quiete, aut animi relaxatione ea prosequaris; corporis enim sanitas maximopere læditur, animi vero alacritas ac vigor in melancholicum (quo nihil pestilentius) degenerat humorem. quare si quandoque dandum aliquid hilaritati, nunc commodissimum adest tempus, & ad lætitiam omnino natum; utere igitur occasione, pro libris chartarum folia, pro calamis scyphos assume, & quos hausisti pulveres Scholasticos, largiori Baccho ablue. Epilogus.

Expectant curæque catenatique labores
Gaudia non remeant, sed fugitiva volant.
Hæc utraque manu, complexuque assete toto
Sape fluent imo, sic quoque lapsa sinu.

Nota *Transitiones* in hoc Epistolarum modo esse faciles; cùm enim in Confirmatione detur causa, valent particulæ causales, nam namque enim etenim, siquidem & cum ex causa aliquid inferatur in Epilogo, valent particulæ illativæ, quare, quam ob rem, quapropter &c. Quæ etiam plerumque pro accessu ad Propositionem serviunt. Reliquas transitionum formulas vide in fine partis 3.

Annecto tabulam Calendarii Romani pro Epistolis Ciceronis.

TABELLA CALENDARII ROMANI.

	Martius.	Aprilis	Majus.	Junius.	Julius.	Augusti	Septemb.	Octobr.	Novem.	Decemb.	Januar.	Februar.
Calendis,	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
6. Nonas.	2		2		2			2				
5. Nonas.	3		3		3			3				
4. Nonas.	4	2	4	2	4	2	2	4	2	2	2	
3. Nonas.	5	3	5	3	5	3	3	5	3	3	3	1
Pridie Nonas	6	4	6	4	6	4	4	6	4	4	4	2
Nonis.	7	5	7	5	7	5	5	7	5	5	5	3
8. Idus.	8	6	8	6	8	6	6	8	6	6	6	4
7. Idus.	9	7	9	7	9	7	7	9	7	7	7	5
6. Idus.	10	8	10	8	10	8	8	10	8	8	8	6
5. Idus.	11	9	11	9	11	9	9	11	9	9	9	7
4. Idus.	12	10	12	10	12	10	10	12	10	10	10	8
3. Idus.	13	11	13	11	13	11	11	13	11	11	11	9
Pridie Idus.	14	12	14	12	14	12	12	14	12	12	12	10
Idibus.	15	13	15	13	15	13	13	15	13	13	13	11
19. Cal. mens. seq.						14	14			14	14	12
18. Cal. mens. seq.		14				15	15		14	15	15	13
17. Cal. mens. seq.	16	15	16	14	16	16	16	16	15	16	16	14
16. Cal. mens. seq.	17	16	17	15	17	17	17	17	16	17	17	15
15. Cal. mens. seq.	18	17	18	16	18	18	18	18	17	18	18	16
14. Cal. mens. seq.	19	18	19	17	19	19	19	19	18	19	19	17
13. Cal. mens. seq.	20	19	20	18	20	20	20	20	19	20	20	18
12. Cal. mens. seq.	21	20	21	20	21	21	21	21	20	21	21	19
11. Cal. mens. seq.	22	21	22	21	22	22	22	22	21	22	22	20
10. Cal. mens. seq.	23	22	23	22	23	23	23	23	22	23	23	21
9. Cal. mens. seq.	24	23	24	23	24	24	24	24	23	24	24	22
8. Cal. mens. seq.	25	24	25	24	25	25	25	25	24	25	25	23
7. Cal. mens. seq.	26	25	26	25	26	26	26	26	25	26	26	24
6. Cal. mens. seq.	27	26	27	26	27	27	27	27	26	27	27	25
5. Cal. mens. seq.	28	27	28	27	28	28	28	28	27	28	28	26
4. Cal. mens. seq.	29	28	29	28	29	29	29	29	28	29	29	27
3. Cal. mens. seq.	30	29	30	29	30	30	30	30	29	30	30	28
Pridie Cal. m. seq.	31	30	31	30	31	31	31	31	30	31	31	

Cæterum notitia veteris Calendarij Rom. consistit in his.

1. Sciendum, primam mensis diem Calendas dici; reliquos dies usque ad Idus Nonas: indè sequuntur octo dies Iduum; post illos numerus dierum usque ad Calendas mensis sequentis, à quo etiam nomen accipiunt v.g. decimo sexto Calendas Augusti, dices 17. Julij nostratis Calendarij, & est sensus: decimo sexto die ante Calendas, seu ante Augusti.

2. Sciendum quòd aliqui menses habeant sex Nonas, aliqui verò tantùm quatuor quinam sint disce ex versu sequenti: Sex Nonas Majus, October, Julius, & Mars.

Quatuor ad reliqui: dabit Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes dic esse Calendas.

Addito videlicet nomine sequentis mensis, ad cujus primam diem (ipsammet includendo) quot supersunt, tot pro numerando assumi debent post idus: ut si supersunt octodecim, simul adnumerando primam sequentis, dices decimo octavo Calendas N. ut autem noris, quot supersint, tenere te oportet, quot quisque mensis dies habeat, quod te hi versus docebunt.

Ju-

Junius, Aprilis, Septemque Novemque
Tricenos:
Unum plus alii, viginti Februus octo.

3. Sciendum retrogradè procedi in numerando: v.g. sexto, quinto, quarto Nonas &c. Octavo, septimo, sexto &c. Idus. Decimo octavo, decimo septimo, decimo sexto Calendas. Ubi vero ponendus esset numerus secundus, ponitur *pridie*. v.g. pridiè Nonas, pridie Idus, pridie Calendas. His igitur præcognitis vide quot Nonas habeat? si sex; tum post Calendas dices sexto Nonas, & sic deinceps retrograde. Si quatuor, quarto Nonas. Nonis finitis dices octavo Idus, & sic ulteriùs retrogradè numerando. Post Idus, vide quot superstint dies, usque ad primam sequentis inclusivè: quod facilè occurret, si quot quisque mensis dies habeat, ex prædicto versu annotaveris. Quapropter si mensis habeat triginta unum diem & sex Nonas (uti habet Martius, Majus, Julius, October) à decimo septimo incipies numerare, qui incidet in nostratem decimum sextum. Quod si mensis habeat triginta unum diem & solùm quatuor Nonas (uti December Januarius Augustus) à decimo nono incipies numerare retrogradè, qui incidet in nostratem decimum quartum. Si verò habeat quatuor Nonas, & triginta dies (ut Aprilis, Junius Septem-

ber

ber, November) incipies retrogradè computare à decimo octavo , qui incidit in noſtrum decimum quartum. Februarius cùm ſingulare quid habeat , maximè in anno bis-ſextili obſervandus erit.



PARS

PARS QUINTA.

Supplementum ad lib. 1. c. 33.

De Amplificatione.

DE hac tractat Cyprian. Soarius lib. 1. post locos explicatos, eò quòd ex locis materiam desumat amplificatio. Verum quia non illis solis assurgit, sed quam maxime figurarum apparatu, utpote quæ sinè illis confici non potest, ideo ad faciliorem Tironis praxim, quam potissimùm specto, hunc ei locum reservavi, salvo interim Authoris judicio, qui ordinem doctrinæ secundum materiam prosecutus est.

§. 1. *Quid sit & quibus modis fiat amplificatio.*

Tria, ut principio libri 3. dicitur, Oratoris sunt officia. Primum docere, secundum delectare, tertium movere: Docere (verba sunt D. Augustini lib. 4. de doctr. Christiana c. 12) propter ignaros; delectare, propter plurimos, veritatem, nisi adjungatur dicendi suavitas, fastidientes; movere propter duritiem.

Et doctrina quidem est omnino necessaria, quia ignorata agi non possunt, delectare verò non est necesse, nisi ad attentionem Auditoris

toris fastidientis; & movere, ad duritiam cordis. Quâ verò ratione hæc tria efficiat, Orator declarat c. 13. dum ait. Docet argumentis, delectat pulcherrimarum rerum novarum, atque variarum elocutione, movet amplificationibus. Sic ille: Non est autem *amplificatio oratoria*, quoties pluribus verbis, aut rebus sententia aliqua vel argumentum exponitur, sed quoties vi, atque ariete quodam congestis in unum argumentis, aut figuris impellitur voluntas, ut victam se dedat Oratori. Prior illa *amplificatio vulgaris* est à Tironum vulgò sic nominata, & dicitur fusior propositionibus alicujus, vel argumenti explicatio, vel deductio; Hæc *oratoria* propriè, ut quæ ab Oratoribus hoc nomen sola consecuta est, & definitur: quod sit *exaggeratus quidam eloquendi modus ad inclinandam & flectendam voluntatem ordinatus*: In hoc enim sita est, ut. quæ videntur parva, extollat, & magna minima efficiat, laudando augeat, vituperando deprimat; undè fit vel ad augendum, vel minuendum. Differt autem à Confirmatione, quòd hæc dilucidâ argumëntorum expositione ad solius intellectûs assensum tendat, quamvis modicè voluntatem attingat per scintillas quasdam affectuum hinc indè projectas. Amplificatio verò tota est ad motum & assensum voluntatis; nimirum, ut id, quod intellectus agnovit ita se habere, voluntas ad ejus fugam, vel amplexum reipsâ

feratur: potest enim te ab intellectu agnitâ, & comprobatâ; reluctari voluntas (quod enim sunt qui agnoscunt rem esse fugiendam, peccatum v. g. ebrietatem, & tamen fugere nolunt) unde cò eniti oportet artem Oratoris, ut convicto intellectu, etiam voluntatem convincat, & flectat. Quem in finem adhibetur post argumentorum expositionem in confirmatione factam, amplificatio, estque velut confirmationis confirmatio, aut saltem voluntatis, sicut illa intellectûs, Quintiliano anima, atque spiritus Orationis, l. 6. c. 2.

Non fit autem elatione vocis duntaxat, inconditisque clamoribus, non manuum compositione, non validâ pulpiti percussione, non corporis agitatione, non larvarum, aut calvarum ostentatione, ut ostendit P. Balbinus in Quæsit, Orator. simpliciores hæc pernicellere possunt, sapientioribus autem risum, aut stomachum movere. Verum

Amplificatio fit 1. eorundem locorum (ex quibus argumenta petuntur pro Confirmatione) usu, atque operâ; non quidem omnium, sed eorum duntaxat, qui multa in una aliqua re continent, ut definitio aut descriptio Rhetorica, partium enumeratio, similitudo, contraria, pugnantia, adjuncta, antecedentia, causa, effectus. Unde serviunt definitiones conglobatæ, & descriptiones, partes ejusdem rei affatim recensitæ, congeries similium, contrariorum effectuum, &c. Valet etiam, si plura ex diversis locis in unum con-

geran-

gerantur, ita ut una, eademque res ex pluribus locis strictim probetur: quòd enim rebus divisim positis non potest Confirmatio, hoc in unum collectis efficit amplificatio, cum virtus unita sit fortior, quemadmodum militum turma, aut manipulus validior est, quàm si iidem dispersi in hostem immitantur. Quam ob rem in Epilogo, ubi potissimus amplificationi locus est (quanquam & post rem aliquam narratam, vel expositam, brevis affectus tanquam telum vibrari solet) colligi breviter in unum solent argumenta, in quibus fusè, atque separatim versata est confirmatio, ut illa dilucidè ad captum, & assensum intellectûs proponeret: Quæ cùm jam intellecta, & comprobata supponat epilogus, *strictim* ea unum in cumulum conjicit ad majorem impetum, quo à voluntate extorqueat assensum. Dixi, *strictim*, alioquin enim epilogus altera erit confirmatio; unde neque opus est ut omnia referat, sed potiora quæ magis deserviant ad affectum intentum. Sed & alio figurarum colore proferenda, ut eadem cùm sint, tamen cùm tædio non audiantur, velut si alia forent. Exempla hujusmodi habet Cyprian. l. 1. à c. 34. P. Masen in Palæstra Oratoria. Et ex SS. Patribus P. Franc. Romanus in Sacro Ecclesiaste lib. 2. sect. 3, c. 2. Ego in re abundanti nolo esse longior. Obvius est Causinus, apud quem exemplis plena omnia lib. 5. & lib. 8. Apud quem etiam post librum 5. invenies indicem

alphabeti ordinem digestum, & collectum ex Cicerone.

Secundò amplificationem, & motum generant tropi atque figuræ verborum multæ, sententiarum pleræque. Neque modo figuræ, verùm etiam verba ipsa grandia, plena atque sonantia, epitheta, Synonyma & de quibus lib. 3. fusè actum est, quemadmodum & de numero Oratorio: in quo tamen cavendum est, ut monet M. Augustinus l. 4. de doctr. Christian. c. 14. nè, dum divinis gravibusque sententiis additur numerus, pondus rebus ipsis detrahatur. Si quando, tum maximè ars dissimulanda est, & tegenda, ne illius gratiâ abstractus auditor rebus ipsis non advertat animum.

Hic nota Quintilianum l. 8. c. 4. quatuor assignare amplificandi modos. *Incrementum* cùm gradatim crescit, aut decrescit Oratio, eò quòd majora minoribus subjiciantur, aut contrà. *Comparationem*, ut ex minoribus majora appareant, aut è converso, ex majoribus minora. *Ratiocinationem*, cùm unum ex alio colligimus, & inferimus, ut ex signis rei magnitudinem, ex antecedentibus consequentiam. *Congeriem* denique, cùm multa ejusdem rei adjuncta, vel effectus ac cumulantur, ut Jobi patientia ex tot malis coacervatis, quæ passus est. Sed hi modi nascuntur tanquam soboles ex prædictis, *fiunt* enim *usu locorum*, & *figurarum*.

§. 2.

§. 2. *Monita circa effectus excitandos.*

Jam insinuavi motum (sic affectus dicitur, quod illo voluntas, aut animus moveatur) non esse concitandum, nisi post rem expositam, & brevem quidem, post rem aliquam narratam, aut uno; vel altero argumento probatam; longiorem verò, atque validissimum in, vel ante perorationem.

Præterea advertendum, non esse locum amplificationi in re qualibet; si enim minoris sit momenti, quid ageret amplificatio, nisi ut elephantem faceret ex musca cùm indignatione Auditorum. Unde monet Author, ut ad amplificationem adhibeantur, quæ vel *naturâ suâ*, vel *usu & æstimatione* hominum sunt *magna*: naturâ quidem, ut cœlestia, divina, quæ causas admirabiles, minusque notas habent: usu verò, quæ hominibus videntur prodesse, aut obesse vehementius, ut religio, salus animæ, vita, res familiaris, bonum nomen, pax, patria, parentes, &c. Rursum attendendum, quo affectu homines, ad quos dicturus es, moveantur, & ducantur, quidam enim honestate, & alii utilitate, alii jucunditate capiuntur. Aliis rebus juvenes, aliis senes, aliis viri, aliis fœminæ, aliis barbari moribus, & feri, aliis culti, & urbani, aliis nobiles, aliis rudes, aliis sapientes, & docti. Hinc cognita Auditorum dispositione cogitandum, quibus argumentis, & figuris affectus ille excitari posset: apta esca pisci jaciendа in hamo, ut capiatur, cùm non cuilibet sit

eadem. Hinc non inutilem se suscepisse laborem sunt arbitrati, qui naturas, & mores hominum descripserunt in Oratoris institutione ut P, Franc. Romanus in sacro Ecclesiaste l. 2. sect. 3. c. 4. P. Masen in Palæstra Oratoria. P. Causinus l. 12. c. 3. & 4. Atque ut rem redderent faciliorem Oratori, declararunt iidem, quâ ratione, & modo quilibet in particulari affectus suscitari, aut everti possit, v. g. amor, odium, timor, tristitia &c. Vide Causinum l. 8. toto. P. Masen loc. cit. & P. Roman. c. 3. ex quo solum breviter adjicio, quæ habet de *motu delectationis* lib. cit. sect. 4. quam per universam dictionem admiscere debet Orator. Nam ut ait Quintilian. qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt. Et teste S. August. qui declaratione est affectus, facilè, quo volueris, ducitur, nemo flectitur, si molestè audit. Fit autem universim loquendo Per res, quæ animi facultatem aliquam, aut sensum voluptate afficiũt. v. g. intellectum res novæ, variæ, admirabiles, occultæ, acutæ, inexpectatæ, jucundæ, ut sunt fabulæ, historiæ rei propositæ defervientes, concinna rerum inventarum dispositio, & ordo. Voluntatem, bonum, pulchrum, amabile. Virtutis, & honoris fulgor, doctrinæ dignitas, utilitas, decor. Appetitum sensitivum bona præsentia, aut futura delectabilia cum securitate omnis mali absentis, quemadmodum in Cœlis eveniet. Quæ externos sensus demulceant nemo nescit, ut florida prata, horti peramœni

de motu delectationis ad attentionem requisita.

amœni, concentus Musicus, dapes opipatæ. Hinc delectant illustres Metaphoræ, allegoriæ, descriptiones, prosopopæjæ, similitudines &c. Quibus res non tàm referri, quàm sentiri oculis, auribus, reliquisque sensibus videtur. Aurium autem singulare delicium est ad numeros Oratoris aptè concinnata oratio, planè suaviterque decurrens atque cadens, cui & vox pronunciantis sit conformata: oculorum verò actio, atque gestus ad vivum omnia repræsentans. Hic

Notandum venit, ut absint profani amoris, & corporeæ pulchritudinis exempla, proprietates, descriptiones; hæc enim naturam ad vitium aliunde proclivem irretiunt, & maculant. Absint item sales, & joci rustici, atque inconditi; hæc enim dedecent virum gravem, qualis est Orator. Denique affectatio in verbis exquisitis nimium, ut poëticis, & antiquatis in manifesta ornatûs affectatione, & spumeo verborum apparatu, in pronunciatione, & gestu; odiosa est enim omnis affectatio, & assentatio. Addendum hoc loco censui de admiratione, quæ ad attentionem requiritur, & sine qua, ut ait Cicero de claris Orator, eloquentia nulla est. Oritur hæc primò ex ignoratione: miramur enim effectum, cujus causam nescimus: Deinde ex rei magnitudine, & excellentia, quæ sublimior esse demonstratur, quàm communis fert opinio. Item ex rei novitate, atque insitata procreatione, cujus inconsideratio

De admirationis affectu.

facit, ut etiam miracula assiduitate vilescant. Parit & admirationem in rebus simplicibus, atque notis sola Oratoris ars, in artificiosa, atque inexpectata causarum redditione, in non vulgari pronunciatione, & gestu, quo non admiratio solùm, sed & plausus excitari solet. Figura sustentationis, seu suspensionis hic frequens est, quando præfatur Orator, non esse tàm facile rei præsentis reddere rationem; unde refellit eas, quæ afferri possunt, aut afferuntur, neque esse tam vilem pro ut existimatur, vel absolutè vel facta comparatione cum aliis. Postremum est, quod monitum velim Oratorem, ut deducta jam ad longum confirmatione, dispiciat, quis affectus materiæ congruat. An amoris, odii, imitationis, fugæ &c. Quomodo rei illi affecti sint Auditores, quænam obstacula illis ex animo evellenda (quæ per modum objectionis proponuntur, & confutantur per figuram anteoccupationem) ad hunc affectum, & quibus igniculis subjectis, aut quo ariete excutiendus sit? Ad elocutionem plurimum juvat rem probatam meditatione expendisse, atque in se affectum illum excitasse, tum enim affectu in meditatione hausto tumida, aut ardens scribetur amplificatio. Hoc ipsum præstare potest attenta lectio Authoris, v. g. Ciceronis aut Chrysost. qui affectum illum tractavit: (exempla videri possunt apud Causinum, l. 8. & 16.) sic enim imbutus atque inflammatus animus similia effundet. Ex quo & hoc eveniet, ut in agendo, pro-

& pronuntiando res ab animo procedere videatur, itaque nos sentire, quemadmodum loquimur, quod ad motum non parum confert. Unde monet Quintilianus. Non agamus rem quasi alienam, sed assumamus parumper illum dolorem &c. Quia, ut Horatius in arte : si vis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi. Unde ut iterum Fabius loquitur, summa circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur & ipsi, quod optimè, ut dixi, meditatione, atque lectione perficitur.

SUPPLEMENTUM II.

ad lib. 2. à cap. 1.

De ordine seu dispositione partium in Oratione.

De dispositione argumentorum adinventorum actum est suprà mox post locos explicatos, idque propter faciliorem Tironis praxim, ut adverteret, quid post excogitatum argumentum facere ipsum oporteat, nempè in aliquam argumentationis formam redigere, tum verò oratoriè eloqui. Dissimulata est interim totius orationis dispositio, quò videlicet ipsas argumentationes referre oporteat, eò quòd satis videatur tempestivum, ipsum hôc nosse, postquam in quorumlibet argumentorum inventione, argumentatione, & elocutione satis versatus est : non secus atque Tironi in arte pingendi satis est aggredi totius corporis efformationem, postquam in par-

partibus singulis expingendis satis est versatus. Et verò quemadmodum huic designare totius hominis imaginem principio, est imaginationem ejus confundere, cùm nescit quid primùm, & quomodo unumquodque sit effigiandum, sic,& Tironi evenit Eloquentiæ, veluti compertum est in iis, quibus mox initio Rhetoricæ totius orationis thema assignatum est. Nimirum alius ordo, doctrinæ est, alius praxeos, quippe alius ordo in intentione alius in executione. Unde etiam juxta doctrinam Ciceronis ultimo excogitandum exordium, quòd primò faciendum, & dicendum. sed in mea causa satis, ad rem àccedo, in qua cùm præter palatium eloquentiæ, Causinum, P. Masen, & P. Martinus Ducygne, & P. Pompeii in Candidato Eloquentiæ jam propè omnia expressérint, breviter ponam, quæ Authori congruunt, ne in re necessatia & ultimatè intenta Tironi defuisse videar.

§. *I. De Exordio Orationis.*

Oratio est sermo constans exordio, narratione, confirmatione, & epilogo. Quatuor igitur ejus sunt partes, de quibus jam aliquid dicturus sum. *Exordium est* ingressus quinam ad rem quæstionemve, quam tractaturi sumus; disponitur enim per illùd Auditor ad benevolè, attentèque audiendum. Unde concilianda attentio, & benevolentia. Et in causa quidem, seu quæstione & materia honesta, utili, magna, per se benevoli & attenti sunt. Non item in dubia obscura, & humili, dubia enim

enim cùm habeat rationes in utramq; partem, potest fieri, ut auditor contrariâ nostrâ sententiâ sit præoccupatus, ideoque benevolè trahendus, ut affectum sensumque suum deponat. Obscura verò causa, cùm fortè nec quoad quæstionem intelligatur, negligitur. Humilis autem, cùm vilis sit, vilipenditur, unde ut de iis audiatur orator, *attentionem* excitare necesse habet. Quandoque etiam *insinuatione* opus est, quando causa sic est admirabilis, ut appareat incredibilis, aut falsa, aut erronea, quod itidem factu opus est, quando materia quæstionis turpis videtur esse. *Est autem insinuatio* exordiendi ratio, & modus, quo non apertè proponimus quid dicturi simus, sed per ambages, & cuniculos, quibus callidè affectum, & sensum auditoris occupamus, ut hac super re nos audiat: quod etiam factitandum toties, quoties Auditores fatigati sunt audiendo, modis lib 2. c. 3. præscriptis. Est igitur insinuatio quando occultè paratur benevolentia, & attentio. Quando autem apertè *principium* Ciceroni dicitur. Ex his patet exordiorum hoc sæculo exiguam esse necessitatem, cùm enim ultrò veniant Auditores, ad audiendum de re præsertim jucunda, grata, utili, honesta, libenter audiunt. Unde sufficit, si reddantur dociles, factâ rei clara, & apertâ propositione, de qua acturi sumus. Ne tamen sine petita audientia irruere videamur in aurium fores velitationis instar, aut præludii Musici, præmittitur aliquid quod

cum

cum re, de qua acturi sumus connexum est, ex quo aptè & sensim ad propositionem delabamur. Cavendum nihilominus in his, nè offendatur animus, & aures auditoris in principio. Unde rectè monetur c. 4. ùt *exordia* sint *accurata*, id est, elaborata studio, & diligentiâ, ut sint *acuta*, id est, ingeniosa, inexpectatum aliquid, vel quoad materiam, vel formam habeant; sint *instructa sententiis & apta verbis*, id est, habeant figuras verborum & sententiarum, quibus lenes cieantur affectus, numerumque Oratorium, quò ad illicium aurium aptè cadant verba. Sint *Causarum propria*: id est ex visceribus quæstionis, seu ex prædicato, & subjecto quæstionis fiant. Unde assumendum pro ingressu tale quid, quod per se, & ex natura sua connexum est cum quæstione, seu propositione; non verò quod remotum est & longè petitum, ut velut per crines trahendum sit ad rem proponendam. Servit hic quæstionem finitam revocare ad infinitum seu thesin ut probaturus S. Ignatium beneficium fuisse per litterarum restauratum vigorem, formatis hunc syllogismum. Beneficio reddendæ sunt gratiæ, sed S. Ignatius fuit beneficus per litteras restauratas, ergo. Propositionem seu majorem sume pro exordio. Minorem pro confirmatione, demonstra singula, & aptè connexa erit confirmatio, & propositio cum exordio. Valent etiam hic adjuncta temporis, loci, solennitatis, personarum, quæ dicit, & ad quam considerata

rata. Item contraria, ut vitium cum sit turpe, virtus erit laudabilis. Quæ ab exemplis, proverbiis, sententiisque, aut symbolis ducuntur exordia, ex loco sunt intrinseco causæ, ideoque non ex visceribus. Si tamen assumantur, videndum, ut apta fiat, & connaturalis, non violenta applicatio. Hinc *vitiosa exordia* sunt *vulgare*, *commune*, *commutabile*, *longum*, *separatum*, *translatum*, & contra *præcepta*. Vulgare, est, quod ad alias orationes etiam valet, non tamen pro adversarii causa. Commune autem est, quo etiam adversarius uti potest pro sua causa, seu quæstione, ità tamen ut nihil mutetur; quod si enim mutetur aliquid, dicitur Commutabile. Longum est, quod debitam proportionem excedit: proportio sumenda est ab homine: caput exordium est, corpus confirmatio; monstrosum est exordium, quod propter parvitatem, aut magnitudinem corpori non conformatur: separatum est, quod neque ex natura sua, neque per artis applicationem convenit cum statu quæstionis, & propositione. Translatum est, quod non tantùm non est ad propositam quæstionem, sicut separatum, sed ex quo planè toto cœlo aliud quid sequitur. Denique contra præcepta: quod suo loco, & tempore non observat leges, quæ de concilianda attentione, benevolentia, insinuatione &c. dantur.

Nota propositionem, & insinuationem, si quando ea utendum est, non esse partem oratio-

tionis, sed partem exordii; propositio autem est pars exordii per se, quia semper necessaria ad docilitatem, insinuatio autem per accidens si nimirum materia sit admirabilis, & turpis.

§. II, *De Narratione.*

Narratio est oratio exponens rem factam, vel quasi factam, dixi, quasi *factam*, ut & fabulæ comprehendantur sub illa. Est duplex: alia simpliciter necessaria, sine qua causa seu status quæstionis explicari non potest, ut fit in genere judiciali, exemplum est in Miloniana. Alia secundùm aliquid necessaria, ut dum in genere demonstrativo virtutes probamus per res gestas, quas referimus, cujus exempla invenies in plerisque orationibus Peripiniani, Tarquinii, Gallutii, Mureti, Vernulæi &c.

Vitia narrationis sunt 1. si res nimis enucleentur, & à primis principiis arcessantur, narrenturque cum otiosis adjunctis, ut si narrare velles, quâ ratione Julius Cæsar dictaturam perpetuam invaserit; ordiaris dicere de Romuli & Remi origine, prima Romæ constitutione, præterea adjungas, quâ ratione milites tractare solitus fuerit, quæ domi privatim cum civibus, & exteris solitus sit facere, quæ omnia ad rem nec augendam, nec minuendam faciunt. 2. Vitium est, si crebræ nimis parentheses, & prolixæ adhibeantur; ut, si narres raptum Helenæ, interponas per parentheses, quanta bo-

na

na & mala ex navigatione orbi proveniant. Hæ digressiones otiosæ sunt. 3. Verborum, sententiarumque Ambiguitas. ut Ajo te Aaciden Romanos vincere posse, quod Pyrrho responsum est ab oraculo Delphico. 4. quando personæ & res diversæ simul narrantur, & confunduntur, ut Auditores non satis intelligant, ab hocne potiùs, vel ab illo. hoc vel illud factum sit. Oportet videlicet, ubi plura narranda sunt, non omnia in unum congerere, & miscere, sed partiri & ordine referre. 5. si narrentur incredibilia: talia autem etiam sunt, quæ vera sunt, si sint suprà captum eorum, apud quos narras; ut si apud imperitos Matheseos narres currus inventos esse. qui velit & vento acti tanta ferant pondera, quanta ab equis tracti: dicas præterea Maris arenam, totius Messis grana, guttas Oceani numerari posse. Hæc etsi certissimo possint, rudes tamen, quod non capiant, non credunt. Afferenda sunt igitur quæ probabilia putat Auditor. 6. est dictio humilis, & obscura; ut si crimen atrox, & cruentum expressurus dicas: videte & obstupescite grande facinus, hic musculus panem rosit. 7. ejusdem rei crebra repetitio; ut si mera incendia & flammas adferam, quasi res aliter exprimi non posset.

Inter virtutes narrationis prima est brevitas: est autem brevis narratio quæ nihil continet, quô detractô, sensus idem, eademque.

demque claritas narrationis mutetur ; etsi in magnam molem excreſcat. E diverſo longa eſt narratio pauculis etiam contenta, ſi intrudantur ſuperflua, id eſt, quæ ſine damno ſenſus, & claritatis abeſſe poſſunt. 2. *Virtus* eſt perſpicuitas, quæ elucet ſi utamur verbis propriis rem clarè & ſimpliciter exprimentibus : aut certè ſi tropis & figuris utamur, ſic utamur, ut rem non obſcurent, aut reddant ambiguam, ſed potius declarent 1. *Eſt probabilitas*, poteſt ea juxta Ciceronem peti ; & à nomine perſonæ, ut Cicero pro Roſcio Amerino, num. 17. Nam duo iſti ſunt &c. 2. à natura ejus, de quo narratur, an videlicet timidus ſit, an audax ; bonus an malus, doctus an ignarus, ut pro Milone, numer. 25. ubi vidit &c. 3. ab educatione, ut pro Amerino numer. 11. 12 & 13. Unus in re paulò minus conſideratus &c. 4. a fortuna, ut à nobilitate, vel obſcuritate, an dives ſit, an pauper, ut pro Amerino, numer. 15. Sextus Roſcius &c. 5. ab affectione, ſeu quibus ille motibus laborare ſolet, ut pro ligatio, numer. 3. quæ audita, &c. 6. à ſtudio ſeu animi applicatione, ut pro Archia, numer. 5. Ut primùm ex pueris exceſſit. 7. è facto, ut pro Milone, numer. 24. Subitò reliquit. 8. ab ejus dictis, ut pro Milone, numer. 25. palàm agere cæpit, &c. 9. à caſu, ut pro Ligatio n. 5. bellum ſubitò exarſit, 10. ab ætate ; exponendo an ſenex, an juvenis. Fit etiam probabilis

babilis à tempore & loco ; item si exponantur bausæ facti , item si adducantur , quæ cum opinione hominum sunt conjuncta : quæ omnia patent in Miloniana. Non mediocre autem pondus habet , auctoritas narrantis , & nota vita , de quo narratur , ut Cicero de Verre &c. 4, *Virtus narrationis est suavitas.* quæ adest , quando magna , nova , inaudita adducuntur. ut Philip. 3. numer. 3. Cajus Cæsar. Pro Cluentio. num. 15. ô mulieris scelus ? &c. 2. conducunt subjectiones inexpectatæ , ut pro Cluentio numer. 12. Cùm essenteæ nuptiæ &c. Frequentissimum est hoc in Verrinis , ut cùm Cicero dicit : quid putatis eum fecisse ? fortassis expectabitis furtum ? aut expilationem aliquam ? &c. postea subijcit aliquid , quod gravius est. 3. exitus inopinati, sive læti , & felices, sive tristes , & luctuosi magna gratiâ afficiunt orationes. 4. animi motus , seu affectus narrationi interpositi : quod fieri potest dupliciter : vel enim ejus affectus narrantur de quo nobis sermo est, quâ v g. irâ, libidine &c. hoc egerit vel certè ipsi inter narrandum concitamus in auditoribus motus ; ut Cicero pro Cluentio numer. 12. & pro Roscio. numer. 74. apud Quintilianum declamat. 6. 5. Colloquia personarum per sermocinationem in narratione inductam , ut in Verrin. 3. numer. 63. oppidum est in Helesponto , &c.

§. 3. De *Confirmatione in qua & Confutatio.*

Huc referuntur argumenta, quæ ad fidem faciendam pro ſtatu quæſtionis ſunt excogitata. Si quæſtio ſit infinita, poſſunt poni eo ordine, quo poſiti ſunt loci : Si ſit finita, tum juxta caput 15. lib. 2. ponuntur firmiſſima in principio quæ excellunt, in extremo loco, mediocria in medio, vitioſa nullibi. Poteſt etiam obſervari ordo temporis, ut in exornatione perſonæ, agi poteſt de rebus ante vitam, in vita, poſt vitam geſtis, vel ordo naturæ aut dignitatis : ſolemus à levioribus & facilioribus ad graviora & difficiliora; à planioribus, & notis ad obſcuriora, & intricata, à minoribus ad majora progredi. In refutationibus ordo plerumque ſervatur ab adverſario conſtitutus. Non differt autem confutatio ab ipſa confirmatione, quippe dum aliena refellimus, noſtra confirmamus, patet id in Oratione pro Murena. Confutari ſolent argumenta adverſarii, ſi oſtendatur repugnantia quoad tempus, aut locum, v. g. cædem factam Romæ ab eo, qui tunc Venetiis fuit, vel quo ad perſonæ indolem & mores, v. g. ab optimè educato, aut divite factum furtum : aut ſi arguatur adverſarius malè intuliſſe : v. g. Milonem inſidiatum eſſe Clodio, quòd publico abſtinuerit, cùm inferri debuiſſet, idcirco publico abſti-

abstinuisse, nè insidias struxisse videretur. Afferuntur & hi refutationis modi à Quintiliano, & Cicerone, & cùm aliqua propositionum negatur, falsitate per aliquam rationem ostensâ, ut Cicero facit in Miloniana: negant fas esse lucem intueri &c. aut cùm iis admissis, conclusio negatur: aut si contra firmam argumentationem, alia æquè firma, aut firmior opponitur; aut elevatione ridentur adversarii argumenta per ironiam, exclamationem &c. Elevantur autem argumenta, quando ostenditur quòd nimis multùm probent; sicut infirmantur, quando parum probare eadem docet Orator. Quæ verò dicendo refutari non possunt, quasi fastidiendo tanquam levia, & refutatione indigna calcamus, aut excusamus per imprudentiam ætatis, sexûs &c. Serviunt hæc ad ea, quæ non tantùm ab adversario objecta sunt, sed etiam quæ objici possunt à populi contrario sensu.

§. IV, *De Peroratione.*

Hæc est totius orationis conclusio. Fit aut enumeratione aut amplificatione. De amplificatione jam dictum est suprà supplemento 1. Enumeratio est brevis repetitio eorum argumentorum quæ in confirmatione deducta sunt, cui tunc maximè dandus locus, quando longior fuit oratio. Et hic quidem cavendum, nè minuta repetantur, sed gravissima quæque, & in quibus momenti plurimum, ac totius causæ firmamentum fuit.

§. V. *Praxis totius Orationis Conficiendæ.*

Suppositâ notitiâ præceptorum, quæ hactenus de locis, argumentis, & argumentationibus, tropis, figuris, & amplificationibus sunt explicata. 1. ex omni rerum farragine, (materia enim Oratoris, sunt res universæ:) seligat aliquam, & de ea quæstionem instituat, v. g. an Rhetorica sit utilis, & jucunda? hanc bene expendat, simplex ne sit, an composita, verbis propriis, an translatis prolata. 2. dispiciat, quibus rationibus, seu argumentis partem affirmativam, vel negativam probet, quæ ut inveniantur, eundem est per locos Rhetoricos, qui sunt argumentorum sedes; ex iis deligat, quæ va-

valentiora sunt, quæ infirmiora, aut dubia reijciat. 3. ex argumentis argumentationem conficiat v. g. syllogisinum, vel enthymema, quorum praxis explicata est supra. 4. Argumentationes certo ordine collocet, ut aciem instruat ad victoriam, seu persuadendum, quis autem ordo servari debeat jam dictum. §. 3. Ubi tamen te monitum iterum velim, ut argumenta quæ ad fidem faciendam, seu convincendum intellectum tantùm faciunt, confirmationi inserantur; quæ ad motum seu assensum voluntatis epilogo, aut post rem probatam; quæ benevolentiæ,& attentioni conciliandæ deserviunt, exordium occupent. 5. accedat elocutio argumentorum,seu deductio per tropos, figuras, & numerum oratorium. Illud autem potissimum amplificetur, quod est robur potissimum nostræ sententiæ ad persuadendum. Denique advertat, quis stylus seu character ac genus dicendi, materiæ & fini tuo conveniat juxta dicta de triplici dicendi genere post numerum Oratorium. Porrò an compositio re ipsâ ab exordio vel à confirmatione sit inchoanda,relinquitur cujusque arbitrio. Quintilianus cum Antonio a confirmatione incipiendum existimat.

* *
*

PARADIGMA
Praxeos dictæ.

SEU

ORATIO,

In qua probatur S. Ignatium Societatis Jesu auctorem gratitudinis titulo colendum, quod litterarum florem & splendorem reduxerit.

Itaque

QUæstio erit, an S. Ignatius titulo gratitudinis sit colendus? Pro affirmativa parte affertur *Ratio seu argumentum* ab effectis: quia litterarum florem, & splendorem reduxit. Hinc sequens conficitur Syllogismus. Gratitudo pro beneficiis est præstanda, sed S. Ignatius ingens contulit beneficium, Ergo illi gratitudo præstanda est Ratio quæ pro demonstranda propositione, seu *majore* tractatur, est, quia gratitudo est virtus quemvis hominem decens, & ab ipsis brutis exercita; Ingratitudo autem vitium turpissimum. Assumptio, seu *minor* probatur, quia litterarum vigorem, & splen-

splendorem orbem orbi restituit. Sed hoc ingens est beneficium, quod probatur iterum, & quidem argumento triplici. 1. Ex artium liberalium præstantia secundum se. 2. Comparatione cùm aliis bonis, quæ omnia litterarum peritia superat. 3. Quia litteræ ex instituto S. Ignatii gratuitò docentur.

Dispositio est hæc. Major syllogismi *principalis* tractatur in exordio cum suis probationibus. Minor itidem cum suo triplici argumento in Confirmatione, Complexio in Epilogo.

Elocutio, seu character dicendi hic erit medius intra infimum, & summum; Non enim in docendo solùm consistit oratio: neque mens est exprobrandi ingratitudinem quibusdam, cùm odiosum sit, sed allicien-di suaviter ad id, quod æquum est, præstandum.

Si quantùm assidui ingenuarum facultatum estis affectatores, tantùm nobilissimæ virtutis cognitionem animô vestrô combibistis. AA. non difficilem hodie nactus sum provinciam, dum gratitudinis studio in D. Pattiarcham Ignatium, vos teneri, ac flagrare concupisco: Promptos enim atque expeditos ad eam complectendam eos esse, est necesse, qui virtutis Exordium.

pretium, ac pulchritudinem cognitam, & perspectam penitus habent. Tanta namque illius est vis, atque potestas, ut formam illius, amabilitatem, & honestatem intuenti, non possit non esse in desiderio, in votis, in amore; quin rapiat unumquemque in sui cupiditatem, & amplexum. Hinc est, quod gratitudinem nemo nisi barbarus, nemo nisi ferus, atque illius ignarus refugit, & repudiat: quippe quæ honestarum inter actionum exercitationes non postrema duntaxat est, sed reliquarum decus, & ornamentum. Ut enim ingrati animi vitium turpissima labe hominem inficit, nulli non odio atque aversioni reddit obnoxium; ità memoris ob acceptam gratiam animus, nulli non reddit amabilem, nullô non favore, ac novis etiam beneficiis condignum. Hæc est una virtus, cum sapientum eloquentissimo, & eloquentium sapientissimo loquor Tullio, non solùm maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives? qui belli, qui domi de patria benè merentes? nisi qui patriæ benificia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes? nisi qui meritam (luperis) gratiam justis honoribus, & memori mente persolvunt? quæ potest esse jucunditas vitæ sublatis amicitiis? quæ porrò amicitia potest esse inter ingratos? quis est nostrûm liberaliter educatus, cui non educa-

oratio. pro plancio n. 80.

Cic. de diis immortalibus habet.

tores;

tores, cui non Magistri sui, atque Doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus est, aut doctus, cum grata recordatione in mente versetur? cujus opes tantæ esse possunt, aut nunquam fuerunt, quæ sinè multorum officiis stare possint? quæ certè sublatâ memoriâ, & gratiâ nulla extare possunt. Equidem nîl tam proprium hominis existimo, quàm non modò beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione alligari, nihil portò tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare, quod ingratitudinis sit vitio. Hæc cùm gravissima Tullii sint effata, quid est quod dicam amplius A Ares; Addã amẽ pace illius. Quando monumentis veterum comperio Androdum, postquam Leoni spinam è pede sustulerat, ab eodem enutritum; Virginem apud sessam urbem, postquam aquilam educârat, ab eadem avibus, & ferinâ pastam; Messorem, postquam aquilam, serpenti implicitam, vitæ periculô exemisset, ab eadem venenato poculo liberatum. Jam enim dicere audeo ingratum, non hominem solum exuisse, sed belluis immaniorem, feris ferociorem, brutis insensatiorem existere. Verùm quid ego vobis A A. Ista recolo, qui hæc, & his plura, studiosâ mente dudum complexi estis. Humaniorum literarum mansuetiorumque Musarum cultores estis, quid à vobis humanitatem re-

Gellius l. 5. c. 4. Plinius l. 8. c. 17. Plinius l. 10. c. 5. Ælianus l. 17. c. 37 de anim.

quiram? quid gratias repoſcam ; quid immane, ac ferum ingratitudinis ſcelus abigam? Hoc igitur mearum ſolùm etit partium, commonſtrare, cui grati animi vicem, & obſequium rependere, & exhibere vos oporteat. Hunc dum Ignatium de Lojola ingenuarum artium poſtliminio reductorem, ſcientiarum omnium reſtauratorem, docere enitar, iſtam primum ab univerſis gratiam efflagito, ut ingens atque eximium ab eo in reducto literarum vigore, ac ſplendore beneficium præſtitum, gratâ mente, atque auribus libeat cognoſcere.

In confirmatione ſyllogiſmus hic tractatur: Ignatius litterarum vigorem preſtituit: ſed hoc eſt ingens bonum & beneficium, ergo.

Non exilem, ac tenuem litteras inter, & pietatem; ſcientias ac Religionem eſſe nexum & vinculum, vel indè fit manifeſtum, quòd una intercidente, intercidat & altera; unâ inclareſcente, & altera inclareſcat: ſive quòd à pietate ad omnia utili artes ſuum deſumant robur, & vigorem; ſive quod litteræ facem præferant ad pietatis incentivum, quando cæcas hominum mentes illuſtrant, ut perſpectâ vitiorum fæditate, virtutiſque nitore, illa refugiant, iſtam complectantur. Compertum ſanè, florentibus in Græcia, atque Italia ſcientiarum ſtudiis, viguiſſe pariter æquitatem, triumphâſſe fortitudinem, cultam eſſe temperantiam, floruiſſe religionem, reliquaſque virtutes: litteris verò inter belli tumultus præfocatis, virtutes pariter extinctas, ac vitiorum omnium ſobolem ſubnatam eſſe. Quid eſt, vos ipſi dicite AA. quod

in

in Romana Petri ſede eveniſſe magis dolea-
mus, quàm memoremus, unde tanta avari-
tiæ, tanta ambitionis, tanta Venereæ luis graſ-
ſata progenies? unde alia immaniſſima ebrie-
tatum, rapinarum, ſacrilegiorum, crudelita-
tum monſtra, quæ turpe ſit commemorare;
niſi quod artium ingenuarum obſoleviſſet
vigor, ingeniorum prætermiſſa cultura? Non
manſuetiorum diſciplinarum tractatio in
Grammatico, non eloquentiæ exercitatio in
Oratore, non veritatis ſtudium in Philoſo-
pho, non legum peritia in Magiſtratu, nec in
ipſo rebus ſacris devoto Clero, ac Cœnobita
divinarum rerum, ſacræque paginæ cognitio
enitebat. Latinæ linguæ, ſi quis tamen erat
in pauculis, corruptus uſus, artis metricæ
claudicans, & incondita compago, elocutionis
Oratoriæ inepta, incompta, hiulca, atq; vaga
ſtructura, rerum in natura labentium ignoran
tia, juriſprudentiæ contemptus, ſacrarum lit-
terarum inſcitia. Non erat qui aſſequendæ ad
apicem uſque ſcientiæ flagraret cupiditate;
ſed & vix comperire erat unum aliquem, qui
ad amuſſim tradere nôſſet condiſcere volenti.
Piget, pudetque effari eò dedecoris ſacrum
Clauſtralium nomen decidiſſe, ut indoctum
aliquem notaturi naſum Rhinocerotis ge-
ſtantes fidei orthodoxæ obtrectatores, rudio-
rem monacho aſſerere non vererentur. O
miſeram! ô deplorandam Eccleſiæ conditio-
nem! quò religionis clariſſima illa lux? quò
pietatis ardor? quò rerum humanarum, divi-
narum-

narumque claritudo ?! cum litteris collapsa omnia, omnia consepulta. Quid ageret hic Ignatius, cujus pectori, atque animo hæc rerum facies infandum concitabat dolorem; quî ruinæ tantæ restitutionem moliretur ? mores Christiano homine dignos in Christi lætum ut induceret, mens erat princeps; exscindere vitiorum infelix lolium, inserere virtutes potissimum insederat animo; sed quod hæc exequi in orbe tam rudi, & ignaro opus foret perarduum, pietati literas, religioni artes honestas conjunxit, quarum adminiculo, exculta atque illustrata hominum ingenia, ad virtutis formam, ad fidei tutelam forent habiliores. Ludum igitur literarum aperuit, Magistros suo è corpore statuit, ab infimo Grammaticæ pulvere ad scientiarum culmen decurrendi opportunitatem stabilivit. O quantum mox Romani Græcique sermonis pretium, quantus discendi ardor, quantum legendi, scribendique studium, quam prænobiles in pangendo fingendoque Vates, quàm diserti Oratores, quàm præcellentes Historiographi scriptoresque sunt enati ut decem pluraque non viderint sæcula tam illustres ingeniorum partus typo vulgatos, quod unum ab Ignatio sæculum. Tum etenim Divinitatis arcana scrutabãtur Theosophi; sacri Tribunalis Judices implexas conscientiarum lites adæquabant, controversa verba Divini effata dilucidabant interpretes, eruditis templa sermonibus resonabant,

tabant, Lycea disceptantium clamoribus : theatra instruebantur, scena adornabatur ad motum & juventutem in agendo, dicendoque excolendam. Hinc sua linguæ sacræ, Latiæ atque Atticæ redire cæpit puritas, metris nitor, eloquentiæ sacræ, profanæque ornamentum, dissertationibus in naturæ indagine fervor, & æmulatio, scientiarum æstimatio, tam quæ medendi, quàm quæ secundùm leges judicandi præbent facultatem; cælestium denique in Divino volumine mysteriorum, rerumque fidei subjectarum peritia, nitor, lux, atque splendor. O Herculem novum Ignatium! qui ut hæreseos, hydræ instar insolescentis capita præcideret, facem scientiarum accendit; ut vitiorum sentinam, velut Augiæ stabulum expurgaret, invexit non flumen aliquod ignobile, sed Nilum septenarum artium alveo dimanantem. O novum Atlantem Ignatium! qui ut ruentem in præceps orbem Christianum fulciret, utrumque succollavit humerum, virtutis alterum, alterum liberalium disciplinarum. Solem fortè rectiùs compellavero, qui ardore suo frigida mortalium præcordia, in virtutis amorem inflammavit, atque luce densissimam insciticæ caliginem, quà orbis velut Ægyptus involvebatur, dissipavit, profligavit. At quantum hoc DEUM immortalem? quàm grande, quàm insigne, quamque illustre bonum, atque domum, nemo satis dicendo, meditandoque assequatur, nisi artium singu-

Minor confirmationis. grande esse beneficium 1. ex artium præstantia probatur.

singularum ab eo reductarum pretium cognoverit. Est Grammatica, Athalarico Rege teste pulcherrimum litterarum fundamentum, mater glorioſa facundiæ, oris in omnem sermonem formatrix, linguarum clavis, & janua, radix scientiarum, ad omnes enim facultates firmissima parat præsidia: & quis hanc postliminio revexit? Ignatius. Est Poëtica dulcissimum ingeniorum oblectamentum, suavissimum animorum dilicium, blandissima aurium Siren, ut quæ mirando figmentorum contextu mentem attinet, aureſque numero demulcet: sed quis hanc reduxit? Ignatius. Eloquentia est quæ triumphat in exedris, dominatur in curiis, gubernat in palatiis, exarmat milites, compescit effrænes irâ atque libidine, mœrentibus solatium, dubiis consilium, timidis audaciam, frigidis ardorem, avaris liberalitatem, superbis moderationem ingerit; ac infundit: Et quis hanc flori suo restituit? Ignatius. Philosophia naturæ latentis arcana referat, ignota repandit, ingenium exacuit, judicium informat, memoriam ditat. Est Tullio mater artium, Deorum inventum, affectionum moderatrix, lux animi, vitæ dux, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, quæ urbes peperit, dissipatos homines in societatem coëgit, domiciliis, conjugiis, & vitæ communione junxit: Et quis hanc vigori suo reddidit? Ignatius. Quid ut alias prætream disciplinas, Theosophia? Divinitatis speculum, fidei Pharos, mo-

apud Cassid. l. 9. ep. 21.

Tusc. q. 5.

morum Magistra, mysteriorum repagulum, veritatis orbita, errantium regula, pietatis, & vitæ genitrix, regina artium, scientiarum culmen, omnium; & quis hanc consepultam propè de tenebris in lucem retraxit? Ignatius. Ignatius disciplinarum omnium humanarum, Divinarumque vindex, auctor, splendor, & ornamentum. Et quantum vis medendi, litesque dirimendi facultates, ab eo inductæ sint nusquam, mansuetiores tamen musas cum Aristotilis arcanis implantando, viam stravit, faceemque prætulit ad easdem, & majori numero ac promptiori animo complectendas. Agnoscite igitur Auditoros illustre prorsus, eximium & divinum in Ignatio beneficium, quid beneficium dico, multa dicere me oportebat, tot nimirum, quot facultates erexit, quot disciplinas vigori suo restituit. Adhuc parum dixi, quando tot ab eo profecta ambigere non valeo, quot artium singularum in genus humanum sunt commoda, & emolumenta. Hanc verò beneficientiæ multiplicitatem mirandum in modum auget, & extollit illud, quòd scientiis tanta insit præstantia, tanta boni possessio, quantam non reperias in bonis aliis, quæ fortunæ favor, aut humana parit industria. Sunt opes immane mortalium bonum, at fortunæ casibus subjectæ sunt, ignis voracitatem, invidi raptorisque injuriam, quod metuant, habent. Gloriæ illustris est, & ampla conditio; sed lubrica: pari sæpe fato cum fortunæ bonis,

2. Probatio Minoris in confirmatione est: quia literæ sunt bonum quod reliqua bona superat.

bonis evertitur, & non rarò ex gloriæ apice remetitur gradum ad ima dedecoris, unde surrexit ambitiosus. Formæ decus summis votis expetendum; at ævi brevis, morborum cariem, imo febriculæ afflatum non eludit. Vires corporis res eximia; sed brutis concessa etiam, & ipsa ad morborum incommoda, ad senectutis languorem emarcescit. Eruditio verò omnium quæ in nobis sunt, non subjacet casibus, non morbis, non invidorum, furumque rapinis, non ætatis defectui, non corruptioni: immortalis est, incorrupta, inconcussa perstat, & cum ipsa senectute fit vegetior, usuque tritior: sola enim senectus, temporis progressu fit doctior, sapidiorque, & veterum studiorum dulcissimos metit fructus veneranda canitica. Perspexit hoc humanissimus ad hoc literarum mansuetiorum cultor Nero, quando Senecæ Magistro suo professus est referente Tacito: *& tua quidem erga me munera dum vita supperet æterna erunt: quæ à me habes, horti & fœnus & villæ, casibus obnoxia.* Perspexit & constantiùs quidem Bias sapientum Græcorum unus, qui patriâ rebusque suis Vulcano sacratis, urbem egressus pronuntiavit: *omnia mea mecum porto*, quòd doctrinæ suæ jacturam fecisset nullàm. Perspexit & Cato Romanorum sapiens, qui asseruit apud Tullium, solas artes esse, quæ in omni ætate cultæ nunquam deserunt, quod censuit esse maximum. Denique hoc & Hebræorum imò

mor-

mortalium omnium sapientissimus est effatus, meliorem esse sapientiæ acquisitionem, negotiatione argenti, & auro purissimo fructus illius: *Pretiosior est*, prosequitur regum oraculum, *cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra ejus divitiæ & gloria, viæ ejus pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ, lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam.* Animadvertitis? ut sapientissimi Monarchæ sensu, non bonorum duntaxat firmissima est eruditio, sed & origo, radix atque fons reliquarum artium; quæ in re & ipsemet dissentire non valetis, qui literis vobis rerum peritiam, peritiâ usum, usu famam, famâ opes & dignitates peperistis. Quòd si igitur iis, à quibus honoris aliquid consecuti estis, à quibus fortunæ bona, aut dignitatem adepti, vos obstrictos in perpetuum consentitis, ac memores fore spondetis, ambigere non potestis id, atque amplius largiendum Ignatio. Qui boni vobis author est illius, quod reliqua longo post se relinquit intervallo.

Atque ut amplius munifici Patris amplitudinem perspiciatis, recolite amabo, non unius urbis ergastulo literarum disciplinas esse conclusas ab eo, non Stoâ, non Peripato: voluit Lyceorum frequentiam, Doctorum copiam, non minus orbi Christiano quaquaversùm diffuso literis, quàm urbi cuiquæ splendore, & famâ consulturus. A

3. quia gratuitò literæ docentur ubique.

nec hic stitit munificentia ; solis instar, luminis sui radios voluit diffusos undequaque; nè quis enim opum tenuitatem , reique familiaris,ad vitæ necessaria, penuriam obtenderet, disciplinarum institutionem, gratuitam, liberalem , omnisque mercedis expertem esse decrevit. Liberales enim artes, liberaliter tradendas arbitrabatur , nec bonum esse concessum solis Cræti , Crassique nepotibus aut Principum Nobiliumve sturpibus; sed summis æquè ac infimis , nobili atque ignobili, diviti atque inopi. Indè ea vox sapientiæ Lojolææ ; *omnes sitientes venite ad aquas* (scientiarum) *& qui non habetis argentum , properate emite absque argento,absque ulla commutatione* : nullis hic opus favoribus , non nobili sanguine , non opibus, quibus paretur Gymnasij aditus, aut discendi facultas , non penditur Minerval Minervæ Præsidibus , neque merces doctrinæ Professori : promptus animus , assidua industria apportetur cum indole capace, & quantum his è fontibus haurire libuerit , licebit. Quâ quidem largitate illud præstitit Ignatius, ut complures sacris coronentur infulis , ut sidera illustrent Ecclesias, rutilent in auro,fulgeant in purpura,moderentur consilia, præsideant tribunali. Respublicas administrent, lites dirimant , animarum & corporum sint Machaones , qui nunquam ad eam præeminentiam fuissent eluctati,sed in squalore mendicitatis suæ,aut sortis infimæ contabuissent.

Quam

Quamobrem Ignatio attribuere fas sit illud, quod Statius Poëta inclitus parēti suo accinuit:

Hinc tibi Vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi, mores, & facta priorū
Discere.
Mox & Romuleam stirpem procerescque futuros
Instruis, inque Patrum vestigia ducere perstas:
Sub te Dardanius facis explorator opertæ.
Crevit, & indè sacrum didicit.
Et nunc ex illo forsan grege gentibus alter
Jura dat Eois, alter compescit Iberos,
Alter Achemenium secludit Jeugmate Persen,
Hi dites Asiæ populos, hi Pontica frænant,
Hi fora pacificis emendant fascibus, illi
Castra piâ statione tenent. Tu laudis origo.

Sed vix laudis mentionem hic ego facio: jam adest, qui oggariet illud: non tantum laudis atque gloriæ tribuendum Ignatio, cùm artium studia aliunde quam ab Ignatio capessere fas fuerit, & copia. Extare enim alios in orbe fontes, qui scientiarum fluenta largè propinant. Hæc quidem veritati consona, quis est, qui dicere audeat eo tempore, quo Ignatium literarum restauratorem con-

Anteoccupatio & Confutatio illius.

rendo? paucis in urbibus artium erat ingenuarum receptaculum, & quo in vigore? & ubinam gentium gratuita manabat literarum scaturigo promiscuè, quando religiosorum in cætibus rara forent capita erudita? multos igitur, imò quàm plurimos viarum, regionumque longinquitas, nec his paucidres æris & auri in mercedem pendendi defectus, inexcultos domi tenuisset. Laus ergo Ignatii non postrema est, tantam nunc esse Lyceorum frequentiam, literatorum copiam, docentium celebritatem, scientiarum florem, studiorum ardorem, gratuitam etiam alicubi institutionem, suâ enim suorumque industriâ hæc invexit, accumulavit, incendit Ignatius, ut proinde aliorum, á quibus scientiæ rivulos haurire potuisse te gloriaris, gloria Ignatio quoque tribuenda videatur. Unde enim tantus non eruditorum solùm, sed aliorum quoque in claustris numerus? nisi Lojolæa è disciplina? Unde tantus aliis in Athenæis fervor, nisi æmulatione, zeloque concitatus Ignãtii? Unde perspicuitas, integritas, & doctrinæ perfectio? & ubi amabò cum literis pietatem, cum artibus virtutem imbibisses, nisi Lojolæ è fontibus? & tamen quid sunt literæ sinè pietate, disciplinæ sine religione, nisi cor inane, quin telum ac ferrum sæpe in dextera furentis. Scientia inflat præcordia, incendit venas, manus extendit ad ambitionem, ad libidinem, ad rapinas, nisi virtuti societur. Et verò patiamur

niamur abesse hæc omnia, sinamus ita esse, ut nil vigoris, nil claritudinis, aliorum in facultates ab Ignatio emanârit. Si tamen ipse tu, non aliunde quàm Lojolæis è fontibus emersisti in opes, & honores, ipsi tribuendum hoc laudis & in acceptis referendum non potes inficiari. Etenim si alio è fonte rivulos tibi haurire datum foret, edic, an ingrati animi vicem rependeres? an ab eo te gratiæ habere nihil fateri erubesceres? nil laudis eidem attribueres? Quid est igitur, ut cùm id ab Ignatio in te sit derivatum, modò eidem in acceptis ferre repugnes? Absit itaque gloriæ Lojolææ invidia, facessat livor, detur beneficentiæ, tribuatur æquitati, quod gratitudinis ratio; quod lex efflagitat. Et quando alii religionis incrementum, fidei tutelam, ac diffusionem, hæreseos excidium, pietatis fervorem, vitiorum extirpationem, sacramentorum frequentiam, Divorum cultum, Sacri verbi usum, Cœnobiorum vigorem, ac florem promanâsse non solum fatentur, sed & prædicant: tu literarum splendorem, atque ardorem ab eo profluxisse non diffidere, quin & te hausisse, inde gloriare non ingratus. Epilogus

Audi quid Basilius Orientis Imperator, Leoni filio in præceptis tradidit: si quos, inquit natura tibi dedit parentes, debes revereri; multò magis eos qui te in spiritu DEI per bonas disciplinas genuerunt. Tom. 5. Biblioth. ver. Pat. c. 6.

od
estium,

Audi Philosophorum Principem, qui plus etiam Præceptori tribuendum esse censuit, quàm parentibus, quod hi videndi solùm fuerint Authores, (hoc enim brutis commune est) iste verò benè beatèque vivendi, quod Angelis, quod Deo proximum est. Habes verò ab Ignatio non inane solùm scientiarum scrutinium, sed refertum pietate, prægrave virtutibus, quibus & tempori servias & æternitati. Fuerit igitur gloriæ Chironi Achillem, Atlanti Herculem, Aristoteli Alexandrum, Plutarcho Trojanum, Frontoni Antoninum, Arsenio Honorium, Ausonio Gratianum literis imbuisse, fuerint ditati opibus, elati honoribus, culti statuis, quod Senecæ, quod Adriano, quem Carolus V. ad summum Pontificatum extulit, quod aliis accidit; tu id solùm tribue Ignatio quod D. Paulinus Ausonio.

Tibi disciplinas, dignitatem, literas
Linguæ, ac togæ, & famæ decus,
Provectus, altus, institutus debeo,
Patrone, Præceptor, Pater.

ste Ca-
olino in
illius.

Aut si mavis Antoninum æmulari Cæsarem ac Philosophum, qui tantum honoris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet, ac sepulchra eorum additis hostiis, & floribus ornaret; perpetuam grati animi imaginem in memoria tua depinge, & perenni apud te recordatione conserva & tuere (Dixi)

SUP-

SUPPLEMENTUM III.

De Genere demonstrativo, seu exornativo. ad lib. 1. c. 42. & seq.

VErsatur hoc genus in laudando, vel vituperando personam aliquam, vel ejus factum, vel rem aliquam. Si laudes Ciceronem, vel Aristotelem, vituperes Catilinam Judam *ad personam* pertinet. Si cædem Goliathi à Davide factam, vel mortem Ciceronis ab Antonio illatam, *ad facti speciem* pertinet. Si commendes pietatem, sobrietatem, urbem, plantam, deformes superbiam, ebrietatem &c. *rerum* erit *demonstratio*. Argumenta pro hoc genere (universim loquendo) non sumuntur aliunde, quam ex locis intrinsecis, & extrinsecis, atque ideo pluribus hic opus non foret, quam ad eos lectorem revocare. Claritatis tamen, & facilitatis gratiâ in usum Tyronum in particulari aliqua proponam. *In laudatione vel vituperio personarum materia*, seu argumenta sumuntur, 1. à natione, patria; Hæ enim si illustres sint in commendationem personæ conced unt, si ignobiles, aut infames dedecorant. 2. à parentibus, sive natalibus, ab educatione, ab ipsa natura, seu indole bona vel mala, quam sortitus est. 3 ab ætate, à doctrina, studio; moribus, vitæ genere, aliisque animæ corporis & fortunæ dotibus. 4 à rebus gestis, laude

vel vituperio dignis. 5. ab eventu, seu consequentibus, ut fires gestæ præmio, vel pœnâ, honore & infamiâ affectæ sint. 6. à privantibus, morte, seu exitu vitæ. Denique à fama, testimonio scilicet post mortem, vitæ, rerumque cum laude, vel infamia actarum: quò spectant monumenta, statuæ, trophæa &c. Ubi tamen advertendum, sicut & in sequentibus, non esse opus concurrere omnia jam enumerata, sed sufficere horum aliqua,

Laus aut vituperium factorum sumitur. 1. ab honesto, v.g. ostendendo quàm eximia sit dignitas illius, quàm excellens virtus v.g. pietas vel prudentia &c. quàm legibus conformis &c. 2. ab utili quod ex fine seu effectis metimur. Ut, si factum sit commodum fidei, Patriæ, Magistratui, hominibus præsentibus & futuris. 3. à facili, aut difficili, ubi considerantur circumstantiæ. 4. à comparatione parium vel imparium. Ubi adverte, quod de laude dicitur, idem in contrarium accipi posse de vitio. Item si laus aut vituperium angustis circumscribatur limitibus; ad thesin ab hypothesi, seu à particulari ad genus & locum communem posse recurri.

Rerum laus & vituperatio ex iisdem sumitur fontibus quibus factorum, majoris tamen facilitatis ergò aliquarum in specie exempla proponam, in quibus ipsis, quod de laude dicitur, à contrariis de vituperio dici posse cogitabis.

Laus animalium, à genere animantium, ubi ejus

ejus natura formaque externa describitur. 2. à loco habitationis, an apud homines vel ubi libenter versetur. 3. à proprietatibus, & adjunctis, ut canis fidelis, vigil, obediens, artes callens &c. 4. ab effectis seu utilitate & gestis. 5. à mortis eventu.

Laus plantæ, herbæ, arboris &c. sumitur 1. à nomine, unde illud apud Græcos aut Latinos habeat, & quotuplex. 2. à forma exteriori & specie multiplici. v.g. lilia alba cærulea, flava, &c. 3. à loco, ubi nascitur, & cultu. 4. à tempore, quô nascitur. 5. ab adjunctis seu proprietatibus naturæ, quale illius temperamentum, siccum an calidum vel utrumque 5. ab effectis usu ab utilitate.

Laus regionum, portuum, locorum, insularum, sumitur à situ & locorum vicinia. 2. ab incolis recentibus & veteribus. 3. à Regibus & Ducibus. 4. à solis & soli qualitate & aëris clementia, quò refertur fertilitas, annonæ copia, fruges, aquæ, flumina, stagna, maria, & in his pisces aliaque animalia, 5. ab urbium frequentia ac claritate, 6. à politia & forma gubernationis, atque institutis, legibus moribus, 7. à cultu Religionis & scientiarum 8. à rebus gestis & virtute bellica. Horum amplificatio sumi potest à comparatione cum aliis.

Laus fluminum & fontium peti potest. 1. ab ortu 2. ab amplificatione, 3. à colore & cursu. 4. à locis quæ alluunt nobilioribus. 5. à piscium copia. 6. à salubritate, & effectis naturalibus.

Commendatio montium, 1. à situ & radicibus. 2. ab iis, quæ in ipsis vel nascuntur, ut sunt herbæ, arbores, vel effodiuntur ut metalla, radices 3. à feris, quæ in illis degunt. 4. ab arcibus aut turribus, in ea positis, 5. à fontibus indè scaturientibus. 6. ab aliis memorabilibus, prodigiosis, aut rebus ibi gestis.

Commendatio urbium, arcium, &c. peti potest ab antiquitate seu conditoribus. 2. à situ, forma sive partibus 3. ab ædificiorum structura. 4. ab aëris clementia. 5. à fluminibus, quibus alluitur 6. ab amœnitate. 7. ab incolarum moribus, virtutibus, studiis 8. ab opibus & mercatu 9. à forma politiæ & senatu 10. ab Ecclesiis & scholis, 11. a rebus præclarè gestis.

Commendatio ædium, templorum, sumi potest 1. ab authore 2. á situ, & prospectu 3. á forma & amplitudine 4. ab usu, cui dicata, seu fine. 5. á partibus. *Hortorum* ex iisdem sumuntur, nisi quod præcipua eorum laus sit ab amœnitate, fertilitate, varietate, præstantia florum, herbarum, arborum &c.

Pompæ funebres, triumphales lusoriæ &c. commendantur 1. á causis, sive institutionibus. 2. á finibus, quorum causâ instituuntur. 3. á personis, quæ interfuerunt. 4. ab actionibus, & apparatu. 5. á spectaculis, & prodigiis, si quæ exhibita fuere. Ab his ipsis celebrantur *convivia Peregrinationes* autem potissimùm á locis qui lustrati sunt. Hæc de genere demonstrativo in communi dicta sunt,

xempla
rum
deri pos-
nt apud
ausinum.

nunc

nunc ad aliquas illius ſpecies in particulari deſcendamus. *Oratio Panegyrica.*

Orationes panegyricæ dictæ ſunt illæ, quæ in publicis conventibus, & certaminibus Græcorum dicebantur; nunc habentur omnes quæ in laudem alicujus vocantur. Diſpoſitio illius juxta Ciceronem eſt duplex 1. ſervatur ordo temporis, ut cùm recenſentur patria, parentes, educatio, ſtudia, Præceptores, adoleſcentia, juventus, virilis ætas, ſenectus, cũ geſtis in earum qualibet, deniq; mors, quæ omnia continuo orationis filo pertexuntur. Sic facit Iſocrates in Evagora, Cicero ſecunda Philippicâ. Plinius in Panegyrico Trajani. Hæc tamen ratio niſi multis condiatur gratiis, longa eſt, & tædioſa. 2. res univerſum geſtæ in certa capita reducuntur. Sic Cicero omnem Pompeji laudem ad quatuor Imperatoris virtutes revocavit. Sic Bencius S. Pauli ad duo; quod multa pro Deo fecerit, & multa ſit paſſus. Præter hos modos Recentiorum ingenium, & ſolertia alios adinvenit. Unus eſt, qui mens propê conficitur acuminibus & ingenioſis conceptibus. Sed hic ſapientibus, artemque callentibus non probatur, niſi conceptus ille ad unum aliquem ſcopum, ſeu quæſtionem deſerviant, ut non ſint ſcopæ diſſolutæ, & niſi ſtylo numerum ſectentur oratorium, relicto arguto illo Philoſophis, & elogiographis uſitato. I. in hoc genere fuit P. Ferarius noſter, cujus oratiunculæ videri poſſunt. Alter modus eſt Cõparationis, ut ſi Tullium cum Demoſthene, S. Xaverium cũ Joſue con-

conferas. Hunc modũ sectatus est Plutarchus in vitis Græcorum, & Roman. Sed hic vilior apparet propter expressam apertè similitudinẽ. Ingeniosior est ille, qui similitudinẽ occultè involvit, & dicitur Allegoricus, qui perpetuò similitudinis in volucro virtutes, & gesta alicujus adumbrat. Sic P. Wadingus S. Ignatiũ expressit per currũ Ezechielis, quem quatuor animalia trahebant. Aquila erat altissima sapientia, rerumq; divinarum contemplatio. Homo, amor proximi, quo omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Bos labor indefessus in procurãda proximi salute. Leo fortitudo in adversis. Sic Vernulæus orat. de S. Thoma duo templa, sanctitatis unum, alterum sapientiæ erigit, ubi spectandas proponit imagines, exemplis sapientiæ & sanctitatis D. Thomæ depictas. Hîc exhiberi potest Societas per syntaxim seu constructionem transitivam & intransitivam, utpote cui nil deest virtutis & perfectionis, quæ sparsim in aliis ordinibus reperiũtur. & transit ad proximi salutem & perfectionem, quæ illis deesse videtur. Sic vota religiosa nuncupantes Poëtæ dici possunt, quod orationem suam ligent, seque obligent, idque spiritu Entheo, seu divino, neq; curent, quòd à mundi affectis Phantastæ habeantur. Porrò sicut optimæ sunt metaphoræ, in quibus, rebus inanimatis sensum & vitam damus, sic etiam conceptus allegorici, in quibus per prosopæjam aliquid ejusmodi illis tribuitur. Ut si conferas B. Virginem horto, in quo humilitatem implantet

plantet viola, lilium castitas, rosam erubescere faciat pudor &c. ubi singulæ virtutes in singulorum florum schemate produci describique possunt. Sic in funebri oratione Ferdinandi II. virtutes ejus præcipuæ funebrem illi pompam instruunt. Religio ctuce insignis agmina provinciarum, quas Cæsar fidei reddidit post se traxit, & ad ejus laudes celebrandas induxit. Ejus lipsana tuleruut pietas, animi magnitudo, clementia, munificentia, quarum, singularum gestus & habitus desctibitur, simulq; narrantes inducuntur virtutum exempla edita. Sic Palatiũ Eloquentiæ erectum est à Patribus nostris in Gallia, postea Moguntiæ editũ, ut patet ex diversis titulis, ad quos si præfationes legeris & collegeris, facili negotio orationem confeceris. Hîc adverte, sicut ingeniosa est hæc laudandi oratio, si prudenter & dilucidè, vitatis verborũ, & sensuum obscuritatibus, & quâdã quasi Poësi declinatâ instituatur; sic frigida puerilis, & temeraria ẽfficitur, si obiter fiat, si minutiis inhæreatur, & tã subtiliter volet orator, ut extra conspectũ & aures Auditoris positus crepare tantùm videatur. Prospiciendũ præterea ut extrema primis aptè correspondeant in sensu allegorico, nè cũ effictione cervi prodeat hirco cervus. *Alius solidior modus est*, & in quo Ciceroniana imitatio melius elucere potest, consistit in eo, ut neglecto conceptu allegorico, statum quæstionis, tota oratione pertractandum, solidis & perpetuis argumentationibus probemus, v.g.

si ora-

si oratio habenda sit de S. Ignatio, tractari quæstio potest: an juxta nominis anagramma fuerit ignis illatus à DEO; de B. Aloysio; an fuerit angelus terrestris? Hâc vel simili positâ quæstione excogitantur argumenta, ad eam probandam, atque excogitata in varias argumentationum species nè unâ eademque fastidium creet, constringuntur, quæ in confirmatione oratoriè deducuntur, & exornantur amplificationibus, tropis, & figuris. Exemplum hujusmodi est in Oratione Ciceronis pro lege Manilia, in qua hanc quæstionem formal: utrum Pompejus sit eligendus in imperatorem belli? hoc syllogismo pluribus membris constante, quot nempe erant argumenta. Ille est eligendus in Imperatotem belli, in quo est scientia rei militaris, virtus, authoritas & felicitas; atqui in Pompejo sunt illa quatuor; ergo est in Imperatorem eligendus. Quem syllogismum sic tractat Cicero post exordium. Primò ponit propositionem syllogismi sic. Ego enim sic existimo in sum̃o Imperatore &c. Deinde assumptionis quatuor membra suo ordine sigillatim pertractat. 1. ibi: quis igitur hoc homine scientior. 2. Jam vero virtuti Cn. Pompeji &c. 3. ibi. Et quoniam authoritas in bellis &c. 4. ibi. Reliquum est, ut de felicitate dicam. Demum infert generalem totius syllogismi complexionem, ubi breviter membra omnia syllogismo toto pertractata comprehenduntut à verbis illis: Quare cùm & bellum ità necessarium sit &c.

Hu-

Hujusmodi exemplu m etiam invenies in P. Tarquinio Gallucio orat. 17. volum. 2. ubi de S. Sylvestro Pontifice, qui baptizavit Constantinum M. probat hunc statum definitionis dictum : An Constantinus verè vocandus sit Pater Christianæ Religionis ? ad quod probandum fusè & eleganter deducit hos duos syllogismos : *Primus* : Apostoli dicti sunt Patres Christianæ Religionis, quia per doctrinam Christi multos DEO filios genuerunt : atqui idem studiosissimè fecit Constantinus : ergo debet vocari Pater *Secundus est* ; Illi sunt Patres compellandi, qui patrimonium & hæreditatem filiis suis relinquunt, atqui hoc ipsum fecit Constantinus, ergo. Incipit hic syllogismus ibi : Quos enim parentes dicimus aut hoc nomen cui mortalium impertimur ? &c. Conclusio autem tantùm semel ponitur, idque ante secundum syllogismum ibi : Cùm autem id ità sit &c.

Nota 1. vehementer hoc tempore displicere, & viris gravibus stomachum movere inanes & affectationibus plenas ingenij extenuitates, quas sinè modo & ratione novelli Oratores passim solent in exordio effundere. Unde illis cavendum ab inutili illo ingenij, doctrinæ, eloquentiæ suæ contemptu : vel enim est tam tenuis, vel non : si non est, ergo laudis ambitionem præ te fers. Si est, ut patebit in orationis tuæ decursu, quid te ipsum prostituis. Potiùs

ergo

ergo eruditum fac exordium cum lenibus affectibus, & ornato verborum apparatu, indè dilucidis verbis propositionem fac, & si opus est partire materiam prætermissa etiam expressa attentionis & benevolentiæ petitione; cum exordio erudito & compto, satis attenti benevolique reddantur Auditores.

Nota 2. non quodvis argumentum in materiam laudis assumendum, sive falsum sit, sive verum, sive dubium. Quod si argumentum tenuè est, ità erit arte extollendum, ut intrà veritatis & decentiæ terminos permaneat. Et verò mediocris, sed vera laus plus afficit Auditores, quam omnes eminentiæ & affectatæ exaggerationes: quod vel inde patet, quod eas nemo prudens æqua mente unquam excipiat.

Nota 3. argumenta laudationis plus habere debent floris, quam roboris, magis delectare, quam pugnare; res enim quæ laudis est, per se honesta est, seque ipsam auditori probat. In eo igitur oratoris industria versabitur, ut quæ per se pulchra sunt, elocutionis flore vestita ob oculos ponantur. Valent huc multùm definitiones conglobatæ, partium enumerationes, similitudines, adjuncta, effecta, contraria, comparationes, sententiæ graves, symbola, historiæ, exempla &c. Vide Panegyricum Plinii Junioris Trajano dictum. Perpinianum de S. Elisabetha. Modum inveniendi paradoxum aut acutum thema pandit P. Juglaris in Ariadne.

Ora-

Oratio gratiarum actoria.

Hujus orationis exemplar esse potest Ausonij Panegyricus Gratiano dictus, Orationes Ciceronis pro M. Marcello & post reditum in senatu, & ad Quirites. Virgilij 1. Æneidos, ubi Æneas Didoni gratias agit. O sola infandos Trojæ miserata labores. &c. Tribus ferè constat partibus: *Exordio seu beneficij expositione*, ubi conceptam animi nostri lætitiam explicamus, vel optamus parem felicitati nostræ eloquentiam, ingenium. v. g. darent Utinam superi parem felicitati meæ, ingenij, eloquendique facultatem, efficerem hodie, ut cum æquale reddere meam excedat tenuitatem, non ingratus beneficium accepisse dicar olim At enim tale tantumque ut nec vires reperiam, quibus pro dignitate &c.

Altera pars est beneficij amplificatio. Ubi explicandum quale sit beneficium, quam amplum, quam utile. Hic expenditur persona, quæ dedit: Rex, an Princeps? superior vel Dominus? & cui dedit, uni an pluribus, nobili an abjecto? merito an immerito, aut ultra meritum? Item tempus, citone, an tardè? an eo tempore quo minime posset expectari, vel quo ipse, illud dans uti necesse habuisset? præterea modus: non coactè, sed liberaliter, candido promptoque animo, verbis benevolis, nullo cum onere accipientis;

sed grande commodo servit & locus si publicæ, & in illustrium personarum collatum sit frequentia, inde enim crescit honor accipienti.

Salutatio vel exceptio Principum.

Hæ exceptiones à Græcis vocantur prosphonemata, usitatæ hoc tempore orationes, quas, uti oportet esse breves, ità acutas & floridas eruditione & stylo. Tribus itidem perficiuntur. 1. explicamus lætitiam ex adventu, ubi exponitur, quo affectu pueri & puellæ, juvenes & senes, non solùm obviam venerint, exceperint, viderint; sed vel audiverint de hoc adventu. Urbis mœnia, domorum parietes &c. si loqui possent &c. contestari superos ipsos die soleque sereno &c. 2. in laudes hospitis excurrimus, commemorando merita loco collata, vel illustres ejus virtutes, sed veras & solidas, prædicamus, cum delectu verborum, & sententiarum. Denique addimus vota, quibus omnia fausta precamur, longævitatem, felicitatem, pacem, victoriam, nostraque ei dedicamus, vitæ annos de nostris, fortunas, fidelitatem, promptitudinem, vitam ipsam offerentes.

Gra-

Gratulatoria officij, dignitatis, victoria, vel alterius boni.

In hac 1. exponimus conceptam lætitiam ex prospero alterius eventu. Deinde ut justa causa intelligatur lætandi, ostendimus magnitudinem illius boni, quod assecutus est v. g. quòd non casu, non adulatione, non largitionibus, ut alii honorem istum, vel bonum sit adeptus, sed studio, virtute, meritis &c. Demum exponitur votum, ut superi hoc bonum perpetuum esse velint, ut isto honor ipsi, & toti Reipub. sit utilis. Vel per Apostrophen gratulamur patriæ, Reipub. familiæ, quod hunc Dominum acceperit.

Oratio Natalitia.

Multa in hoc orationis genere obveniunt consideranda, unde materiam laudis, & gratulationis haurire possit Orator. Ut sunt, anni tempus, v. g. ver, vel autumnus, mensis, alicujus honori apud veteres sacer, dies sanctorum nominibus, bene ominantibus, aut rebus præclarè feliciterque gestis celebres apud Bucellenum. Horoscopus aut nativitatis signa apud Astronomos æstimata &c. Desumitur etiam ab antecedentibus, & consequentibus Nativitatem, aut natalis recursum, ut sunt præsagia, tem-

pus serenum, venti &c. Ab adjunctis loci & habitationis, in qua quis natus, à patrono sancto, ejus nomine, symbolo, instrumentis, tormentis, rebus gestis. A nomine, anagrammate, officij dignitate, à facto Natalem recolentis memorabili, à stemmate, insignibus, rebus gestis antecessorum. Dispositio esse potest ut in Gratulatoria. Exornatio illustrabitur, si in modum panegyricorum fiat, v.g. signorum cœlestium in quo natus est inductione, machinarum vel pegmatum erectione, triumphalis arcûs, pyramidum &c.

Oratio Funebris.

Hoc genus orationum semper est doloris, & affectuum ferax, ac proinde maxime expoliendum figuris dubitationis, exclamationis, suspensionis, prosopopœjæ, apostrophes. Exordium si fiat ex abrupto ab aliqua exclamatione reddit auditorem attonitum: si à doloris magnitudine, quem Resp. ex occasu alicujus accipit, movet compassionem. Si ab indignatione quod adverso, quod inspirato fato occubuerit, concitabit desiderium illius vitæ. Aliquando Orator incipit illud á suo desiderio, dum scilicet optat vivo potius decantare laudes, quam mortuo ad tristem doloris næniam. Sæpe incepit à laude conglobata, & descendit ad doloris acerbitatem, ex talis ac tanti viri occasu jure prognatam, ubi eleganter serviunt antitheta.

v. g.

v. g. hic vir quem olim vidimus in curia patrem patriæ hodie mortis conſpicitur rapina; qui in acie miles erat fortiſſimus, hic jam mortis pallet à vulnere. &c. Continet univerſim loquendo tres partes. In prima dolorem conteſtamur, in altera laudes demortui prædicamus. In poſtrema vel ad imitationem factorum exhortatur Orator, vel grati animi poſcit memoriam, vel per apoſtrophen familiam concitat, & poſteros ad talis viri jacturam reparandam, vel brevi laudũ dictarum anæcæphaleoſi defuncto ſcribit epithaphium.

De genere deliberativo.

Hujus duæ partes ſunt, ſuaſio & diſſuaſio. Ad ſuaſionem referuntur, exhortatio, monitio, conſolatio, commendatio: ad diſſuaſionem, dehortatio, objurgatio &c. ſuaſio eſt oratio, quæ in conſultatione oſtendit, quid faciendum: diſſuaſio, quæ aliam partem, quam ſequi libet, aut quæ oſtenſa eſt, evertere conatur. *Materia* in communi loquendo, ſunt ea, futura, quæ contingere poſſunt & ad nos pertinere. *Cauſæ efficiens ſunt*, qui deliberant, quorum dignitatem mores, inclinationem, affectum diligenter obſervare debet Orator: qua ex cauſa Ariſtoteles lib. 2. Rhetor. Horatius in arte, & alii omnis ætatis & conditionis naturam explorant. *Finis eſt* honeſtas cum utilitate conjuncta. Honeſtas complectitur virtutem univerſim, juſtitiam, for-

fortitudinem, temperantiam, prudentiam; persuasurus igitur ex motivo honesti attendat virtutem quæ sit, & ad quod genus referatur, an ad justitiam, fortitudinem, &c. Utilitatis duæ sunt partes. 1. incolumitas & malorum fuga, atque ab incommodis libertas. 2. felicitas, quæ complectitur bona, quæ humanam vitam exhilarant, ut nobilitas, scientia, gloria, pulchritudo, gratia, opes, &c. Validissimum ad persuadendum est necessitas, hocenim stupidissimum quemque convincit. Hoc usus argumento Tullius in Philippi. 4. Calcar addit jucundum & facile cùm è contrario, quæ molesta sunt, & difficultatibus obsita deterreant animos. Consultum verò oratori velim, ut se in his generatim proponendis non detineat, sed quæ rei præsenti competant, discutiat. Unde adjunctorum locus maximè sit usui, circumstantias rerum proponendo. *Motus* qui hic spectatur, est desiderii, spei, amoris, timoris, in suadendo: in dissuadendo terrores, desperationes, indignationes &c. Hæc in genere. Quòd verò in particulari observandum est, sunt ferè sequentia. 1. ut intimos sensus & affectus deliberantium inspiciamus, quid nimirum cupiant, quid timeant, quid judicent &c. quibus probè cognitis facilior erit persuadendi ratio, cùm scias quid ex unius cujusque animo sit evellendum, quid ad gustum

ſtum conveniens proferendum. Secundum eſt quod in ſuadente requiritur authoritas ſeu opinio ſapientiæ, & virtutis, quemadmodum enim ducem peritum ſequitur miles, qui tamen ſub Imperito duce etiam tuta velut pericula trepidat & æger peritum medicum; ita vulgus ſapientes & peritos qui ſuadent. Abeſſe vero debet ſuſpicio malevoli animi, quare ſi advertatur eam adeſſe, initio ſuaſionis eſt evellenda. Tertium eſt, ut afferantur argumenta ponderoſa, levioribus relictis, qualia ſunt 1. Divina, ſeu quæ à religione, & rebus divinis ducuntur, omnes enim religione moventur, ut ait Cicero 2. mala & damna quæ poſſunt timeri, ut ſunt morbi, mortes, amiſſio liberorum, opum, bonorum, &c. 3. bona, quæ poſſunt ſperari, ſed illa adducenda quæ quiſque maximi facit, ut Hollandi lucrum è negotiatione, cupidi, opes; ambitioſi, honores, &c. 4. exempla magnum ad perſuadendum habent Momentum. Denique modus in ſuadendo ſervandus, ut tempore & loco non alieno, neque averſo animo Auditoris ſuaſionem aggrediaris; deinde ut ſuaſio non appareat ſtudiosè præparata, nè callidè ſe peti exiſtimet Auditor.

Exhortatio.

Differt à suasione, quia suasio docet, exhortatio movet, & impellet à potiori. In exhortatione providendum 1. ut res ad quam exhortamur sit planè honesta; atque ut talis appareat, diluendum est priùs, si quid turpitudinis habere videtur. 2. priùs oportet constare rem facilem esse, antequam adhorteris; frustrà enim reluctantes impellere conaberis, horrentesque difficultatem. 3. apud eos qui facilè moventur, ut sunt ingenia perspicacia, & vivida, pauciora dicenda sunt, quàm apud segnes. 4. ubi authoritas adhortantis magna est, parcum decet esse verborum neque multorum argumentorum orationem; sola enim authoritas totum conficit: nisi fortè illa parcitas videatur esse superbiæ, & contemptus auditorum. 5. in exordiis ostendatur spes magna, & existimatio de virtute auditorum, & Orator potiùs ad explendum officium, quàm quod illi egeant, ea se dicere significet. Sic facit Cicero Philip. 4. 6. etsi prolixis argumentationibus non debet affluere oratio, vividæ tamen rationes ex intimis rei adjunctis deductæ cum clarissimis recentibusque exemplis, quasi clavo mentem auditoris configent. 7. anima exhortationis est vivacitas, quæ in vi argumentorum in acribus, & densis figuris elucet. 8. potentissimum argumentationis genus est, ubi exemplo præit, qui suadet.

De-

Dehortatio.

Eadem ferè habet, quæ exhortatio, præterquam quod animi jam exhortatione concitati, contrariis rationibus & moribus sint imbuendi: ad quod plurimùm valent ironiæ, quibus ea, quæ hortator attulit, explodúntur, aut subruuntur. Deinde redarguitur simplex credulitas Auditorum, qui se tam facile naso circũduci sinunt. Ita notatur fraus consultò ad circumveniendos Auditores composita. 4 Res ipsa mala difficilis, laboriosa, periculosa, impossibilis ostẽditur. 5. Promissa vana adversarii deridentur, contra exaggerãtur labores, pericula, incerti exitus: quæ verò ab adversariis allata sunt exempla, demonstrantur esse malè adducta, alias fuisse circumstantias, alia tempora, alios mores: opponuntur illis, alia ex oppositio pugnantia. Vide pro hortatione & dehortatione Ducum orationes militares è veteribus historiis, ut Livio, Curtio &c. & nuper è P. Famiani Stradæ bello Belgico collectas in unum, simulque editas. Posteriores annecti solent ejusdem Authoris Prolusionibus Academicis.

Consolatio.

Hæc capita alia habet communia, alia particularia. Communia ferè sunt. 1. Nascendi, moriendique necessitas, oriri soles & occi-

occidere, flores & herbas prodire & interire, nil diuturnum, nihil perpetuum. Sic Statius lib. 2. sylvarum in Epicedio Glauciæ, superbiæ ait esse, unum te ex illis velle eximere. 2. à miseriis vitam comitantibus, non nostram solum, sed & alienam, etiam alios hæc mala premunt, præferunt, & prement. 3. commemorari possunt bona, quæ è malis patienter latis, emergunt, incommoda vitæ, sanitatis & bonorum ab impatienter latis. Bonum sanè mortis, quam ingens, quod è vinculis & carcere in libertatem, à misera ad beatam vitam parat aditum. Adde lamenta, dolorem esse turpem, & mentium imbellium, laudi verò semper datam fortitudinem in adversis. Adjunge exempla præsertim domestica ex familia, ex urbe, aut aliunde nota &c. Singularia sumuntur ab adjunctis personarum v. g. defuncti, quod vita bene acta, exornata virtutibus, scientiis, rebus gestis, aucta posteritate, opibus, concluſa testamento. ultimis verbis, exequiis, monumentis &c. Solverit licet naturæ debitum, victurum tamen famâ gloriæ in seram posteritatem. Videatur Seneca de Consolatione ad Polybium, ad Martiam, ad Helviam. Plutarchus ad Apollonium, Aristides ad Elconei parentes. Elocutio hic cavebit affectatum verborum florem, sed nitido velut naturali flumine sit pro-

fusa,

fusa, sententiis & argumentis graviter argu-ta, suavitatem tamen non rejiciens.

Commendatio eadem argumenta habet quæ suasio, & dissuasio admixtâ laude vel vituperio: quare ex supra dictis peti potest. Vide Ciceronem pro lege Manilia.



PARS

PARS SEXTA.

De Memoria artificiali.

DUm brevitati Cyprianus Soarius consulit, minùs ea, quæ ultimas eloquentiæ partes spectant, Memoriæ & pronuntiationis præcepta enucleavit. Cùm verò memoria, quæ artificialis est, utpote ignota, passim neglectui habeatur, placuit illi explanãdæ diutiùs imorari.

§. 1. *Emolumenta artificialis memoriæ exponuntur.*

Est autem *Memoria* comprehensiva mentis virtus, quâ ea retinemus, quæ sensu, vel mente percipimus: aliis, mentis promptuarium, penus, ærarium Jazophilacium, thesaurus scientiarum fidelis custos; ejus enim facultate, audita, lecta, vel cognita facilè apprehendimus, & firmiter retinemus. Si virtus hæc animis nostris insita, & collata est naturæ beneficio, *Naturalis* dicitur: sin artis præceptis acquiritur, *artificialis*. Prior Rhetoricæ pars non est, sed posterior, quæ tamen ipsa præsupponit naturalem, quæ quò fuerit vegetior, eò plus emolumenti conferet ad eam quæ arte docetur. Ars enim hic, sicut in aliis, perficit naturam, teste Aristotele, & ea quæ rudia sunt, ac velut informia, excolit, & expolit. Et est ars certior dux, quàm natura; illius enim beneficio, ita res dicendæ, aut memorandæ animo imprimuntur, ut eas in mente, sicuti literas chartæ impressas oculis corporis quodammodo intueamur. Quemadmodum enim (verba sunt Authoris ad Herennium

rẽnium l. 3.) qui literas sciunt, possunt id, quod dictum est, scribere, & ea quæ scripserunt, recitare: ita qui μνημονικὰ didicerunt, possunt hác arte, quod audiverunt in suis locis collocare, & ex iis memoriter pronunciare, sic ille. Confirmat idipsum sua experientia P. Sebastianus Izquierdo in Phare scientiarum tom. 2. disput. 32. ubi de artis hujus præstantia, & legibus agit. Ex quo conficitur, ut, cùm naturalis memoria nos sæpè fallat, sive quia labilis, sive quia metu aliove subito affectu perturbata, hæc nunquam ab errare sinat, quòd enim dicendum est, sic ob oculos mentis fixum habet, velut oculus corporeus characteres in libro sibi proposito. Et quemadmodum oculus corporis, quas quis in folio libri legi sibi vult lineas, sive supremas sive infimas, sive medias exhibet, ita qui ex præscripto artis hujus, quã plurima memoriæ mandavit, potest ea promere, quo, quis vult ordine, sive recto, sive retrogrado, sive intercalari. Neq; tantùm (de exercitatis loquor) disciplinæ hujus alumni laborem habent, quantum alii, qui naturali contẽtissunt: artis enim hujus subsidio una hora discet aliquis, quod alius licèt optimæ memotiæ, vix quatuor, ut appromittit Lambertus Schenckelius. Neq; ea solum quæ cohærentia sunt per modum historiæ, ubi unum ducit in cognitionem alterius, sed etiam disparata v. g. nomina varia in Genealogia Christi, in serie Pontificũ, Cæsarũ, Sanctorum &c. quæ nullo ferè labore, quo quis voluetit ordine sive recto, sive

sive retrogrado, sive intercalari efferre poterit. Accedit quòd majori hæreant firmitate impressa, quàm quæ naturali didicimus, horum enim citò obliviscimur, eorum autem per annos plures recordamur; perinde enim quasi literæ in cera sic imagines in locis designatis manent impressæ. Exemplis hæc compluribus comprobat Lamb. Schenckelius lib. 1. c. 2. quorum aliqua videri possunt apud Ciceronem lib. 2. de Oratore. Quintilian. lib. 11. c. 2. & Senecam in prologo declamation. ubi inter alia, duo, inquit Seneca, millia nominum, quo ordine erant dicta, referebam, & ab iis, qui ad audiendum Præceptorem nostrum convenerant, singulos versus à singulis datos, cùm plures, quàm ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens, ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantùm, quæ vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda quæ acceperat, &c. S. Augustinus de anima & ejus origine ad Vincent. Victorem l. 4. cap. 8. de quodam Simplicio scribit, quòd cùm interrogatus esset à nobis, quos versus Virgilius in omnibus libris suis supra ultimos dixerit, continuo celeriter, memoriterque respondesit. Quæsivimus etiam, Superiores ut diceret: dixit; & credidimus eum posse retrorsum recitare Virgilium. De quocunque loco voluimus, petivimus, ut faceret, fecit. Vide eundem lib. 10. Confess. à c. 8. & Franciscum Petrarcham apud Beyerling in Theatro

ro Vitæ hum. Antonius Ravennas multa millia rerum, ſtans percipiebat animo, & eo quo acepta erant ordine, reddebat, Pettus Ravennas abſque chartarum refugio, ſcientiarum omnium Bibliotheca fuit; ex arte enim mandatis memoriæ iis, quæ in ſacris literis, Jure Canonico, Civili &c. ſcitu digna ſunt, patriam reliquit, illo Biantis glorians: *Omnia mea mecum porto.* M. Anton. Muretus variar. Lection. ad Hypolitum Cardin. Eſtenſ. refert de Corſico Juvene, qui ſe paretum ajebat ad triginta ſex nominum millia reſumenda. Tentavit id ipſe Muretus. Cœpi ego, ſcribit ille, dictare nomina Latina, Græca, barbara, ſignificantia, nihil ſignificantia, tam varia, tam nihil inter ſe cohærentia, ut & ego dictando, & puer cui mandatum erat accipere, ſcribendo, & cæteri, qui aderant, audiendo, atque expectando feſſi, jam miris modis eſſemus omnes: ipſe unus ex omni numero alacer ac recens, aſſiduè plura poſcebat. Et poſt pauca interjecta exorſus loqui, inquit, eodem ordine, nuſquam hæſitans, nuſquam prope inſiſtens, nobis ſtupentibus redidit. Deinde ab ultimo incipiens ſurſum verſus pervenit ad primum; rurſus ita, ut primum, tertium, quintum ac ſic deinceps omnia diceret, quo denique quiſque voluerat ordine, ſine ullo errore omnia referebat. Docuit is idem adoleſcentem ſenem memoriæ parum firmæ, ut intrà ſex aut ſeptem dies quingenta nomina ſine difficul-

cultate, quocunque liberet ordine repeteret. Ex his atque aliis exemplis quæ consulto prætereo, emolumenta sequuntur quàmplurima. *Nam* 1. potest quis adultus trium mensium spatio commode linguas addiscere, Latinam, Græcam, Italicam &c. exemplo Themistoclis, qui brevi temporis intervallo Persicũ idioma addidicit, quo Regem sine internuncio salutaret. Item Mithridatis, qui duabus & viginti gentibus, quibus imperabat, sinè interprete jura dixit, earundem linguarum peritus. 2. *Potest* qui Imperatorum, Ducum, Gubernatorum &c. subjectorum sibi nosse nomina, vires, opes, tributa, debita &c. Cyrus cum præesset triginta millibus militum, singulos nominatim alloqui poterat, quod & de Adriano imperatore, C. Scipione Asiatico, aliisque traditur. Cyneas Thessalus missus à Pyrrho ad Romanos Legatus, postero die, & Senatum & omnem Senatui circumfusam plebem nominibus suis compellavit, ut Author est Plutarchus in Pyrrho. Cicero lib. 1. Tuscul quæst.

3. Potest Theologus legumque divinarum & humanarum studiosus, Confessarius, Concionator &c. scripturæ sacræ textus, Patrum asserta, Pontificum Decreta, excommunicationes, irregularitates, Doctorum placita &c. callere perspicuè, ac si opus sit, ex tempore docere sine scripto. Ita Lysander, & Archippus memoriter artis præcepta professi sunt

sunt Thelis, Esdras, teste Eusebio deperditos Moysis libros de memoriæ thesauro restituit.

4. Legati, nuntii, Consiliarii, Negotiorum apud Principes, causarumque actores. Notarii publici, possunt excipere quàm plurima, eaque diversa responsa, sinè rerum aut verborum confusionè. Possunt item sua proponere sinè turbationis, aut erroris metu, licet ab aliquo interpellentur. Sic Advocatus, si centum, aut plures causas habeat, potest omnes cum circumstantiis secundum hujus artis præscriptum in memoriam reponere, ut singulis sinè ordine accedentibus Clientibus sic respondeat, quasi scripta, cujusque ante oculos habens, legeret. Si verò causæ agendæ sint de memoria, ut nonnullis fit in locis, non solùm sua meminisse, sed &, quæ ab adversariorum parte dicuntur, ut ad singula respondeat, potest retinere. Ita & Jurisperitus legum suarum vastitatem complecti potest, ut eas in memoria expeditas habeat cum earum locis & principiis, quo pacto subserviit Franc. Tygri Pisanus Bartholo in legibus, quas in promptu non habebat, cùm commentaretur inveniendis, teste Baldo in ejus vita.

5. Potest militiæ Dux omnia bella, bellorum causas, principia, finem, stratagemata, consilia, actiones, successus, &c. perspecta habere, quæcunque audivit, vel legit unquam exemplo Fabii, Maximi Luculli, &c.

6. Potest quis æmulari Julium Cæsarem,

qui epistolas de rebus maximis quaternas, pariter dictabat aliis, ipse manu sua quintam exarabat; ac si calamum deponeret, septenis non impar erat. Deniquè ne longior sim, potest quis Bibliothecam integram perlegere, ac verbotenus, quorum voluerit recordari, ac de memoria in aures, vel chartam effundere: ita enim lectione Patrum Catenam auream Doctorem Angelicum concinnâsse ferunt.

Verùm, quisquis hæc atque alia assequi cupit, laboris in principio, tædiique sit patiens, memor nihil eximium in trivio obvenire, sed in arduo positum esse, quo adepto, dulce est meminisse laborum. Duarum hebdomodarum spatium ad *cognoscendam* praxim sufficere asserit, qui eam professus est palàm Lambertus Schenkelius: indè usum exercitationemque assiduum requirit sex mensium spatio, & tum facilè, (verba ejus sunt) tam celeriter, tam copiosè tibi occurrent memorandorum figuræ, quàm facilè dum aliquid scribis literarum alphabeticarum tibi suppetunt notæ.

§. 2. *Fundamenta artis hujus.*

Simonides, ut loquitur Cicero l. 2. de Oratore, inveniisse fertur ordinem esse maximè, qui memoriæ lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercent, locos esse capiendos, & ea quæ memoriâ tenere velint, effingenda animo, atque in his locis collocanda: Sic fore, ut ordinem rerum, locorum ordo servaret, res autem ipsas rerum effigies notæ

notaret: Sic Tullius. Quare fundamenta hujus artis sunt *loci imagines*, *ordo locorum & imaginum*, denique *praxis*, sive ipsum exercitium. *Loci* sunt imaginum receptacula, ac velut scrinia, in quibus imagines conservandæ reponuntur. *Imagines* (quas aliqui per contemptum idola mentis, alii phantasmata vocitant) sunt simulacra, similitudines, signa & notæ rei illius quam volumus meminisse. *Ordo* qui ad utrumque requiritur, est series certa, quâ loci, & in locis imagines collocantur. *Praxis*, in qua hic plurimùm situm est, est assidua locorum, & in locis positarum imaginum perlustratio, quæ non fit oculis corporeis, sed mente, quando repetita, iterataque cogitatione, & super locos, & super imagines in iis collocatas nos reflectimus. Ita nimirum etiam hæc ars memorandi imitatur naturam: nam quemadmodum naturali memoriæ facilè sores quàmplurimæ offerunt, si ordine suo sint digestæ, & oculis corporeis perlustratæ, ut si Mercator merces, Pharmacopœus vasa, Pyxides lagenas &c. opifex instrumenta, Typographus characteres, Bibliophilus libros suâ serie, suas in classes, & loculamenta dispositas habeat, eaque oculis, atq; usu sæpiùs percurrat facilè rei dum necessaria est, reminiscitur, & quo loco sita sit meminit, ut etiam in tenebris arripere valeat. Sic artificialis, & loca, & res in locis suo ordine disponit, ac frequenti revolutione familiares, ac perfectas sibi reddit, ut, dum

usus fert, in promptu habeat. Experimur id ipsum in aliis, quæ memoriâ naturali tenemus, dum enim redimus in locum, aut illius reminiscimur duntaxat, mox reviviscit, imago personarum, cum quibus illic olim fuimus, species item temporis dictorum, actorũ &c. Nec alia ratio est, cui quæ ipsi scripsimus, iisdem in chartis, quibus scripsimus, faciliùs memoriæ mandemus, quàm quòd loci quandam impressionem, atque in iis characterum, habeat memoria. Undè fit manifestum naturæ prorsus conformem esse, hanc artem memorandi, atque ad naturalem perficiendam, aut adjuvandam (si debilis est) esse accommodatissimam. Habet tamen hoc præ illa, ut quò nobilior est, & compendiosior, eò sit difficilior: illa enim adjuvatur à sensibus [hinc & canis domûs meminit, in qua fuste acceptus est] qui quo vivaciùs res abjectas referunt, ut risus, & auditus, eò easdem faciliùs menti imprimunt. At hæc à sensibus abstracta est, & imaginatione rerum sensibilium à potiori (nam etiam locos sicut & imagines reales & veras assumere potest, ut postea visuri sumus) se adjuvat; in modum enim rerum sensu perceptibilium sibi loca & imagines in locis effingit, atque exprimit. Unde quemadmodum intelligentem necesse est phantasmata speculari juxta Philosophum l. 3. de anima, ità & memorantem. Quod quidem etiam naturali memoriæ usu venit, dum res spirituales, aut visui non subjectas v. g. Deum, Angelum, sub

stan-

stantiam, & res absentes concipit: quâ ex causâ proximè ad sensuum objecta accedit utraq; cùm ad eorum similitudinem res suas efformet, & repræsentet. Confirmare placet hæc omnia Angelico D. Thomæ discursu, 2. 2. q. 49. a. 1. ad 2. ubi ait: Sicuti prudentia aptitudinem quidem habet ex natura, sed ejus complementum est exercitio, vel gratiâ, ita, ut Tulius dicit in sua Rhetorica: memoria non solùm à natura proficiscitur, sed etiam habet plurimùm artis & industriæ. Et sunt quatuor per quæ homo benè proficit in memorando: quorum primum est, ut eorum, quæ vult memorari, quasdam similitudies assumat convenientes, nec tamen omninò assuetas; quia ea, quæ sunt inconsueta, magis memoramur, & sic in eis animus magis ac vehementiùs detinetur. Ex quo fit, ut eorum quæ in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideo autem necessaria est hujusmodi similitudinum, aut imaginum inventio, quia intentiones simplices, & spirituales faciliùs ex animo elabuntur, nisi quibusdam similitudinibus corporalibus alligentur: quia humana cognitio potentior est circà sensibilia. Secundum, ut homo ea, quæ memoriter vult tenere, suâ consideratione ordinatè disponat, ut ex uno memorato facilè ad aliud procedatur. Undè Philosophus de memoria: à locis videmur reminisci aliquando. Causa autem est, quia velociter ab alio in aliud veniunt. Tertium, ut homo solitudinem

(ne scilicet unum in locum imagines rerum confundantur) apponat, & affectum adhibeat ad ea quæ vult memorari, quia quantò aliquid magis fuerit impressum animo, tantò minùs elabitur. Unde Tullius dicit in sua Rhetorica, quòd solitudo conservat integras simulachrorum figuras. Quartum quòd ea frequenter meditemur, quæ volumus memorari. Unde Philosophus de memoria, quod meditationes (assiduæ mentis exercitationes) memoriam salvant, quia ut in eodem libro dicitur: consuetudo est, quasi natura: unde multoties, quæ intelligimus, citó reminiscimur, quasi naturali quodam ordine, ab uno ad aliud procedentes. Hactenus D. Thomas, ad cujus doctrinam, quoad qualitatem locorum, imaginum & ordinis procedemus in sequentibus.

§. 3. *De Constructione locorum & eorum conditionibus*

Copia mercium præsertim grandium amplam exigit officinam, & in ea receptacula non pauca; sic & rerum memorandarum, quia sunt quàmplurimæ. Oportet, inquit Author ad Heren. l. 3. multos comparare locos, ut in multis locis multas imagines collocemus. Eligendus itaque locus amplissimus, qui rerum varietate distinctus, varias quoque imaginibus reponendis præbeat sedes. Metrodorus teste Plinio l. 7. c. 34. & Ciceron. l. 1. Tuscul. quæst. locos in duodecim signis Zodaici per quos sol meat, invenit, eosque tricc-

ticenos & sexagenos. Alij cum Izquierdo totam sphæram cælestem accipiunt, & in suos quadrantes, & articulos secant. Alij globum terraqueum seu sphæram terrestrem, quàm primùm in partes quatuor majores divisam, ut in Asiam, Africam, Europam, Americam, tum in minores, quæ cuique parti majori insunt, ut in Europa, Hispania, Gallia, Italia, Germania &c. Tum in his iterum regna, ducatus, principatus, urbes, castella, montes, silvas, lacus, flumina. Potest etiam unum (quod etiam magis probatur) solum regnum Geographicâ tabulâ expressum sumi, cùm locorum pluralitatem diversitatemque habeat. Et placet hæc designatio, eò quod præter memoriæ subsidium, afferat cognitionem terrarum homine erudito dignam, simulque facilitatem, dum, quod oculis combibitur, facilius, & firmius in imaginationem transeat. Alij urbium aliquam accipiunt, platearum & ædium, & in ijs mercatorum, artificum, opificum diversitate distinctam, quam, quia perspectam habent, aut facilè habere possunt, difficultatem in concipiendis locis imminuunt. Sunt quibus castra placent ordine & formâ colorum diversa suis cum propugaculis, mœnibus, turribus & vallis. Julius Camillus Amphietcatrum sibi elegit, variis Deorum Dearumque & hominum imaginibus, columnis, & subselliis insignitum, quod & calamo vel colore delineatum oculis objicere poterat ad majorem phantasiæ impressionem.

Alii contenti sunt arce aliquâ vel palatio, cubiculorum, aliarumque rerum multiplicitate instructo. Alii Collegio, monasterio, in quibus quia similitudo est cubiculorum, ea notis Alphabeti vel Arithmeticæ, vel affixis ad postam diversis imaginibus, vel personarum inhabitantium diversitate à sese disjungunt. Alii Basilicam, seu templum malunt, in quo multæ portæ, sacella, altaria, columnæ imagines, baptisterium, sellæ, epitaphia, chori, organum &c. In sacellis inveniunt totidem locos, quot sunt anguli, quibus altaria, mediumque & illa quæ angulis interjecta sunt, adjiciuntur. In altaribus rursum cancellos gradus, altaris stratum, frontem & cornua, tùm planum & in eo candelabra, statuas, imagines, columnas, calices, libros &c. Similiter & in cubiculis locorum multiplicitatem faciunt, portæ pars extima & intima, fornax, lectus, oratorium, Bibliotheca, vel aliarum rerum armaria, mensa, cistæ, vestes, baculi, gladii imagines fenestræ, lavatorium, sedilia &c. Hæc omnia pro imaginum receptaculis serviunt, quia varietate suâ locos distinguunt atq; oculis subjecta imaginationem adjuvant. Ex iis tamen non est necesse assumi omnia, sed quæ notabiliora sunt; tùm quia iis præsenti negotio opus non est, tùm nè multitudine memoriam confundant, præsertim si minutiora sint, & leviora. Hinc ad loci conditionem requirunt I ut illustris & explicatus sit, obscurus enim & involutus, uti oculum, ita mentem confundit.

dit. Vetant tamen nimis lucidum esse, quod hujusmodi, sicut oculorum species disgregatità & mentis. II. Ut inter locum & locum sit discrimen & differentia; si quis enim similia sumpserit, turbabitur similitudine, ut ignoret, quid quoque in loco collocârit, inquit Cicero: Ex hac causa exigunt aliqui distantiam. 5. vel sex pedum inter locum & locum: sed cum posita imago in exteriore ostii parte, alteraque in interiore, & in apotheca alia, aliaque inscriptio pyxidem vel scriniùm simile ab altero simili, sibique vicino abundè distinguat, non necessaria usque adeò videtur loci distantia, modó aliud intercedat distinctivum. v. g. alius situs, facies color, imago, vel aliud signum pro arbitrio appositum, ut sunt numeri arithmetici, literæ alphabethi majusculæ, hoc in tractu Latini, alibi Græci, Hebraici, &c. quæ etiam hic rubro, alibi alio colore effingi possunt. Affigi item possunt imagines Pontificum, Cæsarum, Sanctorum, aut virorum illustrium, insignia provinciarum, urbium, familiarum, variæ quoq; animalium effigies, signa planetarum instrumenta artificum, vel opificum, quibus domus dignoscuntur eorum, ut ex cerea sutor, ex aquila vel leone, tale & diversorium. III. Requirunt, ut loci quantum fieri potest reales, & veri potiùs sint quàm imaginationi imaginarii, nè imaginationem opus sit addere, quod laboriosum est incipientibus. Cæterum ut pictori in pusilla tabella expingere facilè est quàm diversissima objecta; sic

Conditiones locorũ.

& perfectis, imaginationi enim obediunt omnia. Concipiunt autem spatia imaginaria in modum verorum & realium v. g. civitatis vel castri eo ferè pacto, quo architectus ideam & lineamenta palatii alicujus exstruendi; adduntque hinc indè parerga, quæ ipsis ad usum deserviunt v. g. imaginantur cubicula, quot lateribus parietum, tot fenestris distincta, vel quemlibet parietum tapete duplici vestitum concipiunt, & in unoquoque tapete juxta quatuor angulos illius, quatuor imaginum sedes, medium quinto loco reservantes, ut sic multiplicitatem locorum nanciscantur. Quæ multiplicitas quandoque cogit, ut etiam realibus imaginarios immiscere sit necesse, etiam tunc, quando loci à loco ob vicinitatem, aut similitudinem faciendum est discrimen, unde effingunt ibi esse statuas v. g. Pontificum, Cæsarum, Heroum, aut Sanctorum, & his ipsis tabulam instar mensæ à terra ad umbiculum vel è latere, ac in tabularum qualibet 4. aut 5. locos capiunt. Ad multiplicitatem quoque, locorum facit ut in unoquoque angulo fingatur ostium additâ personâ distinctivâ, ut per illa in alia quatuor tendatur cubicula. Etsi supra verticis quatuor alia constituantur, evadent octo, quod ad multa longè est utilissimum. IV. Unicuique arti vel scientiæ suam attribui domum volunt. v. g. Grammaticæ suam, Rhetoricæ suam, Historiæ sacræ suam, profanæ suam, Theologiæ suam, Jurisprudentiæ suam &c. suam

item

item verbis, suam sententiis, suam exemplis, ut dum in conviviis, congressu, cætibus de hac vel illa re disserendum est, v. g. de vitiis, virtutibus, militia, &c. mox adire mente domus possit, ac depromi, quæ rei præsenti deserviunt; non secus atque alio domus subitur, dum carnes, alia dum vinum, alia dum libri in usum comparandi sunt. Hinc etiam frontes domorum insigniunt v. g. Jurisprudentiæ, imagine justitiæ, Belli, imagine fortitudinis, aut Martis, Rhetoricæ, imagine Palladis, vel S. Catharinæ V. proportionem habere cupiunt locos cum rebus: unde militiæ castra, concionibus templa, Jurisprudentiæ curiam &c. assignant Moguntini PP. Rhetoricæ adaptârunt Palatium, ut ex fronte libri & titulis consequentibus patet. VI. ordinem locorum maximè necessarium esse docent; ordo enim locorum ad rerum & verborum ordinem deducere mentem debet: unde hanc connexionem non ineptè quidam catenam vocant. Est autem alius ordo naturalis, alius artificialis. Naturalis, quem loci ex se habent independenter à dispositione memorantis, ut signa cælestia, regiones & provinciæ, qui ordo ex tabulis cognosci potest. Artificialis est, quem rei commoditatem & facilitatem considerantes, nos ipsi eligimus & statuimus, sive is rectus sit aut circularis, sive quadratus. Autumant autem pleriquè à latere sinistro dextrum versus initium capiendum esse, eó quòd sicut characteres in charta calamo formandi,

De ordine locorum.

di, sic imaginum in locis collocandarum naturalis sit ratio, usu & exercitatione comprobata. Unde determinato universali loco, v. g. civitate, minùs universali, v. g. domo, numerum ordinemque cubiculorum exploratum habebis; in horum unoquoque locos quatuor de lege ordinaria (potes tamen per tapetum effictorum in parietibus interpositionem plures efformare) juxtà angulorum quaternionem habebis: inter quos sinistræ tuæ occurrent primus angulus, locum primum dabit, tres sequentes locum secundum, tertium, quartum. His adjungere potes quæ angulis interjecta, aliquam faciunt differentiam, ut fornax, armaria, imagines, fenestræ &c. quibus perlustratis & imaginationi impressis, laquearii, vel tabulati angulos, partesque dispicere potes, & in usum formare imaginum. Ex ultimo cubiculi primi loco, ad primum sequentis te conferas, indè ad tertium, quartum, &c. in quibus attende ne similitudo dispositionis memoriam confundat. Perlustratâ sic domo unâ, aliam subibis, locisque singulis, quæ in ea usui esse possunt, diligenter annotatis, sequentem intrabis, indè quartam, quintam, donec ad extremam plateæ lateris sinistri perveneris domum; indè enim subibis domum ejusdem à plateæ latere dextro pestremam & te toto illo latere, geres sicut in sinistro, usque dum ad primam ejusdem primæ omnium situ oppositò respondentem veneris, pariterque lustraveris. Quæ in officinis tibi cir-

circumeunti se offerent instrumenta, merces, aliaque locorum multiplicitatem cum discrimine facientia obseruabis, & chartæ vel memoriæ infiges. Sic si templum pro loco universali capias (qui locus valde probatur, tum quod publicus ad eum accessus, tum quod insignia, diversaque loca suggerat.) Ingressurus illud considera cœmiterium, aut atrium quid tibi præbeat utilitatis: hinc portam, per quam templum ingrederis, pro loco primo sumes, mox quæ in pariete sinistro, vel penes eundem reperiantur notatu digna, ut sunt sedes, baptisterium, altaria, & alia quæ suprà insinuavi, rectè disposita, circumeundo templum annotabis, donec ad locum dexteri lateris ultimum, sinistri primo respondentem deveneris: ex quo columnarum partem sinistram aggredere, quibus statuis, epitaphiis, aris, &c. distinguatur, iisque ordine obseruatis, vide quid medietas templi habeat, quid chorus, quid fornix &c. Annotant hic authores ex Cicerone & Quintiliano quintum quemq; locũ distinguendum, & notandum esse signo differentiã specialem importante, ut v.g. in quinario primo ponatur manus argentea, in secundo rosa purpurea, tum aurea, candida &c. ità enim locorum numerum, in vocabulis præcipuè quocunque ordine repetendis, in promptu habebimus. Hoc tamen quamdiu in tradendis versamur theoria, & non aliàs inquit Lamb. Schenkelius l. 2. c. 1 Postremum, sed & supremum, ac præcipuum

puum est, in locis accurata illorum notitia, ita ut promptissimè quovis ordine, recto, retrogrado, interculari possint designari voce, vel mente. Hinc exercitium repetitionis necessarium est quô primùm quidem oculis si fieri potest (hinc calamo vel penicillo in charta aliqui eos sibi delineant ad majorem imaginationis impressionem in principio) sæpius perlustrentur, tum mente, & imaginatione tam firmâ, velut si oculis cernerentur.

§. IV. *De fabrica seu efformatione imaginum.*

Quod charta characteribus imprimendis, hoc locus est imaginibus reponendis: & quâ legendi promptitudinem præstant expressi characteres, noscenti illos, eandem conferunt memorandi facilitatem callenti hanc artem. Est autem imago similitudo imitatione rei expressa: undè juxta D. Thomam imago est quasi imago sic dicta ab imitando, quòd ad imitationem ipsius in tabula, tela, charta, vel mente efformetur. Imago autem, prout huc pertinet, non est tantùm similitudo, sed etiam nota & signum ejus rei, quam meminisse cupimus: potest enim non solùm similitudo aliquid in memoriam reducere, sed etiam res alia, quæ cum ea connexa est, vel naturaliter, ut effectus cum causa, relativum cum relato, adjunctum cum substantia, pars cum toto; vel ex beneplacito, ut hedera cum vino, nodus factus in cingulo vel strophio,

liber,

liber, vel epistola in terram de industria projecta, ad hoc vel illud in mente refricandum. Hinc imago duplex est, *propria* & *impropria*, *Propria*, est similitudo ipsius rei, ut imago Christi, Cæsaris, forma campanæ, equi, &c. *Impropria* est, quæ non est similitudo rei, quã meminisse volumus, sed signi tantùm ex quo in memoriam rei devolvamur, ut ex hedra in cognitionem vini, ex vestigio in notitiam leporis, ex fumo in præsentiam ignis, ex habitu in agnitionem religiosi, ex Cruce in memoriam Crucifixi. Imagines rerum *propriis* afformare non est difficile, si quis visu, vel auditu rem ipsam perspexerit; tum enim hausta ab extrinseco species sese potẽtiæ imaginandi offert. Unde juvat hic vidisse exsculptas, vel expictas, vel in theatro exhibitas imagines variarum personarũ, etiam fictarum, ut v.g. virtutum, vitiorum, urbium, provinciarũ &c. inde enim species se oggerunt ad earum formas repræsentandas. Hinc facilè habetur imago SS. Trinitatis, Angeli Michaëlis, Gabrielis &c. Sic concipimus Abrahamum cum gladio, Isaac cum fasce lignorum, Noëmum cum arca. Moysen cum tabulis, Samsonem cum maxilla asini, Davidem cum psalterio, Eliam cum Zona pellicea, Danielem inter leones; Petrum cum clavibus, Paulum cum ense, Clementem cum anchora, Laurentium cum craticula, Sebastianum cum sagittis, Barbaram cum turri, Catharinam cum rota. Sic & Deorũ, Dearumq; simulacra habemus, Saturnum

num cum infante in ore, & falce in manu, Jovem in aquila cum fulmine. Cupidinem cum arcu & sagittis, Palladem cum scuto & hasta, &c. Sic enim pingi repræsentarique in scena assolent. Potest & imago eorum exprimi cum re quæ cuique sacra est secundùm antiquitatem, ut Apollo cum Lauro, Ceres cum frugibus, Diana cum cerva, Erynnis cum anguibus, Minerva cum noctua &c. sic formas artium liberalium, virtutum ac vitiorum effingimus, v.g. fidei, spei, charitatis, prudentiæ, fortitudinis &c. Hic proderit legisse eos, qui de personis Comicis, emblematis, symbolis, scripserunt. Speculum imaginum occultæ vetitatis P. Jacobi Masen, plurimum lucis & facilitatis afferet. *Improprias* autem imagines efformanti labor imminuitur, si quis troporum Rhetoricorum imbutus sit notitiâ; nam quemadmodum tropus verba à propriâ significatione transfert in alienam, propter connexionem, quam res una habet cum altera, ut explicatum est parte 4. lib. 3. c. 8. ita & hic unius imago ponitur pro alterius imagine, propter connexionem eandem, quam res ipsæ inter se habent: quæ connexio si non foret, inter ipsas res, non posset imago unius deducere in cognitionem alterius rei, ad quam indicandam adhibetur. Unde.

Per Metaphoram imago leonis repræsentat fortem, Pavonis superbum, Vulpis astutum, Testudinis tardum, Leporis timidum Hirci libidinosum, Buffonis terram vorantis

avarum

avarum, violæ humilitatem, lilii virginitatem, rosæ pudorem, adamantis constantiam, smaragdi spem, balsami gratiam, ciconiæ pietatem, hydræ septicipitis septem vitia capitalia, Icari præsumptuosum, sic conjicere perodorari indicatur, scire per videre, vel tenere quid, aut manu capere, ignorare, perversari in tenebris.

Per synecdochen v. g. *ex parte totum*, ut si ponam domus aliquot pro tota urbe, partem terræ, vel aquæ pro tota terra, vel aqua, aliquot spicas pro messe, os, vel dentem gigantia pro gigante, unguem pro leone, caudam vulpinam pro ipsa vulpe. *Ex uno plures*, ut si statuam castrum militare ad significanda plura, militem, civem, canem &c. pro pluribus. Romanum pro Romanis, Turcam pro Turcis, unum nummum vel librum pro pluribus. *Ex materia in qua*, ut si justitiam, pietatem, sapientiam, avaritiam, luxuriam &c. indicare velis, accipe hominem tibi notum, in quo virtutem illam, vitium aut artem esse tibi bellè constat. Sic focus, & ignis ponitur pro calido, glacies vel nix, pro frigido, saxum pro duro, balsamum pro odore, saccarum pro dulci, absynthium & fel pro amaro. Sed hæc ad speciem melius revocaveris, ità ut ex specie genus intelligatur. *Ex matera circa quam* colliges fabrum si ponatur artifex malleo ferrum in incude tundens, pistorem, si fingatur homo fermentum versans, bibulum si circa pocula, epulonem si circa fercula, ava-

rum, si cum loculis statuetur occupatus. Sic fides oculis velatis repræsentatur cum crucifixo, aut ferculo Eucharistico, tanquam una ex præcipuis credendi materia, circà quam occupatur. Sic sensus cum objectis circa quæ versantur, exprimuntur, ut auditus cum sono citharæ, visus cum speculo, gustus cum poculo, odoratus cum flore &c. *Ex specie genus* intelligitur, si ponam fontem pro aquâ, pinum pro arbore, picam pro ave, cerberum vel anglicanum canem pro quovis, narcissum pro flore, hydram pro quocunque monstro; plumam pro re levi, plumbum pro gravi; montem aut elephantem pro magna, pulicem aut granum papaveris, pro re parva, cygnum pro alba, corvum pro nigra, mel pro dulci, fel pro amara, phœnicem pro sole. Sic ipsum genus indicari potest per animal, species, per hominem aut bovem. Hoc modo virtutes & vitia (idem est de artibus liberalibus, & illiberalibus) exprimi possunt accipiendo hominem mihi notum, & in ea virtute præstantem v. g. pro honesto & prudente pono Consulem, pro justo Judicem, pro fœneratore Judæum &c. Idem est de aliis prædicatis communibus, possum enim deformem aut pulchrum imaginari mihi per aliquem talem mihi notum. Idipsum fit dum *ex genere species* intelligitur, v. g. pro Goliatho & Davide à me non viso pono magnum virum mihi notum, lorica galeaque indutum, & parvum rufum cum funda ei contraëuntem

tem. Sic pro balena pone piscem grandem, pro achate gemma, lapillum nigrum albis distinctum venis, pro cedro arborem proceram pro Niso vel Eurialo pugilem, pro Hercule vel Achille fortem, pro Samsone robustum portas ferentem, aut mandibulam &c. Serviunt etiam hîc *antecedentia & consequentia*; ità enim vesperascere significatur per accensionem candelæ, illucescere, per extinctionem, cessare per abeuntem ab opere, mortuum esse per impositionem in tumbam vel sepulchrum, privatum esse officio, dignitate, nobilitate, per fascium aut insignium depositionem, pulsare tympana, pro futuro bello aut tumultu, &c.

Per Metonymiam causa indicat effectum, ut auris auditum, nasus odoratum, arma; aut milites armati bellum, campana sonum, tuba clangorem, acerbum pomum amaritiem, mel aut nectar voluptatem, Instrumenta Musica lætitiam &c. sic pro latratu ponitur canis, pro boatu bos, pro ululatu ulula &c. Ponitur & author pro libris suis, ut Moyses, Prophetæ, Justinianus, Aristotelcs &c. Vicissim effectus causam significat, ut saltus gaudium, faciei oblevatio verecundiam, membrorum trepidatio timorem, sudor, laboris contentionem, pulveris, vel paleæ in aëre circumvolutio, ventum, crumenæ abscissio furem, denique actio ingeniosa ingeniosum, crudelis crudelem, mala malum, bona bonum prodit: ex fructu enim arbor cognoscitur. *Continens*

pro contento usu venit, dum accipitur dolium pro vino, pixis pigmentaria pro unguento, atramentaria pro atramento, pharmacopæa pro medicina, arca obserata pro opibus, carcer pro incarcerato. D. Thomæ summa pro Theologia, Cypriani Soarii liber pro Rhetorica. *Possessor indicat rem possessam*, ut plutus opes, Diana sylvas, Neptunus mare, Juno aërem, pomona hortum, Rex Regum, Dux ducatum, Superior subditos, Pastor oves. Etiam *res possessa possessorem* indicare potest, ut cuprum Ungariam, vinum Hispanicum, Hispaniam, purpura Florentiam &c. prout una Regio, aut urbs præ reliquis aliquo abundat *Signi* autem & *signati* frequentissimus est usus: quia verò non tantùm insignia seu clypei gentilitii, sed etiam instrumenta, v. g. artificium, & habitus, nota & indicium est, huc quoque referenda sunt. Unde agnosces Rom. Imperium ex aquila bicipiti. Turcicum ex Lunæ Hemisphærio. Hispaniam ex turribus. Galliam ex liliis. Boëmiam ex Leone. Sic osculum, pacis signum est, mutuus amplexus, amoris, duarum dexterarum junctura, concordiæ, avida cibi sumptio, famis, & sanitatis, candela inter epulas posita; cænæ, sic dextera passis digitis indicat libertatem, sicut & pileus apud Romanos. Sinistra digitis compressis tenacitatem. Ex instrumentis designatur v. g. Consul ex fascibus & securi, judex glacio, Cubicularius ex aurea clavi, ædituus clavium fasce & scuticâ, miles armis, studio-

sus

sus libro, scriba calamo, lictor loris, murarius malleo, architectus amussi, faber lignarius securi, &c. Sic Geometria per circinum indicatur, astrologia per astrolabium. Ex habitu etiam passim dignoscuntur persona, v.g. miles ex sago apud Romanos. Papa ex tiara & cruce, Cardinalis ex rubro pileo, Imperator ex paludimento, & corona imperiali. Rex ex corona & sceptro, Dux ex pileo & baculo ducali. Monachus Cucullo, Concionator stolâ libroque, dives ex vestitu splendido, pauper ex lacero, venator ex viridi, stultus ex diverso colore & farcimine, lugens ex atris in terram fluentibus. Sic Hispanum, Gallum, Suevum facile habitu agnoscimus, sicut & diversorum ordinum Religiosos.

Per Antonomasiam, intelligitur unus ex alio, dum is qui inter res ejusdem generis princeps habetur, pro aliquo ex sibi inferioribus ponitur, ut Leo pro animalibus terrestribus, aquila pro avibus. Ptolomæus cum astrolabio pro Astrologo, Aristoteles pro Philosopho, Hercules vel Achiles pro forti, Nilus vel Eurialus pro pugile, Messala, qui etiam nominis sui oblitus fuit morbi injuriâ, pro oblivioso, pro memore Metridatem, Senecam, pro crudeli Neronem, pro pudica Penelopem, pro luxurioso Sardanapalum, pro Oratore Tullium, pro Jurisperito Bartholum, aut Justinianum, pro Medico Galenum, pro Theologo D. Thomam &c. qui cò magis rem exprimunt, si suis cum libris ponantur,

aut instrumentis v.g. Ptolomæus cum astrolabio, pro astrologo *Cathachreseos* usus est, dum pro re mihi non visa, aut prorsus ignota colloco imaginem rei mihi notæ, quæ alteri similis est, & propinqua, seu quæ proximè ad eam accedit, v.g. pro DEO Patre accipio imaginem venerandi alicujus senis, ubi similitudo impropria est, item juvenem pro Angelo, vel pro anima, canem pro leone, suem pro apto, gallinam pro perdice. Sic virtutis in forma virginum diverso vestitu exprimuntur, v.g. fides, in niveo: spes, in viridi; luctus nigro, humilitas cinericio. Sic differre negotium exprimam per instrumenti suspensionem, prolongare per telam in longum deductam, incitare per calcar equo additum. Sic cùm ignotus mihi sit Turcarum Imperator, accipiam hominem ferum vultu, & moribus mihi de facie notum, eumq; habitu imperiali Turcico induam. Quod & alias factitandum, quoties alia imago non potest haberi, tùm enim accipienda ei similis & propinqua, sed valde nota, ut faciliùs memoriæ inhæreat. Sic pro Zeuxe vel Apelle ponam pictorem notum, pro Cræso divitem aliquem, pro Iro pauperem, pro Tillio ducem à me visum, sed pietate & armis insignem. Accipi etiam potest talis, qui nominis similitudinem habet, licet non conditionis v.g. Maximilianus aliquis mihi notus est, à me Imperatorio habitu ornatus referre potest Maximilianum Cæsarem.

Ono-

Onomopopœiæ. Hic locus nullus, cùm imago ad similitudinem soni effingi non possit : nisi velis huc revocare voces illas, quarum una ignota ad similitudinem alterius notæ concipitur v. g. Democrates assumam dæmonem per crates aspicientem, Longobardus, accipiam procerum staturâ cum longa barba, Colonienſis, ponam colonos duos, qui ut ensem sibi extorqueant, inter se luctantur. Ad hæc & his similia ad catechresim referri possunt ob nominis similitudinem, & affinitatem.

Maralepsis autem memorantem non adjuvat, nam sicut orationem ità & memoriam obscurat, & confundit potiùs.

Allegoriam sapiunt, quæ per adagia exprimuntur, ut, pro deficere, abjicere jugum; pro considerare, emeriti gnomone, vel bilance expendere; duabus se Anchoris fulcire, pro subsidium habere; crebro aquam haurire, frustra laborare: omnem lapidem movere, omnia tentare, umbrâ fugere, timere. Sed hæc ad metaphoram pertinent, cùm similitudo non sit continuata. Aptiùs huc peitinent imagines, quæ ità actione concatenatæ sunt, ut tamen aliud referre videantur, quàm sint. Quod fit, dum sensus integer per imagines aptè sibi connexas exprimitur v. g. hæc sententia. Princeps sine literis, est quasi navis sine remige, & volucris sine pennis, ponitur enim navis, in ea Princeps, juxta quam consiliarius, in cujus toga multæ aureæ literæ, pro ut multi flores

in vestitu florido ; Princeps autem nullam habeat litteram : deinde in loco navis ubi remigi locus est, nullus sit, nec remi appareant, & volucrem v. g. ciconiam deplumatam ex malo navis suspendo. Sic hæ voces igniferum veru, avis, capo, armus ovellus, puer, cineres, ancilla, baculus, mater, sic actione connexa effingi possunt : igniferum uncum habet quo sustinet veru, hoc transfixum avi caponi, & armo ovillo, à puero vertitur in cineres, ideò ancilla illum percutit baculo, mater autem objurgat. Sic Petrus flagellum, canis, porcus, situla, cerevisia, vermes, arena, continuata imagine exprimi possunt : Petrus flagello cædit canem, hic porcum mordet fugientem, & situlam evertit cerevisiâ plenam, in cujus fundo vermes sunt, qui effusi, nè nauseam moveant aspicientibus, arenâ teguntur. *Hæc cantenula memoriæ* dicitur, memoriæ plurimùm conferens ad facilitatem : res tamen sæpè non patiuntur ut semper haberi possit. Allegoria etiam contrarium significat per *ironiam*, ut si pro celeritate ponam testudinem, pro pulchro Thersitem, aut Æsopum, Æthiopem pro albo, cæcum pro vidente, mutum pro loquace &c. oportet tamen his addere signum quo non constet non pro se, sed pro appositio collocari, sicut enim ironia tropus extrinsecè illusionis signum, addit, ut intelligatur, prout suo loco dictum est, ità & imago ironica & entiphrastica; quale esse potest situs inversus v. g. stat Æthiops in capite

Cantenula memoriæ.

capite pedibus sursum , aut inverso thorace, vel hastâ collocetur ; hoc enim inversionem seu ironiam significat.

Hyperbolicam imaginem etiam quandoque adhibemus, quando scilicet res repræsentandæ tàm sunt magnæ , ut loca earum capacia non sint, aut contrà tàm exiles , ut intuitum mentis effugere possint, aut vim non habeant ad memoriam excitandam. Concipimus igitur pilum aut filum instar funis, muscam instar testudinis, pulicem instar elephantis, granum papaveris instar globi majoris , & contrà montem instar colliculi aut tumuli , silvam velut congeriem parvam arbuscularum, solem , lunam, instar casei Hollandici , &c. Imitamur hic pictores, qui rem licet grandem in forma parva exprimunt , aut perspectivè artifices , qui vitris minuentibus rem grandem, ut parvam intuentur; vitris verò augentibus rem pusillam, ut maximam v. g. granum milii velut montem repræsentant.

Ex his patet principia formandarum imaginum in troporum notitia consistere Quo etiam referenda hieroglyphica , quibus Ægypti characterum loco utebantur , quorum notitia plurimum doctrinæ præsenti deserviet. Quare legendus erit Piericus, Causinus in symbolica Ægyptiorum sapientia Athanasius Kircherus in obelisco Pamphilo, &c. Ponebatur enim apud eos anchora pro fideli & perfugio extremo, Camelus pro pigro tardoque , aquila pro rege, accipiter pro prædone, canis

canis pro custode, simia pro simulatore & parasito, fœmina pro inconstanti, molitor pro fure, taurus pro laborioso, hamus pro fallace, alea pro re ancipiti, fulmen aut sagitta pro violentia, arista pro frugifera, platanus pro sterili &c. sed de ratione formãdarũ imaginũ satis nũc aliqua adjicienda de earũ cõditione & lege

conditiones imaginum.

I, Est ut res (si moram patitur:) priùs bis terve expendatur, quam imagine exprimatur, ne post meliori occurrente, prior confessionem aut difficultatem in oppugnando faciat. II Habeant imagines proportionem & convenientiam cum loco & personis: cum his quidem quoad decorem actionis, non enim rectè Regi vel Principi, actio ruricolæ tribuitur, & aptiùs divitiæ per fœminam divitem, bellum per virum armatum, quàm contra exprimitur. Si neutrum sit, potest poni persona larvata. Cum loco autem, ut non sit major quã receptaculum: neq; minor, ut non apparere videatur. Quod si major vel minor sit, quàm oporteat, utendum hyperbole, vel abjicienda actio eam demonstrans, ut si ancilla muscam è patina mellis abigat. Quod si verò eò loci, quo imago collocatur, res ipsa soleat esse, addendũ illi adjunctum vel actio insolita, ut memoriã excitet v. g. ponatur sedes inversa, tum enim signũ erit eam ad significandũ adhiberi, & non ex more inibi stare. III. Sint imagines potiùs rerum notarum, si haberi possunt quàm ignotarum, aut minùs notarum, faciliùs enim memoriam excitant: Et quo possunt esse illustrio-

res

res, eò aptiores erunt. IV. Non sint otiosæ & inanimes: Hinc vita, actio, & motus iis est attribuendus, insignis enim actio, & motus fortiter memoriam excitat. Hinc equus pede terram pulset, aut fodicet, lupus oves dilaniet, vulpes gallinam ferat &c. Personis addantur gestus & affectus varii pro opportunitate materiæ, lætitiæ, tristitiæ, indignationis, admirationis, commiserationis &c. Quod si res sit inanimis, adjungatur personæ, ut v. g. lapidem puer jaciat, petra lapicida cedat, &c. Quædam tamen res, licet inanimes, aptæ sunt effectum in cognscente concitare, atque adeò memoriam excitare, ut sunt novæ, admirabiles, raræ, delectabiles, deformes, ridiculæ, monstrosæ, horribiles. pulchræ, amabiles, gratæ, illustres &c. Et hujusmodi actiones, aut passiones si personis addantur, præ aliis natæ sunt memoriam excitare, v. g. ut si homo sit scissâ facie, magno naso, gibbositate monstrosâ, lacer vestitu, ac penè nudus. V. Si unius ejusdemque imago sæpiùs redeat, varianda vel in substantia, vel in adjuncto, ut si jam posui pro innocentia agnum, alterâ vice locabo virgunculam niveis indutam cum columba. Si tres Turcæ obviant, unum ponam gibbosum, alterũ monoculum, tertiũ sine naso: nam quemadmodum locorũ similitudo confusionem parit, ità & imaginum. Hoc itidem observandũ in vocibus sinonymis, ut Petra, saxum, lapis, quare & hæ signo adjunctivè literæ, syllabæ, vel personæ distinguendæ, ut

si

si Petrum adjungam petræ, saxo incidam S. Et cum uni loco non una tantum affigenda sit imago, ne tam multi occupentur loci, statu, potest una atq; altera magna cum pluribus adjunctis parvis, hoc enim fieri potest per imaginationem, non secùs ac per picturam. VI. Hac arte non est in omnibus passim utendum, ita ut singula quæ quis legit, videt, audit, per artem memoriæ tradat, ac retineat, sed potissimùm studiis difficilioribus, ac rebus magis necessariis applicanda. Sed neq; in unius, v. g, concionis aut orationis verbis singulis exprimendis laborandum: sed legenda est primùm tota ut vult Cicero tardè, & considerate, deinde in compendium redigatur per puncta, vel periedos, & poterit sæpè unâ imagine periodus integra notari, reliqua enim minùs præcipua, quia sensu connexa sunt, facilè memoria suggeret. Verùm de hoc plura infrà. VII. Perneccessarium est, ut absoluto uno pariete, antequam ad secundum imaginibus implendum procedamus, eum repetamus; deinde antequam ad tertium, secundùm revolvamus, & sic deinceps, si videlicet bene repetimus, alioqui ob memoriam falli experiemur, subsistemus, & fortiùs imaginationi imprimemus. Cavendum autem, nè quemadmodum inter repetendum quis oculos in parirte fixos statuæ instar gerit, sic & inter recitandum postea, quod multis usu venit. Expedit itaque repetitionem fieri cum gestu convenienti, uti inter recitandum ille sit expeditus.

§. V. De

§. V. *De vocabulis ignotis, pronominibus, præpositionibus, adverbiis, &c. citationibus & numeris, quomodo eorum imagines formanda.*

Difficultas oboritur circa voces, quæ aut nullam habent significationem, aut quarum significatio nobis ignota; harum enim imago formari non potest, cùm res ignoretur. Et tamen linguas novas addiscenti, aut peregrina vocàbula memoriæ mandanti necessaria est & harum perceptio. Sunt verò etiam voces, quæ significationem quidem habent aliquam, sed per se nil efficiunt, ut præpôsitiones, adverbia, conjunctiones, interjectiones. In Authorum quoque citationibus exprimendis, atque numeris librorum, & capitum, scopulus esse potest, in quem ignarus offendat. Quare in præsenti §. ea exponenda esse duxi. Ut verò memoriæ facilitati consulatur, oportet, ut per jam nota, & menti impressa, deducamur in cognitionem ignotorum; quare ejusmodi principia assumenda sunt, quæ jam plenè perspecta habemus, ut sunt litteræ Alphabeti, vocabula, quæ in penu memoriæ jam sunt, & aliquam cum ignotis habent similitudinem, vel affiniratem, *ex toto* vel ex *parte*, v. g. in una vel altera syllaba. Ex *toto*, ut Cicero cum Cicere, Naso, cum naso, Plutarchus quasi Pluti arcus, Aristarchus, quasi Arista & arcus, Lacedæmones, quasi lacescunt dæmones, Isaac, quasi unum l. in sacco expressum, Erasmus, quasi cras

mus

mus. Seneca quasi senex, fœmina, Cato quasi catus homo, Scipio Africanus per modum baculi Africam sustinentis, Verres per modum porci, Colonien sis, quasi ensis coloni. Vel ex *parte* ut Elysii, quasi Silesii, Vespasianus quasi vespa & anus quam illa vexet, & ista in illa depellenda laborat, Lactantius quasi lac & jus. Pyrrus quasi pyrus, Augustinus, quasi Augustus, Martinus quasi Martius. Vigilantius quasi vigil. Hæc affinitas & similitudo etiam in aliis linguis notari potest, ut Leopoldus quasi Lieb-Holb/ Germanus quasi Jahr-Mann/ Hermannus, Hermann auß/ Adam quasi Athem/ Cyrus quasi Zier. Sic affine est, Sol & Sonn/ Sal & Saltz/ & in Boëmico Drahomira, si dividatur Ludmilla, Wenceslaus, Mahomet, &c. Sed advertendum hic 1. ut cùm plurium linguarum notitiam habueris, nè quod Germanicâ aut Græca dictione notâsti, Latinâ denotâsse putes. 2. Ut quâ serie voces in ignoto positæ sunt vocabulo, eâdem serie vocum, notarum imagines collocentur, alioqui aliud se offeret. Sic fit nomen Philosophi apud Ciceronem Alabandensis, in quo est ala, pars avium, band quod Germanis ligamen sonat, & ensis; Si band non advertas Germanâ linguâ esse positum, hærebis. Si iterum series mutetur imaginum, leges banda la ensis vel ensis alaband. Advertendum 3. hæc & alia hujus generis exempla fontem habere vel Catachresin, quia similis vox in literis

&

& syllabis (quanquam dissimilis in significatione) imaginem dat pro altera vel propinqua, vel Paronomasiam, seu annominationem figuram verborum tertii generis. Hinc sicut Paronomasia quatuor fit modis juxta dicta l. 3. c. 28. sic & in præsenti doctrina observandi sunt modi quatuor. *Primus* fit adjectione syllabæ vel literæ in principio, medio, vel fine dictionis, ut si pro vis, ponatur clavis, pro per, aper, pro amen acumen, pro alium alliũ, pro anima animal; ubi observandum juxta dicta superiùs, ut quantum fieri potest, actio imagini tribuatur, v. g. quod clavis viaperiat, aper per retia dissupta fugiat &c. *Secundus fit detractione* literæ vel syllabæ similiter in principio medio vel fine dictionis, ut spes, pes, acervus cervus, mensis, ensis, tiara ara, religio, regio, morbus mors, annus, anus, canabis canis, *spaira* fera, verus veru, sagax, saga, noxa, nox, Notandum autem quòd in his modis signum adjiciendum sit (quanquam putant aliqui mente satis notari posse ob similitudinem quam inter se habent.) ad indicandum aliquid additum esse, vel detractum. Hoc autem fieri potest vel in imagine ipsa, ut si *aper* effingatur sinè capite, notabit sine initiali litera offerendum *per*. Si sine collo *aer* si sine caude are. Vel si ei, aliquo colore addatur macula, vel lappa, vel asteriscus, vel ponatur arithmetica O, tum enim refricabit nihil importare. Ut si in acumen O. Imagini superponatur in me-

dio

dio, denotabit syllabæ mediæ nullam inesse vim. Sic si ensi addam *marum* indicabit, M. addendum esse, si *regioni ligonem*, si anui in fronte vel pictore N. majusculam, erit annus legendum. S. Casparus mihi notus sine ventre ponatur indicabit *carus*. Hoc etiam per actionem fieri potest: ut si hæc vox *casus* exprimenda per suem, ut ei addatur syllaba *ca* fingatur Casparus suem in fronte veru transfigere; si cumulus per mulum, idem Casparus venabulum mulo in fronte infigat.

Tertius fit commutatione, quando una litera, vel syllaba in alteram mutatur, ut in illa olla, virago, vorago, simus, limus, fimus, Tiberius, Nero, Biberius, Mero, amantes, amentes prætores, prædones, cœna cœnum *Télos* telum *Techni* techna, *Pos* vos, *péros* genit, pyrus, Signum autem, quod immutationem indicet sumi potest ex re & persona, qua in nomine suo literam illam vel syllabam gerit, ut si fimo superimponam scamnum, initialis scamni litera indicabit ligendum simus, idem erit, si super fimum ponam Simonem mihi de nomine notum.

Quartus fit trajectione literarum, vel syllabarum absque ulla illarum immutatione quo ad se, sed quo ad situm & ordinem. Ut aura arva, procus, corpus, porcus. Maro amor Roma, Leopoldus, duplo sole, aut pelo duos. Hinc itidem signum addendum

dum, vel mente notandum est. Posset hic apponi Typographus seriem literarum pro Typo disponens.

Alius adhuc modus est, ut cum vocabula ex literis fiant, & componantur, si quis habeat alphabetum ex signis & notis confectum, illudque exactè teneat, potest eo quascunque dictiones peregrinas annotare. Tale esse potest ex variis instrumẽtis v.g. pro A accipe circinum apertum cũ trãsversali, pro B. compedes quibus uterque pes jungitur, pro C. medium vietoris circulum, pro D. arcum attractum per chordam. prò E. seram cum duobus manubriis & funiculo in medio quo attrahitur pro F. falcem majorem, pro G. falcem minorem, aut cultrum sutorium, pro H. cippum pro manibus, cujusmodi in pagorum medio stare solent, vel veru pro ut duabus in principio & fine colũnis eminentibus rotatur ad ignem, pro I. columna simplex, pro K. columna cum medio vietorum circulo, pro L. securis, pro M. duæ columnæ cum angulari fabrorum amussi, pro N. aptari possunt tres quatrantes ulnæ plicatillis. O. dabit quilibet circulus. P. pars una emunctorii. Q. pessulus in cujus manubrio circulus. R. pedum episcopale cum dependentia. S. Serpens. T. malleus, V. amussis fabrorum angularis, X. crux, aut forfices apertæ, Y. furca aut manubrium rastri vel hami, Z. sicut N. cum diverso situ.

Alphabetum.

Aliud. Alii alphabetum sibi conficiunt ex nominibus Sanctorum & Sanctarum, vel notorũ hominum, quorum imaginibus pro literis utantur in vocabulo notando, sic enim nullũ dabitur vocabulum, quod non posset annotari v.d. pro A. Antonius, Andreas, Augustinus. pro B. Bartholomæus, Bernardus, Bonaventura. pro C. Christus, Cornelius, Conradus. &c. Hoc Alphabetum confectum, si quis sibi familiare reddiderit, poterit eâdem facilitate voces quascunque dicere, quâ literis corporeis scriptas legere consuevit. Disponat solùm imagines personarum sibi *notarum* eo ordine, quo literæ poni deberent. Sive jam mensæ assideant, sive humi, sive stent rectâ, quadratâ, circulari figurâ, perinde est, modò constet, à qua incipienda sit lectio. Quod hic de Alphabeto personarum dicitur, idem fieri potest, in quadrupedum, avium, piscium, herbarum, arborum &c. ut aquila, bubo, corvus, asinus, bos, cervus, anguilla, balæna, carpio &c. Et possumus pro uno loco hoc, pro alio altero alphabeto uti. Consultiùs tamen est eodem uti; quoties verò in eodem vocabulo eadem litera redit v. g. A in taratantara, toties eadem imago resumatur. Compendiosior autem modus iste fit, si pro imaginibus literarum, imagines syllabarum substituantur. quia paucioribus imaginibus opus erit, ut pro *Ab* Abbas mihi de facie notus, *ac* accipiter, *ad* advocatus mihi notus, *af* affinis meus

meus &c. *ba* baculus, *be* beta, *bi* bilanx, *bo* botrus, *bu* butyrum, *by* byssus, *ca* caput, *ce* cedrus, *ci* cinis, *co* codex, *cu* cuculus, *cy* cypressus, &c. Compendiosior ut dixi hic modus est, sed difficultas est pro omni syllaba ex alphabeto combinali, vocabulum usitatum reperire v. g. pro blictri. Squindapsi. Quare saltem usitatiorum ex Calepino, vel Dasypodio conscribendus indiculus, in quo, parte unâ omnes syllabæ usitatæ, in parte opposita, voces correspondentes significativæ, insignem imaginem habentes, quas ad unguem edisce re, & exercitatione firmare magnum operæ pretium est. Ex utroque literis nempe & syllabis, mixtus est modus, si ponam pro *animo* Antonium *in* (per trajectionem) *mola* quid agentem. si pro *bra* Bartholomæum *rapas* edentem: si pro *tra* Thomam *ranas* excoriantem. Sic pro *alacer* ponam *alatum cervum*, pro barathro Bernardum aratro insidentem, pro *solus*, si Salomon olus edat. Si Albertus *molam* versat, habebis amo, Ernestus, emo, si Joannes imò. Ex his.

Collige quomodo particulæ pronominum, præpositionum, adverbiorum, interjectionum, conjunctionum, exprimi possunt & annotari; literis nempe vel syllabis modo dicto. v. g. *ego* Ponatur Ernestus, Georgius, Onuphrius, *tu* tuba, vel Turca victus, aut vinctus. Pro clam, clavis in *manu*, pro *palam* pala, pro *inter* interula &c. Ut autem

citiùs & feliciùs memoriam excitent, res syllabam constituentes, cum actionibus aptis efformentur. v.g. pro *ab* statuatur Albertus cum bipenni vel baculo, pro *Abs* Albertus bombardam in simiã explodat, pro *nec.* Nicolaus emungat candelam: *nam* referet Nicolaus aurum manu portans, *jam* Joannes idem faciens: vel aleam mensæ imponens, *cras* Casparus rapas simoni dans &c. Hic advertendum si præpositio duplicẽ casum regat ut *in sub super* signo aliquo indicari potest. v g. pro accusativo ponatur stella aurea, pro ablativo argentea, vel quid simile. Cæterúm qui singulatum vocum minutias non curant, generatim signo aliquo eas exprimũt v. g. adverbia loci, loculis tẽporis, horologio; confirmandi sigillo, demonstrandi indice, hortandi tubâ &c. Conjunctionibus copulativis vinculum quoddã affingunt disjunctivis idem, sed disruptum discretivis serram, adversativis cornua &c. Quod simul iter in Interjectionib⁹ factitant Pro horum omnium meliori successu observandum, ut res & personas notissimas sumamus, easque forti imaginatione exprimamus; unde repetitione opus erit, 2. Vt eædem syllabam componentes optimè cohæreant. Quare persona agens primum ferè locum teneat, proximum res, quòd si duæ fuerint similiter habentes se, prior in persona dextera, posterior in sinistra, ita ut persona locum primum, res in dextra proximum,

ultimum

ultimum ea quæ in siniſtra teneat v. g. *cur* exprimitur per Caſparum cum ungula in dextra, raſtro in ſiniſtra, ad te converſum. Si duarum una, ut res locanda, altera ut locus affecta fuerit, illa prior, hæc poſterior erit v. g. Cornelius ungulam in riſum exponens *cur* apprimat. Si perſona aſſumatur altera, res per accuſandi caſum elata mediũ locum tenebit, accuſativus enim rei præponitur dativo perſonæ. v. g. Cornelius dat ungulam Rudolpho. Quod ſi hæc ut inſtrumentum alteri applicabitur, eidem illa præibit: v. g. Cornelius ungula ranam occidit. Continens contento etiam præponitur v. g. Cornelius tenet urnâ rapas. Sedes quoque perſonarum rationi accommodata eadem proximè ſequitur, ut Joannes ſedens ſuper lapidem, dat librũ Urbano ſuper dolium ſedenti. Diligenter cavendum eſt, ne in vocabulis deligendis errorem ſimilitudo pariat, ut ſi tantum ſumas, ne te bovem aut vaccam accepiſſe arbitreris. Hinc & dictionum ſynonymia ſummo ſtudio fugienda eſt, ne ſcilicet dum hanc vocem enſis aſſumpſiſti, gladium te ſumpſiſſe putes. Quod ut evitetur, dictiones in usũ hunc delectas in chartam inſcribes, inſcriptaſq; crebrò perleges; evitabitur etiam ejuſmodi error, ſi accidens aliquod pro diſcrimine adjeceris accommodatum, ut ſi pro enſe ferrum ſit latum, quale gerunt Carnifices, pro gladio. tenue & oblongum. Sed jam

ad citationes & numeros tandem veniamus.

de Citationibus.

In citationibus exprimendus 1. Venit Author libri. 2. liber. 3. caput, sectio, articulus, paragraphus, numerus, versus &c. *Author* suâ vel alterius hujus professionis, aut nominis imagine effor mari potest, ut si pro Bartholo ponam insignem Jurisperitum mihi notum, pro Daniele aliquem, qui hoc nomen gerit. Suâ verò imagine repræsentatur. v. g. Moyses cum cornibus & tabulis. Matthæus cum Angelo, Marcus cum Leone, Lucas cum bove, Joannes cum Aquila. S. Gregorius M. habitu Pontificio cum columba humeris insidente, Augustinus cum corde ardente &c. *Libri* imago assumitur ex materia quam tractat, vel ex *toto* ut Aristoteles de cælo, ubi ponam Aristotelem cum libro, in quo stellæ, vel astrolabium, vel ex *parte præcipua*, sic Moyses ponatur cum libro in quo imago Adami & Evæ, vel DEI creantis cælum & terram, & indicabitur Genesis, pro Exodo ponam filios Israël mare transeuntes, & Pharaonem cum suis fluctuantem, pro Levitico ponam Moysem cum Aarone & Levitis, pro Numeris Moysem cum libro, in quo numeri multi Arithmetici, pro Deuteronomio Moysem cum tabulis Decalogi, quem populo circumfuso explicet, pro libro Josue, imaginem Josuë, pro Judicum Othonielem vel Sampsonem. Pro Ruth ipsius imaginem, pro libro 1. Regum. Saulem, pro 2 Davidem,

pro

pro 3. Salomonem, pro 4. Joram vel Achab vel Eliam vel Elizæum, pro libro psalmorum Davidem, cum Cithara, Proverbia Salomonis, Salomonem habitu Philosophi Moralis. Ecclesiasten per habitum in suggestu concionantis, Librum Sapientiæ per Salomonem, dextrâ librum, sinistrâ serpentem. Isaias referri potest cum serra, Jeremias in lacu, Daniel inter leones, Jonas in cæto Ezechiel inter rotas & animalia &c Evangelium Lucæ adjectâ tubâ, actus Apostolorum adjungendo Lucæ, imaginem Stephani, Saulis, aut Apostolorum Evangelium Joannis, si illum faciam in suggestu prædicãtem, epistolam, si ei epistolam ad manum dem vel faciam scribentem, Apocalipsim si in manu teneat librum septem sigillis clausum.

Sic diversas epistolas Pauli, diversis adjunctis indicabo: Si ei adjungam nuntiũ literas ferentem cum insigni Rom. Imperii vel Romæ, erit ad Romanos, si cor in tabellarii insigni collocem Corinth. Si E Ephes. &c. sic Pastorale S. Gregorii per imaginem pastoris in libri theca, S. Augustini de Trinitate, per imaginem, S. S. S. Triados, de Civitate DEI &c. Ita jus Pontificium seu Canonicum per librum grandem, quem Pontifex, vel Canonicus demonstret, sicuti civile per librum à Senatore vel cive monstrari potest. Formari item hic possunt imagines juxta dicta de vocabulis ignotis, ut Aristotelis Logica, loricâ, Phisica vesicâ, digesta digi-

tis in manu ingentibus, Pandecta, pane, Authentica aucupe, Codex, codice &c. Jam quod citationes librorum quoad subdivisiones, quas habent, attinet, advertendum primò apud alios esse alias; his enim in usu sunt decades, tractatus, disputationes, sectiones, capita, quæstiones, articuli, numeri, illis aphorismi, canones, leges, commentum, textus, glossa, paragraphus, distinctiones, decreta, consilia &c. Solent & pro numero Canonistæ & Legistæ principium Canonis & legis allegare. Hoc prænotato primùm designandis numeris dicemus.

Numeri efformari possunt figurâ, quam habent in Latina lingua vel vulgari, sed magnitudine debita, & colore insuero, ut vivacius excitent. 2. Instrumentis aut rebus similitudinem eorum referentibus; & hic modus utpote ad excitandum promptior, præplacet. Ponam igitur pro 1. candelam, ulnam, baculum, columnulam, hastulam. Pro 2. furcam bicuspidem, animal bipes v. g. ciconiam. Pro 3. serpentem tortum, tripodem, sedem tribus pedibus insistentem, furcam tricuspidem, patibulum trium columnarum. Pro 4. aleam, mensam quadratam, patibulum quatuor columnarum, currum, animal quadrupes. Pro 5. quinque digitos in manu, figuram Mathematicam cum quinque angulis, equum quadrigæ junctum, animal quadrupes cum uno cornu, uti

uti rhinoceros. Pro 6. tripodem, vel tripedalem sedem duplicem, super se positas, animal quadrupes cum duobus cornibus, currum à duobus equis tractum, stellam cum sex radiis. Pro 7. securim, gnomonem cum duobus ostii angulis, patibulum militare, currum à tribus equis tractum. Pro 8. horologium arenarium, calicem, perspicilia, duos annulos vel globos supra se positos. Pro 9. cornu, triplicatos tripodes, vel sedes supra se invicem positas. Pro 10. crucem, circulum, annulum, serpentem caudam ore mordentem adjectâ unitatis figurâ. Ex his quicunque alii majores numeri componi poterunt. Solet etiam pro 50. sumi ocrea, pes, securis inversa vel gnomon, refert enim L. quod latinis quinquaginta significat. Sic pro C. quod centum facit semicirculus lunæ, arcus, Cornu, &c. pro D. amphora cum ansa, M. duæ columnæ, in quarum supremitate pedibus affixus homo, capite dependeat. In reliquis universim citationibus *vel* recurratur ad earum significationem & juxta eam imago exprimatur, per metaphoram, catachresin, synecdochen, Metonymiam &c. vel ad modum vocabulorum ignotorum imago formetur, ut si titulus in jure sit de aleatoribus, viduis, pupillis, usura &c. hujusmodi homines mihi notos effingam, pro lege regulam architectonicam, pro capite, caput ponam, pro paragrapho vel sectione sectum in fronte vulnus, in figura paragraphi: pro articulo, articulum in digito &c. hæc ad primum modum spectant.

ctant, ad secundum quæ sequuntur, ut si quis pro articulo arteriam tangat. pro part. barbam, pro commento mentum, pro distinctione dentes, pro Canone capillos canos, pro versu verticem, pro numero nummum, pro titulo vitulum, pro textu textorem, pro glossa glossam, porcam, vel glomerem &c. sunt qui depingunt, aut sculpunt in libris citiones istas majusculis literis, quod fieri potest, dum principia legum allegantur. Alii primas earum literas figuris instrumentalibus, liberas alphabeti referẽtibus exprimũt. de quibus Rosellus lib. 2. qui etiam vario membrorum situ in humano corpore eas formari posse docet, unde & alphabethum pro ignotis vocabulis effici valet. Sed nè longior sim, concludam dicta uno & altero exemplo v. g. citandus sit Augustinus libro 3 de civitate DEI cap. 8. detur ei liber in manum dexteram, cujus tres digiti erecti ostendunt tria, in manum sinistram calix, quem teneat juxta caput & sic à capite habetur caput, à calice octo. Iterum v. g. dicendum sit Matth. 3. constituatur Matthæus cum Angelo super sedem tripedalem, si digitis verticem tangat, indicabit simul versum. Si plures citationes sint, eæ per hominis partes collocari possunt v g. prima seu liber in pectore, secunda in manu dextra, tertia in capite, quarta in sinistra: ut l. servus 7 ff. de bon. possess. dextrâ servum percutiet is, qui gnomonem super caput erectum habet, sinistraq; sportulam pomis (pro bonis) portat. Idem fiet si §. legi addatur, ut l. bona-

§. in-

§. initio autem, ff. eod. poma dextrâ ferat, in capite *vitem in* qua *avis* siniſtra cotem pro eodem.

§. VI. *Ordinaria imperitorum objectio diluitur & praxis declaratur.*

Detrectant, atque etiam deſpiciunt hanc memorandi artem quidam, quod difficultatem eſſe exiſtiment in memorandis locis & imaginibus retinendis: ut ut enim facilis ſit quiſpiam in imaginibus concipiendis, laborem non effugit in annotando, quid cuique loco, qualem imaginem affinxerit, aut affixerit. Eodem enim aut forſitan minori, inquiunt illi, rem ipſam ſine idolis memoriæ commendavero, quem in imaginibus exprimendis & conſervandis cum ſuo unamquamque diſcrimine impendere eſt neceſſe. Verùm falluntur hi idque ex eo, quod experti non ſint, quàm facilè qualibet imago ſponte ſua ſe offerat, in loco in quo repoſita eſt, ſi nimirum loci bene diſtributi ſint, & meditati. Quemadmodum enim ſi domi ſedens perluſtrem mente urbis officinas mihi priùs perſpectas, facilè ſe mihi oggeret, quid mercium, artificum, inſtrumentorum &c. in iis viderim: quod idem evenit, dum domos mente percurro, facilè enim occurrit, quis quamlibet incolat, cujus ætatis, ſexûs, dignitatis, vultûs &c. ſi bonam illorum notitiam priùs habuero. Ità prorſus contingit in iis, quæ per electiorum mētis in locis velut ſuis

in ſe-

in ſedibus collocavimus, ſimulachris; Et verò ſi farraginem rerum v.g librorum, chartarum actionum diſpertientur ſua in loculamẽta & repoſitoria, ut vocant, ſatis exactè meminimus, poſt primam digeſtionem, ſi locorum & titulorum cognitionem combibimus: eccur earùm, quas reponimus imaginum non reminiſceremur? ſi harum ſimul & locorum præceſſerit cognitio. Facit igitur 1. ad vividam ſpecierum excitationem præhabita loci notitia, unde ante omnia locos oportet eſſe bene meditatos (quod frequenti fit repetitione, eaq; rectâ, retrogradâ & intercalari) ut iis facilè occurrentibus, ſimul id ſe offerat, quod in loco eſt collocatum. 2. juvat ordo locorum, & imaginum, ſive is naturalis ſit, quem res ſe habent, ſive artificials, quem nos illis tribuimus, illo enim ab uno ducimur in cognitionem alterius, trahitque res una alteram, velut anſa anſam in ferrea catena. Talis catenula memoriæ eſt in illo: Mus non credit, quo faciliùs ſanè, quàm aliàs ſacerdotes meminerunt in Miſſa de lege ordinaria non dicendum Credo, quando ſanctus vel ſancta, eſt Martyr, aut Virgo, aut Confeſſor. Talis item eſt in gratiarum actione Eccleſiaſtica poſt menſam, quâ initium notatur verſuum D. (quaſi Dominus vel Doctor) Brins. Hæc catenula verborum eſt: rerum & actionum require ſuprà. 3. plurimùm momenti confert addita imaginibus actio lepida, jucunda, admirabilis &c. de qua ſuprà cum de conditione imaginum diceretur, actum eſt: ut ſi carpere deſiguem per eum qui car-

carpit rosas, quæ cum sine aculeo non sint, se facilè pungit. Si phantasticum exhibeam; cujus caput muscæ circumvolent, quas farcimine depellere nitatur &c. hæc enim valdè memoriam excitant. 4. Servit exercitatio, & repetitio, memoria enim, Tullio teste, excolendo, sicut alia omnia, augetur. Proinde, quē admodum primùm quidem difficiles, ac tardi sumus in fidibus canendo, organum pulsando, literas legendo, formando, linguam latinam addiscendo; at usu tam faciles evadimus, ut quanquam mentem singulariter non applicemus, sine reflexione, & hæsitatione promptè atque expeditè legamus, scribamus, latinè loquamur, &c. Ita principio difficultas est aliqua; at constanti industria superata miram confert facultatem & facilitatem, ut non secus atq; à libro ante oculos posito edicere valeam⁹, qui olim in syllabis ac literis singulis hæsitavimus. Experimur quā fixe menti impressa hæreant, quæ sæpiùs audimus, legimus, oramus, esto nō ediscamus; neq; tamē advertimus id non aliūde proficisci, quā à frequēti repetitione. Hāc igitur si cōmendatam sibi habuerit artis hujᵘ affectator, advertet, post 6 mensium spatium (quod ad artis totius assecutionem perfectā requirunt periti) quantum futuros in annos subsidium sibi comparaverit. Ne verò initio mentem obruat, aut confundat multitudine, post delibatam de locis & imaginibus doctrinā (quod duodecim aut quatuordecim dierum intervallo commodè fieri potest) vel unam solùm quotidiè horam insumendo (pauca sibi primùm loca & imagines præfigat, & ali-

aliquoties revolvat animo per semi horam, vel horulam, ordine recto, retrogrado, intercallari. Tum interposito per horas aliquot alio negotio, aut mentis vacatione, studium hoc intermittat. Demum resumpto animo recolat præterita modo jam dicto, novisque additis pluribus, aut paucoribus, mentem similiter exerceat, & ubi eam falli animadverterit, firmiùs imprimat leviter hærentia. Dum autem novis occupatur, de prioribus non sit sollicitus; metus enim ille distrahit, & perturbat. At neque sic repetitionem instituat, quasi ex mente sua educeret, quæ recolit; sed ita quasi in loco existentia intueretur: unde etiam imagines cum actionibus sic in locis concipiendæ sunt ad vivum, quasi revera inibi essent; atque etiam eo ordine, quo per res, aut voces postea sunt memorandæ: ut deinde, cùm usus tulerit aliquid depromendi in congressu, concione, &c. mente in illam domum, cubiculum, parietem, in quem reposuimus, directa, illud resumamus velut depositum repetituri. Ut verò exercitatio cum utilitate sit conjuncta, priusquam principium illius post bene impressos locos sumamus. 1. Deligenda materia in qua profectum capere intendimus v.g. Historica, moralis, sacra, profana, Juridica, Philosophica &c. Rhetor ipsius Rhetoricæ præcepta sibi sumere potest, & convenientem ei domum assignare, v.g. palatium, ante cujus limen excubitores quærentes, quis veniat, qua in causa &c. & his per-

personis attribui possunt, quæ habentur in præliminaribus Rhetoricæ, quid Rhetorica? quæstio &c. In ratio extrinseco in variis sedibus sedeant personati loci extrinseci, in interiori conclavi loci intrinseci, qui etiam per varias imagines repræsentari poterunt, v g. in primo loco, primi parietis, Pallas circino figuram describat, in qua, peripheria differentiam, centrum seu punctum in medio, genus indicabit. In secundo loco v. g. Zacharias in tabella scribat: Joannes est nomen ejus, & ethymologiam referet. Conjugata verò, si ei addam conjugem Elizabeth, & cognatos cum inscriptione: quis putas puer iste erit? vel scaturiginem cum aliquot rivulis, in quibus voces ab una derivatæ in tabellis natent. Genus in alio repræsentare potest figulus, limum in rota versans sine ulla tamen adhuc forma: speciem autem varia vasa jam formata. Simile duo ova, Castor & Pollux: Dissimile ovum & lapis quadratus, Esau & Jacob. Contraria Æthiops, & Europæus. Privantia, puer baculo cæcum ducens. Relata Dominus & servus. Negantia duæ mulieres in judicio Salomonis litigantes unius oti adscribatur *est* alterius, *non est*. Adjuncta regulis cum comitatu personarum, quæ suâ imagine tempus, locum, aliasque circumstantias repræsentent. Antecedens & consequens, anguis caput cauda necessario sequitur, vel trabs bigæ catenis adstricta. Comparationem majorum, minorum, & pa-

rium

rium dabit bilanx diversimodè posita &c. 2. Præfigendum certum tempus, quod inviolabiliter exercitationi impendi possit, alioqui sæpiùs intermissionem fieri continget. Est autem matutinum aptissimum, quia mens, post quietem vegetior, & validior ad recipiendas & retinendas ideas, utpote nondũ aliis præoccupata, & distracta. Quòd si cui, alteram post meridiem horam exercitationi dare libuerit, vacationem mentis ante illam instituat priùs, deambulatione, lusu facili, & jucundo; tum, ut præhabitas excutiat animi occupationes, ne postmodum interturbent; tum ut acrior sit mentis acies, veluti cultri post justam acuitionem. Quâ occasione etiam notandum, eos, qui se huic exercitio dedunt, sobrietati addictos esse oportere, neq; perturbationibus iræ &c. laborare; hæ enim animum minùs habilem faciunt ad imagines imprimendas, & conservandas. 3. ipsum tempus utilissimum est dividere v. g. horam in quadrantes quatuor (& ita quidem, ut intervallum duarum vel trium horarum inter primum & secundum, similiter inter tertium & quartum interponatur ad quietem) vel duas horas inter quatuor semihoras, & cuiq; distinctam materiam attribuere v g. 1. matut. quinque memorabilia exempla. 2. matut. quinq; sententias. 1. pomerid decem vocabula, quarum aliqua sint non intellecta, 2. Pomeridian. cubiculorum trium vel quatuor constructionem, & meditationem: ita enim interpolatio, & varietas tædi-

um

um sublevat neque continuatio intensa vires enervat. Pridiana verò cubiculorum meditatio ad hoc deservit, ut proximâ exercitatione parata illa sint ad novas imagines reponendas. Verùm, tum quoque observandum, ut cuique quadranti, & semihoræ, horologii pulsus assignetur, quo audito, aliis continuò relictis, id quod tum agendum est, arripiatur, alioqui perturbationem sequi erit necesse.

4. Neque hoc prætereundum, quòd exempla, sivè res, sententiæ, & vocabula succisivis horis illis intermediis colligenda sint, & annotandas; si enim tum quærere primò velimus; & seligere, tempus exercitationi deputatum imminuetur, aut vacuum elabetur. Tempore verò exercitii mens non affigenda ad librum, vel chartam, unde materia sumitur; sed ad locum vel parietem, in quem reponitur vel reposita est. Neq; patet sibi singula verba in sententia vel exemplo, imaginibus exprimenda: sed rem bene intellectam in compendium redigat, & præcipua efformet, reliqua enim, fermè conjuncta, sequuntur principale.

5. Similiter non negligendum, quòd suprà monui, unicuiq; materiæ suam domum esse accõmodandã, suã vocabulis, suam sententiis, suam exemplis. Deniq; locorũ suis cũ differẽtiis efformatio (sive illi reales sint, sive imaginarii) meditatione quotidianâ, aut quoties per otium licuerit frequẽtetur; plurimũ enim in hoc velut in fundamento

situm est ; sicut & in imaginum affixione cum actione congrua & concatenato ordine. Repetitio verò fiat ordine recto, retrogrado, & intercalari, prout jam suprà dictum est, ut promptitudo comparetur. Postquam verò res jam multas, libros, & materias integras complexi sumus hâc arte, repetitio per dies aliquot instituenda est rei universæ. Faciamus igitur aliquem edidicisse hujus artis auxilio tota Biblia, horam diei dominicæ impendat repetitioni Geneseos, non ex libro, sed ex locis meditatis obiter percurrens, an omnia debito modo se habeant? an nihil exciderit eorum, quæ ad artem, quâ usus est, spectent? si defectus occurrat, emendandus est, nè proximâ repetitione in eundem relabamur. Feria secunda liber Exodi. Tertia Levitici. 4. Numerorum. 5. Deuteronomii 6. Josue, Judicum, Ruth. Sabbatho quatuor libri Regum. Alterâ Dominicâ Paralipomenon, Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, Feriâ 2. Psalmi &c. Et ita 14. aut viginti diebus tota fuerint Biblia repetita. Post menses tres, quatuor, aut sex, ab initio iteranda est ordine quodam, à principio ad finem redeundo. Quod ubi bis, terve factum fuerit, forsan non opus erit continuare diutiùs, vel saltem secundo, tertio, aut quarto anno, præsertim cùm quædam suâ natura talia sint, ut non facilè excidant. v.g. historia Danielis, Judith, Jonæ. Neque mirum cuiquam videatur tam magnæ partis, tam brevi tempore fieri posse repetitionem : nam si oculis corporeis per-

pervolvere, & percurrere possumus tota Biblia imaginibus materialibus expressa; tam citò enim, atque folia vertimus, uno intuitu videmus, quid in iis agatur, si videlicet omnia priùs nobis sint cognita, ut debent, quæ per artem locis affiximus: quantò magis mentis oculis, qui agilitate præcellunt corporeos. Quod autem dictum est de Bibliis, idem servire potest in doctoribus sacris, & profanis; in Theologia, Jurisprudentia, Medicina &c. quas in domibus separatis, unam quamque dispositas præsuppono, & in compendium redactas, ità ut præcipua & magis necessaria arti solùm sint accommodata.

§. VII. *Declaratur praxis quoad sententias, leges, orationem, concionem, dictationem simultaneam epistolarum, Philosophiæ, Juris &c. studium, ac tandem quoad linguas novas addiscendas.*

Praxis vocum, & rerum seorsim acceptarum satis patet ex dictis; sed & in una sententia seu constructione conjunctarum ibibem exempla data: nihilominus facilitatis gratia observationes circa integram sententiam adjiciam. Et primò quidem non est opus omnia totius sententiæ verba figuris exprimere; sed præcipua in quibus vis sensûs consistit, sive nomen sit, sive adverbium, sive adjectivum, sive substantivum: reliquorum enim accidentium & adjunctorum

Ratio exprimendi sententias.

facilè recordatio excitatur occasione principalium. Ad hoc tamen simul attendendum, quantum fieri potest, ut figura per actionem sic exprimatur, ut sensum totius sententiæ referat. v. g. poma dat Autumnus; ponam formam autumni in homine, puero poma distribuente. Nec quæ præteriit rursus revocabitur unda: nec quæ præterit hora redire potest. Pro primo versu ponam aquam ex petra erumpentem, pro secundo horologium. Silva feras cepit, volucres agitabilis aër: hic ponam vivarium, aut saltum feris repletum, supra quem in aëre volucres volitent. Hic notandum. quoties vox diversitatem aliquam rei importat, imagine exprimendam esse. Præterea dum synoymæ voces concurrunt, nè una sumatur pro altera: ut si hic legas aves, ubi legendum volucres: quare nota, vel signum adjiciendum erit, prout jam monui suprà. Quanquam applicatio mentis, & exercitium, præter opinionem etiam adjuvet. Ut autem vox prima sententiæ se offerat, potest & illa figurari. v. g. Nunc duo concordes animâ moriemur in una: ponam duos in mutuo complexu morientes sub *nuce* quæ mihi propter affinitatem *nunc*, indicabit. O mihi præteritos &c. ponam *ovem* &c si multi versus continui sint, ut initium cujusque facilò se offerat, serviet catenula aliqua verborum efficta, qualem dedi suprà in B i m s. Sic enim plurimæ sententiæ, paucis vocul s annotari poterunt. Ut verò reliqua ordine suo sequantur verba actionum ordo suprà expositus accuratè ob-

vo-

servandus est, ut constet, quid primo loco, quid 2do in imagine legendum sit. Quod porrò hic de versibus dicitur. Idem servit pro sententiis sacris & profanis, idemq; pro legibus & canonibus: unde & hic ad principalẽ sensus particulam animadvertendum, & quoties diversitas importatur, alia figura ponenda erit: ut in illo Matth. 7 petite & dabitur vobis &c. primo enim loco ponam unum petentem, alterum dantem: secundo loco quærentem & invenientem drachmam v. g. perditam; tertio, unum ad fores pulsantem, alterum aperientem. De citationibus majoribus librorum & minoribus capitum &c. jam dictum est superiùs.

leges & canones:

Qui concionem vel orationem ab alio habitam solo auditu excipere memoriâ cupit, primò eum nosse oportet quibus partibus oratio constet aut concio. Deinde locos in cubiculis ità oportet esse meditatum, ut nullâ de iis curâ inter audiendum distrahatur, sed solùm intendere possit affigendis in illis imaginibus. Habeat igitur destinatum, & cognitum jam probè primum cubiculi ad hoc electi parietem, pro Exordio seu ingressu cõcionis, secundum pro Propositione, & Partitione, tertium pro Confirmatione, 4tum pro Epilogo. Sunt hic qui pro loco hominem capiunt, & capiti Exordium, collo Propositionem, corpori cum brachiis Confirmationis argumenta, pedibus Epilogum imaginibus affigunt. Sed præferenda cubicula ob majorem capacitatem: potest enim in medio primi parietis affigi Exordium (sicut in medio secundi Propositio, in medio tertii Confir-

Modus excipiendi memoriâ orationem vel concionẽ ab alio habitam.

matio &c.) quod si plures habeat partes minores, poterunt ex in quatuor locis circumstantibus locari: qui si adhuc non sufficient (ùt contingere amat in confirmatione) quatuor interponemus alios, & erunt octo circumstantes, aut ex unoquoque loco parietem efficiemus, & viginti circumstantes habebimus in uno pariete, ac viginti locos in uno cubiculo, qui ad longissimam orationem vel concionem sufficiant. Cicero vult, ut in oratione, quoad locorum ordinem, incipiamus operari ab angulo superiore parietis lineâ rectâ procedentes: hæc enim ratio conformis est modo, quo lineas in chartis legimus; unde illam vocat sororem germanam literaturæ in qq. Acad. Nihil tamen obstat, quò minº ordinẽ ascendendi ex inferiore loco in superiorem teneamus. Cognitis igitur orationis aut concionis partibus, locisq; præmeditatis, collectâ mente auscultandum est, & res, quæ dicuntur, imaginibus exprimendæ. Neque tamen omnes sed principales omissis minùs principalibus; quæ quia cum prioribus cohærent, facilè se offerunt. Si assequi non possimus dicentem, faciendum id, quod solemus, dum dictantem scribendo assequi non valemus, transiliamº unum aut alterũ locum, spatium relinquentes, postea suppleturi, dum perorans respirabit, aut notum nobis aliquid, aut jam semel dictum, promet, vel dum nos ipsi repetemus; solet enim hoc ipso occurrere, quod tali, vel tali loco disponi hoc, aut illud non potuerit. Quanquam, si ùt dixi majores tan-

tantùm res effigientur in locis, potest excipiens plura efformare, quàm perorans eloqui; celerior enim mens est lingua, illamque prævolat. Et recensentur longæ quandoque historiæ, quæ unicâ egent imaginatione, & quia sæpe notæ sunt, dant spatium prætermissa supplendi, aut jam disposita repetendi. Quòd si quis argumentationes, tropos insigniores, & figuras annotare quoque voluerit, illum earum imagines jam in promptu habere oportet, ut eas tunc solùm suo loco adjiciat. Sic etiam periodorum principalium initia, & transitiones annotare possumus relinquendo duas, tres, aut plures voculas in loco præcedenti. Citationes primùm negligat, usquedum exercitatus sit in prædictis, tum quatuor aut quinq; addat, aliâ vice iterum totidem, sicq; propredietur, usquedum in illis exercitatione reddatur facilis ad quàm plurimas. Finitâ dictione mox repetitio instituenda, tentandumq; privatim, an negotium satis feliciter cedat. Consultum autem est ad hucante hanc exceptionem, exercitium præmittere, in facili aliqua & brevi concione. v. g. Fabri, aut oratione v. g. Vernulæi, ubi materiæ per puncta digestio saltem in margine posita, viam sternet ad difficiliora.

Modus edisc endi orationẽ vel concionem ex scripto.

Qui verò concionem, aut orationem ex scripto suo, vel alieno mandare cupit, is bis, terve eam attentè perlegat, partitionem illius quoad partes principales, & minùs principales observet, tum operando imaginibus exprimat, signis etiam adjectis, affectuũ, tro-

porum

porum, figurarum, tranſitionum, vocumq; initialium in periodo.

Dictandi ſimul plures epiſtolas.

Qui plures, ſcribit pluribus, uno eodemq; tempore dictare vult epiſtolas, præmeditetur priùs materiam, eamq; imaginibus per cubiculorum parietes, exprimat recto, retro grado, & intercalari ordine. Diſponens autẽ materiam per unum, vel plura cubicula, in unoquoq; pariete tot faciat loca, quot ſcribæ ſunt, ita ut in primo pariete pro quolibet ſcriba, ſit prima ſententia dictanda, in 2do ſecunda &c. quò poſtea reſpiciens per ordinem parietum, & in illis locorum, cuiq; ſuam materiam depromat, ex 1mo pariete cuilibet primam, ex 2do ſecundam &c. Si alicui minùs ſcribendum eſſet, relinquatur locus ab imagine vacuus, vel in medio, vel in antepenultimo, aut ultimo loco, hoc ipſum enim indicabit ſcribam tali numero poſitum prætereundum eſſe: quod forſitan ille per errorem fieri interpretabitur, miraturus in fine connexionem. Alii tot parietes quidem eligunt quot ſcribæ ſunt, ſed in uno totam pro ſcriba primo, in ſecundo ſecundam pro ſecundo & ſic deinceps. Sed tum virgulis & figuris diſcrimen faciendum, ut conſtet, quouſq; dictandum ſingulis vicibus, & ubi reſumendũ poſtea; verùm hoc non parùm difficultatis invehit, in faciendis tot reflexionibus, ſuper diverſos ſimul parietes, ſigna ceſſationis, & reſumptionis. Quare prior modus præplacet in quo quæ dictatione ſunt conjungenda, quæ dividenda, uno parietis aſpectu ſeſe offerunt, ve-

Ratio excipiendi multa paucis.

veluti legeret ex chara ordine jam digesta. Hic adjicere visum est, quo pacto quis legen lem, vel loquentem scribendo assequi possit. Primò exquirat dictiones longiores & usitatiores illius materiæ, artis aut scientiæ; ac pro eis signa & characteres sibi deligat. Debent autem esse breves & faciles, & qui paucis literis aut figuris scribantur, nè plus temporis in iis formandis, quàm in dictionibus ex integro scribendis impendatur: quales esse possunt literæ Alphabeti Latini, Græci, numeri arithmetici, notæ musicæ, figuræ Geometricæ. Hæc signa & characteres sibi reddat familiares exercitio privato, & paucis multa complecti poterit. Pro reliquis minùs frequentibus adhibeat abbreviationes Philosophis usitatas. Negotia si cui multa conficienda sunt, & expedienda, nè mente elabantur, notari possunt duobus modis. 1. Si in his locis, ubi eadem agenda sunt, vel aliis tibi notis & obviis, eorum signa & imagines statueris, 2. Si in digitis & articulis primâ cujuslibet literâ depictâ notas posueris.

Negotia & actiones multas.

Hâc ipsâ ratione juvare se possunt syllogisticè disputantes, quæ enim objicienda, aut resolvenda sunt, sic annotari poterunt. v. g. Major in medio primi parietis, & quæ de ea inter disputandum occurrunt retinenda, in quatuor aut octo circumstantibus locis affigentur. Minor in medio secundi parietis, Conclusio in medio tertii: si verò enthymema fuerit, vacabit paries primus, vel secundus, prout majorem vel minorem omittere continget. Si introductio fuerit, prima

Disputationes.

pars in medio primi parietis, secunda in medio secundi, tertia in medio tertii, adjecto semper aliquo signo ad memoriam excitandam efficaci: v.g. in dilemante pars una uno altera altero cornu notetur. Sunt qui in capite hominis, contra quem argumentantur, ponunt majorem, minorem in pectore, probationes majoris in dextra, minoris in sinistra, affirmationem, vel negationem signo hominis annuentis, aut renuentis exprimunt aut nota absolutionis & condemnationis usitata antiquis, aut calculo albo & nigro. Alii supervacaneum existimant singulas minutias annotare, contenti solius medii termini imagine, quia, ut ait Aristoteles, medium est tota vis, & virtus syllogismi. Scalam igitur Jacob accipiunt, in cujus supremitate thesis seu status quæstionis, tũ in singulis scalæ gradibus singuli medii termini, & probationes probationum. Ipsius autem Dialecticæ aut Physicæ memoriam sibi comparabit studiosus, si tractatus, Disputationes, & earum titulos omnes primo calluerit, prout à Magistro sunt traditi ordine & verbis. Secundò si pro numero & ordine materiarum diversarum, numerum & ordinem cubiculorum disposuerit: & si materiæ amplitudo, aut subdivisio exigat, cubicula duplicârit, triplicârit, ex uno v. g. cubiculo tria per interjectos tapetes faciendo, aut uni loco, alios circumstantes addendo. Sicut autem sententiam seu conclusionem in medio parietis statuet, & probationes in locis circumstantibus, ita objectiones in opposito tapete vel pariete col-

Philoso-phia.

collocabit, primam in medio, reliquas locis aliis. Similiter Juris studioso faciendum, ut nempe primò titulos, & regulas Juris teneat ita ut quocunque ordine, aut numero indicato, eas edicere valeat. Deinde in domûs ad hoc electæ (quam quadratam esse oportebit, ut sunt monasteria, Collegia) primo latere seu tractu constituat librum primum Institutionum, in secundo secundum, in tertio tertium, in quarto quartum In secunda domo (pluribus enim domibus opus est) primo latere librum primum Digestorum, in secundo, secundum, in tertio tertium &c. Semper in una domo quatuor libros effigiendo, quæ ut sit capax, unumquodq; latus, seu tractus, decē, 15. 20 25 cubicula habeat. Tertio incipiens à primæ domûs primo latere, ponat titulum primum in medio primi parietis, in medio secundi parietis legem primam; in medio tertii primum §. in medio quarti 2. §. Si quid autem circa hæc præterea annotandum, in quatuor, aut octo circumstantias locorum reponat. Sic cubiculo uno absoluto adeat secundum ejusdem lateris seu tractûs, & rursum in medio primi parietis ponat §. 3. in medio secundi 4. §. & sic deinceps, dum omnes sint absoluti: actum ingressus tertium in medio primi parietis ponetur lex secunda primi tituli, in medio secundi parietis, primus §. secundæ legis, in medio quarti parietis tertius §. secundæ legis Sicque progrediendum in cæteris, quibus absolutis, in sequentibus cubiculis similiter titulus

Iuris prudentia.

tulus secundus cum suis legibus & §. §. disponatur. Potest etiam accipi tractus plateæ alicujus, in qua tot concipiantur domus, quot tituli unius libri, & sic in unaquaque domo disponantur leges & §. §. qui sub illo sunt titulo.

Quid Canonistæ, Theologo &c. faciendū.

Quod dictum hic de Jurisprudentia consequenda, idem sibi in usum accommodare potest Canonista, Theologus, casuum, & controversiarum (quæ tamen majorem affinitatem habent cum Philosophia ob methodum qua traduntur (studiosus. Item advocatus, qui tamen tractus platearum aut cubiculorum accipere debet. Qui habeant è diametro alium tractum oppositum, uti esse solent in civitatibus, & Monasteriis, ut dum in uno cubiculo aut domo, causæ unius negotium constituit, in opposita domo, vel cubiculo statuat. Adversarii actionem, argumenta & processum. Hunc quoque modum usurpare potest controversiarum alumnus. Concionator autem sibi tot deligat cubicula, aut domos, quot Evangelia sunt Dominicæ, & Festorum per annum, & in iis annotet, quæ voluerit.

Praxis linguas novas addiscendi.

Supereſt, ut de praxi, rationeq; linguas novas addiscendi adjiciam aliquid. 1. Statuat sibi domum, in qua tot sunt cubicula, quot literæ Alphabeti linguæ illius, quam jam tenet. In primo cubiculo statuat voces linguæ sibi notæ, quæ incipiunt ab A. in secundo, quæ à B. & sic consequenter. Tum singulis diebus operando ponat è regione ad vocem

vocem linguæ notæ, significationem ignotæ, quam quidem facilè adnotabit, si quæ de vocabulis ignotis dicta sunt suprà, calluerit, 2. aliam domum eligat capacem in qua disponat Regulas cum exceptionibus, quæ lectionem, scriptionem, & pronunciationem, concernunt. Habeat igitur cubiculum primum pro lectione, in quo Regulæ, quæ ad eam pertinent, annotentur; exceptiones autem in oppositio pariete, vel super Regulas in fornice aut tabulato. Alterum pro scriptione, si opus est, similiter disponat. Constructio cùm declinationes, conjugationes, Genera & casuum varietatem habet, plura cubicula sibi vendicat: in quorum uno sint, quæ de generibus nominum observanda docet Grammatica: In secundo, quæ de declinatione nominum. In tertio, quæ de Conjugatione verborum, præteritis & supinis. In quarto quæ regimen nominum & verborum quoad casus & modos pertinent. In quibus ipsis, si opus sit & cubicula multiplicari poterunt, & loci, modo superiùs exposito. Quando verò opus sit, attendenda divisio & partitio authoris, è quo linguam discimus, qualis in Latina. Emman, Alvarus in Græca Jacobus Gretserus, Clenardus: in Hebræa P. Majer, in aliis alii. Appromittit autem Lamb. Schenkelius l. 1. c. 3. n. 33. quod si quis velit in hoc totus esse, quamcunque trium mensium spatio comprehendi posse, sic ut promptè loqui, intelligere, epistolas scribere

ex

ex illa in paternam transferre possit, licet quandoque in loquendi, scribendiq; usu offendat. Requirit tamen hominem, scribendi, legendique peritum, in arte memoriæ jam facilem, adultum, non puerum, præterea mediocri ingenio, desiderio autem & animo ad laborem præditum.

Atque hæc, quæ de arte memorandi hactenus dicta sunt, apud diversos sparsim, & involutè legi possunt: qui omnes post perceptionem perceptorum uno ore, nil nisi experientiam, exercitationemque inclamant, & aureos in hac memoriæ fodina montes pollicentur. Nec est, quod quis gravissima obtendat negotia, quo minùs ejus usum sibi comparare valeat: est enim ars ejusmodi, quæ in ipsam negotiorum partem advocari, applicarique potest, & sublevare pondus cum distractione, & fructu in labores secuturos dimanaturo.

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

HIERONYMI MARAFIOTI

Methodus memorandi in digitis.

FAcilem hic Author, & sensatum, utpote oculis corporeis præsentem, se asserit invenisse modum memorandi, in quaterna, utriusque manûs facie: angustum illum quidem, ut apparet; at tam capacem, ut non tantùm materialia entia, ut ipse loquitur, & nomina aliquid significantia, sed & dictiones significationis expertes, imò syllabæ literæ, notæ musicales, puncta, commata, & quidquid humana lingua explicare potest, signari queat. Principio difficilem esse ait, quoad apprehensionem; at cùm quis cœperit in eo se exercere assiduè, haud tantùm videbitur facilis, sed & delectabilis.

Statuit itaque pro loco universali quatuor facies in ambabus manibus: loca verò particularia vult esse ventriculos digitorum & volarum in eisdem manuum faciebus interiùs, exteriúsque consistentes, qui numerum nonaginta duorum non excedunt. Quòd si plures conceptus, aut verba sint annotanda in una v. g. concione, quàm nonaginta, multiplicat loca, per varia signa inse-

De locis.

rius

riùs declaranda, ita utſin infinitum valeant produci. Initium autem locorum quoad ordinem, ſumi vult à primo ventriculo pollicis ſiniſtræ manûs, non dexteræ, eò quòd expertus ſit meliorem. Diſtantiam locorum non curat; ſed diſcrimen & differentiam, quam etiam linea carbone ducta facere poteſt; hic autem faciunt lineæ junctu-rarum in manibus.

Ordine & conditione locorum.

Pro imaginibus figuras certas accipit, quæ ad numerum alphabethi, ſunt viginti tres, & tribus, ac viginti locantur in locis, in unaquaque ambarum manuum facie. Differunt inter ſe *figuratione*, *ſitu*, & *ordine*, quorum nomina juxta proprietatem figurationis hæc ſunt. Figura prima dimidio orbe cæſa, luna vocatur; ſecunda circulus; tertia triangulus, quarta annulus, quinta circulus cornutus, eò quòd duo cornua in una parte habeat. Sexta quadrangulus, ſeptima ſemicirculus, octava Π Græcum, nona arcus, decima figura ovalis, undecima baſis Jonica, duodecima vallis plana, decima tertia forma vaſis, decima quarta litera G. majuſcula. 15. litera D. majuſcula. 16. circulus inciſus. 17. Scutum regale, 18. litera P. majuſcula. 19. circulus ſuper baſim. 20. Pyramis obtuſa. 21. Ypſilon. 22. anguis. 23. Q. litera majuſcula. His autem nominibus authori placuit appellare figuras, ut ſic valeant per propria nomina diſcerni. Diſcernuntur verò etiam ab invicem

De figuris in hamate.

vicem, *propria ſpeciei diverſitate*. nam unaquæque differt ab altera ſpecie & forma ut intuenti patibit. Sunt & aliæ differentiæ, altera ſecundùm *ſitum*, & altera ſecundùm *ordinem*, *ſitu* quidem differunt, quia quædam ipſorum in ventriculis digitorum ponuntur, & poſticis eorum, quædam verò in volis manuum, earumque oppoſitis regionibus. Differunt etiam *ordine*, quia prima luna ponitur in ventriculo pollicis ſiniſtræ manûs, ſecunda luna ponitur in ungue auriculari ſiniſtræ manûs, tertia luna in ungue pollicis manûs dexteræ, & quarta luna locatur in ejuſdem manûs ventriculo auricularis: poſt lunam verò cæterarum figurarum ordo ſervatur diſſimilis, ita tamen ut figura quævis quatuor occupet locellos, cum hac diſſimilitudine, tu ſi in manu ſiniſtra intrinſecus figurata, à ventriculo pollicis incipiendo, figurarum ordo deſcendit ad volam, & à vola elevatur uſque ad auricularis ventriculum, interiori tamen ejuſdem manûs parte, initium ſit ab ungue annularis, uſque ad unguem pollicis.

De ordine figurarum.

Cùm autem ad dexteram accefferis, ab ungue pollicis figuræ deſcendunt, ad oppoſitum volæ, & aſſenſum habent uſque ad unguem annularis ejuſdem manûs. Cùm autem in interiori facie ejuſdem manûs intraveris, lunam locabis in ventriculo auricularis, & eodem, quo proceſſiſti ordine, in exteriori facie ſiniſtæ manûs, procedes in interiori dexteræ. Hæc omnia adtectæ figuræ apertiſſimè indicabunt.


Y
21
P
18
V
12
G
14
D
15
Q
23
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
13
16
17
19
20
22


24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
C
D
V
Y
Q
P

De Exercitatione.

Quod verò exercitium attinet, sicut in aliorum arte imagines quotidie, terq; quaterque mente lustrandæ sunt (ex frequentatis enim actibus generatur habitus juxta Philosophos) ita faciendum in figuris, quæ ponuntur in manibus: quotidie nempe septies, octiesq; sunt memoriâ percurrendæ, quin & quindecies & ultrà, tùm recto tùm intercalari, tùm retrogrado ordine: in hujusmodi namq; exercitatione totum fundamentum consistit; schema autem appositum sinistræ interioris & exterioris duntaxat faciem exhibet; sed eodem modo procedendum est in dextera, hac solùm differentiâ, quod ab ungue pollicis in ea sit exordiendum.

De literis in hac arte effigiendis.

Suppositis præmissis figuris non utitur hic author imaginibus. Sed in figuris datis notas & signa rerum significandarum & memorandarum constituit. Et quidem pro literis Alphabeti, licèt admittat instrumenta literarum similitudinem referentia, qualia suprà dedimus, ipse tamen mavult uti ipsismet literis, quas in dictis figuris collocat: v. g. expressurus syllabam Ba. in luna ponit B. in circulo A. sicque duæ figuræ unam dant syllabam, & tres, vel quatuor unam dictionem. Quia tamen sic nimiùm distrahuntur literæ, & figurarum locos occupant multos, compendium facturus pro literis syllabas judicat ponendas, sed ita, ut litera unica posita syllabam referat, quam indicari vult per virgulam literæ simplici insisam: v. g. po-

g. ponitur A incisum, hoc ipsum, quod sine incisione simpliciter positum signicaret literã A. cum incisione virgulæ potest significare *ab* vel *ad* pro arbitrio operantis. An autem hic & nunc denotet *ab* vel *ad* id docet colligendum esse ex constructione reliquorum: artificem enim nosse oportet quid sermonis propietas, & regulæ exigant; sufficit illi reminiscendi ansam dedisse, quòd incipiat ab A. Et hunc modum pariter servire, ait, articulis, adverbiis, conjunctionibus &c. Atque præpositionibus. Horum effigiationem in literis & simpliciter & incisim positis exhibet schema appositum.




A
B
V
IA
Y
P
R
A
Q
V
AM
D
C

Sed oboriri potest difficultas, dum singulæ syllabæ, aut dictiones, ab eaden litera incipiunt, quâ ratione scri possit, quid indicent, cùm æqualiter sint inciſæ: v. g. ab Antonio accepi aurum. Respondet ille discrimen fieri posse. 1. per dissimilitudinem literarum. 2. per dissimilitudinem figurarum; eadem enim litera cum in diversa figura ponatur, potest esse index aliud hic importari per illam, quàm alibi. Dissimilitudo autem fieri literarum potest per adjectionem notæ vel literæ in principio, aut fine v. g A. inciſum designabit Antonio, Ai. accepi, Am aurum. Sufficit enim, ut aliquam dictionis speciẽ referat nota, reliqua insinuet; nam sapienti pauca. Hujus exemplum habetur in præcedenti schemate, à figura 9.

Dictiones similiter incipientes per diversitatẽ figuræ aut literarum adjectarum discernuntur

Aliquando literæ initiali, adjicitur similitudo vocis, vel rei, quam literæ sequentes important. Sic, ut vox hæc risus indicetur, ponitur litera R. & grana aliquot orizæ, quæ Italis granum risum dicitur: ut cachinnus, ponitur K. hæc enim cum rarior sit, apta est excitare memoriam cachinni, quæ vox à c. & a incipit. Ut balatus, ponitur B. & à dextera illius sinistráque ala, quasi B. alatus. Sic ululatus ponitur U. cum duabus supernè alis. Horum exempla videre potes in præcedenti schemate à figura 14.

Item deres quarũ gerunt similitudinem.

Personæ in hac memorãdi methodo exprimun-

Personæ per sua insignia

muntur per sua ingenia in figuris posita, v. g. Roma indicabitur per literas S. P. Q. R. in figura descriptis. Quod si personæ insigni non habeant, aut nobis ignota sint, facienda sunt ex rebus gestis, quæ cuique peculiares sunt. Sic cum S. Antonius M. laborantes sacro igne protegat, ejus insigne sit flamma ignis. S. Francisci Seraphici sint quinque stigmata. S. Joannis Evangelistæ calix cum serpente. Vide præcedens schema à figura 17. Sic Abrahamum Victorem quinque regum & Melchisedecho munera offerentem donaturus, pro victoria pone ramum palmæ, pro munere Melchisedech mitram Pontificiam. Pro Isaaci autem immolatione aram, supra quam gladius, pro nomine Ptolomæi Sphæram. Plura cujusque ingenio permittit author, quod exercitatione acutiùs & promptiùs reddetur. Data exempla videri possunt in præcedenti schemate incipiendo à figura 20. Quod res materiæ expertes attinet, exprimendæ sunt per similitudines diminutas, & subtiles v. g. Deus per lucem; Deus enim lux est Joanne teste. Verùm Deus Pater indicandus erit, per radium lucis in superiori parte figuræ; filius per radium in inferiori parte figuræ: Si verò tres radii erunt in figura, tertia Spiritûs S. persona significabitur. At pro SSS. Trinitate pone triangulum in figura, pro Angelo, angulum propter vocis affinitatem,

cui

cui angulo si subjeceris primam ex nomine alicujus literam, ipsum nomen indicabis. Si plures exprimendi sint Angeli, plures anguli ponantur lineis subtilibus ducti. Dæmones autem per puncta nigra notari poterunt. Horum exempla dabit schema sequens á prima pollicis figura incipiendo usque ad septimam, in qua anima per nexum significatur, ut quæ nexum petit cum corpore.

Numeri sic exprimuntur: 1. per columnam. 2. per serpentem. 3. per triangulum. 4. per quadrangulum. 5. per pentangulum. 6. per hexangulum. 7. per rosam Geometricam. 8. per corpus cubum. 9. per circulum. 10. per crucem. 100. per dimidium lunæ. 1000. per M. majusculam. Hæc omnia repræsentat sequens schema ab octava figura incipiendo. Numen.




M
P
V
D

Multiplicari possunt loci in infinitum secundùm diversitatem colorum & signorum. quib:s manus signantur & ornantur: quod quomodo fieri debeat, ex me accipe. Accepi ego, inquit ille, aliquãdo librum, quem pluribus decoravi manibus, & figuris ostendentibus facies ambarum manuum, in quibus figuras semper easdem posui; manuum autem facies quatuor pro prima vice albæ erant, juxta naturam paginæ, pro secunda vice nigræ, pro tertia rubræ, & sic semper diversificavi colores in libro, ut per sensum fieret facilis apprehensio in intellectu. Cum autem defecerunt colores supra quatuor facies manuum, descripsi aliqua signa: scilicet inprimis quatuor faciebus coronam, in secundis liliũ, in tertiis avem, & sic variando signa, facta fuit variatio manuũm, & multiplicatio locorum. Multa quidem & alia essent dicenda pro artis facilitate, sed ne fiat nimis vulgaris ut etiam eâ cerdones, & setarii utantur, quæ dicta sunt sufficiant, hæc ille.

Ratio loca multiplicandi.

PARS ULTIMA *Rhetoricæ.*

De Pronuntiatione.

HÆc quidem ultima Eloquentiæ pars, sed non postrema, cui Demost. primas & secundas, & tertias attribuit: quâ instructi puelli sæpe maximam retulêre gratiã & plausum, ob concinnam vocis & actionis moderationem. Hac unà re Hortensius Ciceroni, si non æqualis, certè secundus fuit, cùm ejus

ejus scripta longè abfuerint ab illa vivæ eloquentiæ forma, ut appareret aliquid placuisse eo dicente, quod postea legentes non invenerint. Et verò ingeniosè inventa prudenter dispositа floridè exornata oratio est quidem aliquid, si tacitè legatur, longè tamen ampliùs, si viva voce, & actione animata excipiatur. Hinc Gracchus tantam adhibuit diligentiam, ut servum literatum, & peritum post se occulto loco haberet, qui concionanti inflaret eburneâ fistulâ sonum, quo illum, aut remissũ, excitaret, aut à contentione revocaret. Porrò pronuntiatio in 2. consistit; in voce & gestu, seu actione: prima pars aures concernit, altera oculos, per quos duos sensus, omnis eloquentiæ vis ad animũ dimanat.

§. I. *De Moderatione vocis.*

Sonus vocis, rebus, quæ proferuntur, accommodandus est, ut de magnis graviter, de levibus remissè, aut contemptim dicatur. Neque semper eodem vocis tono declamãdum v.g clamosè semper, aut somnolentè; sed modò attollenda vox, modò deprimẽda prout res postulat: nam si perpetuò remissè dicatur, aut languidè; si nõ dormitat auditor saltèm nõ adeo dictioni erit intentus: si autẽ clamosè omnia proferantur, prẽterquã quod absonum, & stentorium sit vociferari, etiam nimia assiduitate obtunditur auditus, ut nec vehementiâ quidem excitetur; non secùs ac contingis illis, qui inter rotarum in molendino strepitus non excitantur, sed dormiunt securi, quòd illis assueverint. Varianda igitur vox, & modò attollenda, modò deprimenda

menda, quemadmodum in concentu musico fieri consuevit; varietas enim & hic delectat: ubi vehemens est affectus, vehementiâ opus est vocis, ubi mediocris, mediocri, ubi lenis leni. Si affectus sit exultantis animi, exprimẽdus excitatâ & plaudente voce; si doloris, lugubri; si admirationis, attonitâ, si exclamantis aut optantis, intensâ, si timentis; remissâ & tremulâ: si insultantis generosâ, si interrogantis, acutâ, si reprehendentis aberbâ. Inde patet, matersã ac potissimũ sententiarum figuras (hæ enim materiæ accomodandæ sunt) præ oculis esse habendas. Sanè aliter Ironia atq; Allegoria efferri postulat. Sic Cicero pro Ligario. Vide Cæsar, quàm non reformidem, quanta lux tuæ liberalitatis, & sapientiæ mihi apud te dicenti oboriatur: quantũ potero voce contẽdã, ut hoc popul Rom. exaudiat. Suscepto bello Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio meo, ac volũtate, ad ea arma profectus sum, quæ erant sũpta contra te &c. Hic concitatæ vocis exemplũ habes: flexibilis verò, interruptæ & flebilis in illo Gracchianæ Orationis loco, quòme miser conferã? quò vertam? in Capitolium-ne? at fratris sanguine redundat. An domũ! matremne ut miseram, lamentantẽq; videã, & abjectam? Timentis affectus est in exordio pro Milone; itatì contra Antonium Phil. 2. O præclaram illam tuam eloquentiam, cũ es nudus concionatus! quid turpiùs? quid fædius? quid suppliciis omnibus dignius? num expectas, dũ te stimulis fodiã? hæc te si ullã partem habes sensus, lacerat, hæc te cruentat ora-

oratio &c. Advertit autem Quintilianus, nō in toto solùm contextu, sed etiam in singulis propè verbis mutandam esse vocem: sic principium proMilone: *Etsi vereor judices*: dicit submissa voce esse pronuntiatum à Cicerone, quia est exordium (in exordio enim mox vociferari agreste est, & vocē principio debilitat, ut postea rauceſcere cogatur) & solicitū quidē: tamen aliquid plenius & erectius dum dixit: *pro fortissimo viro* quàm cùm: *etsi vereor judices & turpe sit & timere*. Ulteriùs verò ut verbis crescit oratio, ita & vocem intumuisse asserit, præsertim cum magnitudo animi Miloniani ostenditur &c. Imò sunt, qui in ipsis dictionū syllabis varietatem vocis faciendam quandoq; esse monent, non secus ac fit in musica: & patet in illo in Antoniū Phil. 2. cui eructare turpe esset, is vomens fustis, esculentis, vinum redolentibus gremium suū implevit. Ubi in *eructare*, vomere, implere trahendæ sunt vocales; aperiendæ fauces, ut absurditas rei exprimatur. Idem cum proportione factitandum in aliis. Hanc artem ut quis assequatur, optimum censet Fabius, ediscere quā maximè varia, quæ vocis flexis omnes habent, eaq; quotidie dicere (quod etiam ad pūrificandam, rectificandamque vocem juvat, & ad conservandam à sene Cicerone factitatum est, qui ambulatione quoque usus est in hunc finem, & temperantia) ut dicenda sunt. Hujus rei causa declamationum in scholis nostris est usus, in quibus, qui frequentiùs adhibiti sunt, longè majori perorant gratiâ, quàm alii. Sunt ean-

eandem ob rem Magistri, qui suis Tironibus concinnatos variis affectibus tonos (ut vocant) ediscendos tradunt, in quibus totius anni decursu, certis in hebdomada diebus singuli per ordinem exercentur. Possunt & alii loci ediscendi assignari v.g. ex causino lib. 8. ex Seneca Tragœdo fragmentum, in quo illustris affectus expressus est, ex Cicerone, Virgilio. v.g. constitit & lacrymans: quis jam locus (inquit) Achates? quæ Regio in terris, nostri non plena laboris? En Priamus &c. ubi lætitia cum fletu miscetur

§. II. *De Gestu seu Actione.*

Sensus animi non solâ voce pandimus, sed & gestu, hoc enim modo cũ surdis loquimur & muti nobiscum: unde gestus ab ipso Tullio viva eloquentia compellatur, quo etiã muta animantia varios doloris & lætitiæ affectus, præsertim oculis exprimũt. Hinc summũ studiũ duo oratorum Principes in actione collocârunt. Demost. grande speculũ intuens cõponebat actionẽ corporis, & gestũ, suis demum credẽs oculis, quid gestu valeret. Quin etiam satyrum histrionẽ ad eas artes Magistrum adhibuit. Sed & Cicero histrionibus magistris Roscio Comœdo, & Æsopo Tragico usus est. Cum Roscio animi quoque gratiâ sæpius contendere solitus erat, utrùm ille pluribus rem eandẽ gestibus effingeret? an ipse variis elocutionis formulis sententiã unam pronuntiaret? ita vim figuris sentẽtiarũ non inferiorem in gestu existimabat. De Graccho refert Cicero, quòd cùm illa superiùs posita: quò me miser conferam &c. ipse

Ci-

Cicero verbis recitaret, & Gracchus exprimeret oculis, vultu & gestu, ita cõmotos esse ejus inimicos, ut lacrymas tenere nõ possent. Non est autem putandũ solis præceptis gratiam hanc acquiri, sed quã maximè exercitatione & imitatione ut monet Cypr. lib. 1. c. Hinc audiendi celebres oratores, & conciona tores; & observandũ quid decori afferant in agendo, quid ad gustũ, motumq; faciens, ac deinde privatim exercitatione exprimendũ Idipsum in spectaculis, comœdiis, tragediis, declamationibus scholasticis, quæ nõ solùm ad privatum agentium, sed etiam spectantium fiunt profectum, factitandum est. Cæterùm præcepta ferè hæc præscribuntur, status corporis sit erectus, hoc enim secũdùm naturam est, quæ os homini sublime dedit, cælumque tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Nutatio igitur, & vacillatio fugienda, ne Orator audiat, quod Curio à Julio Cæsare quærente, quis è lintre loqueretur nam se Curio velut in cunis agitabat corpore. Aut quod eidem objecit Q. Sicynius, quòd muscas pepulisset Octavio unguentis delibuto, more suo se jactando. Subindè tamen jactatio, & inclinatio ad rem ipsam exprimendam necessaria est, ut dum de jactatione navis in fluctibus agitur. Quod membrorum singulorum actum concernit, hoc universim tenendum est, ut gravis sit, nõ levis, lascivus, petulans, mollis & effæminatus: eloquentia enim est loquens sapientia; sapientis autem est gravem præferrè membrorum habitum; scenica igitur gesticu-

stiçulatio histrionibus relinquatur, qui oblectationi deserviunt, non decoro. Orator forti & virili, non puerili & ludicra laterum inflexione, capitis brachiorumq; motu utatur, gestum magis ad sensum, ac rẽ universã, non ad singula propè verba accommodans. Hortensius, quòd nimius esset in gestibus, gestlicularia Dionysia (id saltatriculæ tunc famosæ nomen erat (appellatus est teste Gellio & Cicerone. In particulari de capite hoc observandum est, ut leviter huc atque illuc nõ projiciatur; sit erectum non pendulum: demitti tamen nonnihil potest, dùm modestia animiq; depressio est exprimenda. Etiam in exordiis à Cicerone usurpatum est, reverentiæ & timoris indicandi causâ, ut patet in Orat. pro Dejotaro. Solo capite facere gestum, aut frequenter, vitiosum est; frontem ferire in dolore, Ciceroni videtur oratorium, Fabio scenicum. Quod dictum est de capite, idem de oculis accipiendum, oculi enim capiti conformandi. Sic accipiendum illud Virgilii, modestiam fœminæ tribuenti: tum breviter Dido vultum demissa profatur. Quin universum hoc observandum, ut jactus oculorum, gestuum, non capitis duntaxat, sed & manuum & pedum sequatur, nisi dum aliquid damnamus, rejicimus, aversamur v. g. Dii talem terris avertite pestem! tum enim oculi aliorsum torquendi, quàm manus feratur. In oculis, ac vultu plurimum situm est, hi enim velut interioris animi fenestræ manifestant affectus, amorem, iram, pudorem, timorem, gaudium

dium &c. Quare ea forma exprimendi sunt oratori, quâ formantur ab iis, qui reipsâ amant, furunt, timent &c. Unde advertendum, quis affectus spectatâ materiâ, & figura sententiæ exprimendus sit? si enim riseris ore, aut oculos liberè jeceris, dū triste quid refers, esto voce tristi utaris, nil movebis Auditorem, nisi ad risum aut disgustum. Idem est dum ira, vultu, oculisq; referenda. Adhoc faciliùs præstandum, juvat expendisse materiam dicendam, & meditatione effectum illum animo imbibisse; hoc enim conferet ad nativam in vultu & oculis expressionem affectûs, quin etiam ad intensionem, remissionemque vocis suo tempore faciendam. Hoc si sacri Oratores sibi curæ sumerent, non tam frigidæ, atque inanes tot illorum essent dictiones: aliter enim eos in animo sentire, atque loquuntur, frons, oculique indicant. Narium, labiorum, menti, cervicum & humerorum rarus est gestus? Humeros jactabat Demosthenes, sed hoc vitium irâ dicitur emendâsse, ut cùm in angusto pulpito stans, peroraret, hasta dependens humero immineret, quæ calore dicendi excedentem, offensa illa commonefaceret. Sicut autem sine brachio vel manu truncum est corpus, ita & actio si motu brachiorum & manûs sit destituta. Brachii foras projectio laudatur in contentionibus, contractio in remissis dictionibus. Manus autem sinistra nunquam sola movetur, dextræ se-

so

se frequenter accommodat, ne otiosa & iners videatur. Manus jungere in optatione, aut precibus fundendis est necesse: complodere scenicum putatur; manu ferire pulpitum, rusticum est; nisi vehemens effectus exigat: secare quasi gladio pulpitum, aut aërem, pugitum est. In enumeratione tamen plurium verb. grat. affectuum, vel adjunctorum, in contentionibus præsertim, pondus facit. In remissis autem narrationibus, aut ubi res singularis non est indicanda, utraque manus æqualiter vibratur graviter, modò palmâ sursum patulâ, modò inversâ; non enim eodem semper modo gestus faciendus. Si res singularis demonstranda est, & fieri potest, manu vel digitis faciendum v. g. pacem inire, minari, connivere, erubescere &c. quæ prout fiunt, exprimenda sunt, v. g. manibus conjunctis fœdus & pax, per digitos aspiciendo, dissimulatio. Cæterùm si nihil singulare indicandum sit digitis, juncti tenendi, non divaricandi in gestu. Si instantior sit motus, quo etiam pulpitum feriatur, jungitur pollex cum duobus proximis in conum, reliquis duobus sub pollicem retractis. In vindicando, comminando, exprobrando utimur solo indice, sicut & dum unitas exprimenda. Contrahere quatuor digitos in manum, & postea explicare, submissionis & tenuitatis est signum v. g. Si quid est in me ingenii, quod sentio, quam

sit exiguum. Tullius argutias digitorum vetat, ne ad numerum cadat oratio. Quod reliqua membra attinet, Fabio scenicum est ventrem projicere, pectus cædere, at femur ferire indignatos decet, & excitat Auditorem. Supplosio pedis in contentionibus inchoandis & finiendis, est opportuna, incessus permittitur Oratori, sed rarus: discursare autem ineptissimum est. Hinc facetè Flavius Virginius interrogavit de quodam, quot millia passuum declamâsset. Verùm hoc de scenica actione non est accipiendum, in qua statio perpetua, truncam actionem facit.

§. III. *Regulæ artificiosæ Pronuntiationis, & actionis ex Cicerone & Quintiliano potissimùm collectæ,*

A Patre Joanne Voelo Soc. JESU.

CUm in dicendo præcipuum id esse videatur, ut non modò verba rebus, sed vox verbis, motúsq; voci sit accommodatus: utilissimum fore visum est, actionem oratori propriam regulis quibusdam breviter complecti. Quarum primæ spectarnet ea, quæ dicendi actum præcedunt, mediæ pronunciationem ipsam & actionem: postremæ verò ea, quæ dicendi actum consequuntur.

De

De iis, quæ præcedunt actum dicendi.

Regula I.

Ante omnia suam orationem orator memoriâ teneat, ita ut expeditè eam, sine interruptione, vel hæsitatione possit recitare.

II.

Deinde pronunciando se privatim exerceat, optimum autem exercitationis genus esse ducat, quod ipsi operi sit quàm simillimum. Rerum igitur dicendarum varietatem privatim observare, iisque sonum vocis & gestum regulis, quæ sequuntur præscriptum, accommodare consuescat.

III.

Expedit rerũ, ac personarum, de quibus agitur, locos diversos ante se dextrâ, lævâq; positos animo concipere, ad quos oratio, manus, oculi, motusque omnis convertatur.

IV.

Quicunque dicendo volet excellere, vocis suæ quantitatem, qualitatem & usum privatâ exercitatione, ut experiatur, necesse est. Quantitas vocis duas habet cautiones: una est, ut tantus sit sonus, quantum loci amplitudo postulabit: altera, ut cui vox est imbecillis, insurgat rarò, rariùs exclamet, sæpe summittat, deflectat sæpe. Qualitas vocis item in duabus maximè cernitur; ut clara sit, ut suavis: claritas augebitur frequenti exercitatione pronunciãdi ea, quæ clamorem habeant, & disputationem, & flexum: suavitas imitatione, suaviter, presseque loquẽtium, eaque soni moderatione, quâ vox ad fi-

nem usque pura, flexibilis, facilis, aptaque perseveret. V.

Ad motûs, vocisque confirmationem prodest amici prudentis judicium adhibere, gestum à minori motu, ad majorem vocem, ab imis sonis ad summos præparare spiritumq; ut longior fiat, pluribus versibus cõtinua voce pronunciatis subinde producere.

VI.

Nonnisi gratia à DEO precibus expedita, animoq; priùs collecto & alacritate quadam excitato, naribus ac pectore (si opus esse videatur) præpurgatis, veste composita cum dignitate quadam ac gravitate, neq; timidus, neque perturbatus ad dicendum accedat.

VII.

In loco ubi dicendũ erit consistens antequã orationẽ incipiat, exhibito auditoribꝰ, honore, breviuscula mora sibi cõparet attẽtionẽ.

De ipso dicendi actu.

Cùm actio nihil sit aliud, quàm vocis & gestûs moderatio; constat omnem actionem duabus partibus contineri: sono vocis & corporis motu. Duo igitur regularum genera constituenda sunt: unum quod ad vocis moderationem, alterum quod ad gestus conformandos pertineat: maximè enim solet Auditores permovere, quod simul & vox auribus, & gestus oculis, & verba mentibus imprimerunt.

De modo pronunciandi & vocis moderatione.

Regula I.

Facto silentio, jamq; ad audiendum compositis auditoribus, principium orationis (nisi sit

si sit abruptum) clarè, suaviterq; pronunciandum est: non clamosè, neq; præcipitanter, sed temperata voce, gravi & distinctâ modulatione. II.

Absoluto exordio, sono vocis apertiore narrabit orator, acriore confirmabit flexo miserationē, elato sumos affectus, summisso compositos pronūciabit. III.

Vox non ultrà vires urgenda. Honorum igitur mediorum præcipuus sit usus: rarior aliorum, minusq; diuturnus: nam summi rumpuntur: imi vim non habent, vox autem media quæ nimiam depressionē, & elationem fugiet, est longè omnium optima.

IV.

Non diu tamen eodem tenore pronunciabit, nec quasi leget orationem, sed adhibebit vocis varietatem, pro rerum & affectuū varietate: atrocia concitatè, tristia flebiliter, mediocria temperatè, grandia cum majestate quadā, commutationē voce commutata, Prosopopæiā vel Reticentiam concisa proferet: observabit sonum proprium affirmantibus, indignantibus, dolentibus, interrogantibus, mirantibus, vel alio affectu commotis: voces deniq; pro ratione rerum significatarum, vel cōtracta voce formabit vel erectâ.

V.

Latini accentus exprimantur suaviter sono latinarum literarum proprio, sine tremore vocis, aut cantilatione, sine peregrina vel rustica, vel effeminata vel dura literarū appellatione, sine sibilo, hiatu, balbutie, & id genº aliis deformitatibº. Pronuntiatio peregrina

est, quæ Gallicæ, Germanicæ, cæterisque linguis barbaris est propria.

VI.

Cùm in oratione neq; tarditas nimia placeat, quia solvit animos inveniendi, difficultatem fatetur, & auditorẽ cogit expectare; Neq; volubilitas, & celeritas nimia, quia distinctiones, & affectus confundit, verba truncat, nec satis intelligitur. Optima erit promptitudo moderata, quæ vel sola magnã parit admirationem, quemadmodũ memoriæ defectus contemptũ parit: nemo enim magnopere mirabitur oratorem, qui chartam inspexerit, qui titubaverit, qui hæserit, qui repetierit semel dicta, quantumvis vel tussiendo, vel mungendo, vel spuendo, vel sese inclinãdo dissimulantem. VII.

Quanquam neq; dictionum, neq; membrorum, neq; periodorũ fines, ita cadere debent, nec ita rapi vel absorberi syllabæ, ut nõ intelligantur: molestum tamen est, & odiosum nimis expressè literas, & syllabas singulas velut annumerare. Optimi oratoris est literas nec opprimere, neq; nimis exprimere voces tamen integras proferre, pedes etiam & numeros doctâ modulatione nonnunquã servare, præcipuè in finibus sententiarum.

VIII.

Ut oratio distincta sit, observandum est, ubi, & quonam modo inchoanda vel sustinẽda sit, ac quasi suspendenda sententia: deniq; ubi & quonam modo deponendi; ubi comma fuerit, vel parva quædã distinctio, brevioribus intervallis utendum: in membris longioribus

gioribus finibusq; sententiarum, eâ moderatione respirandum est, ut nec celeritas fatiget oratorem, neque tarditas afferat tædium audientibus.

IX.

Nemo cum sonitu respiret, aut majorem spiritûs, ac vocis partem per nares emittat.

X.

Finem orationis, si ad concitandũ sit compositus, decet continens & intentior sonus, & concitata pronuntiatio: si ad placandũ lenis, si ad hortandum, erectus ac concinnus, si ad mœrorẽ, flexus, si ad lætitiã, plenus & jucũdꝰ.

De Gestu.

REGULA I.

HOnore auditoribus exhibito, manibusque in pulpitum prolatis stet rectus orator, curamq; ac gravitatem præseferens exordiatur, idque vel sine ullo mannum motu, vel non nisi leniter paululumq; ultra sonum protensâ dextrâ, cum gravi ac tarda in utramque partem laterum flexione, eodem spectantibus oculis, capite, & humeris sensim obsecundantibus. Quæ quidem laterum virilis conversio, totius orationis decursu nunc ad hos, nunc ad illos gestum diriget, tum varietatis gratiâ, tum etiam, ut orator commodius à pluribus videatur, & audiatur; denique ut inter res ipsas, de quibus agit quasi versetur, singulas ad locos à se conceptos gestu referens, quo magis & afficiat possit, & allicere. Nam Cicero laterum & totius corporis motu rebus consentiente, plus agi putat, quàm ipsis manibus. Manûs autem compositio ad exordiendum, gestus-

que reliquos eleganter formandos, plerumque, vel ea esse debet, quâ pollice elevato, cæteri digiti leviter inflectuntur, vel qua medius digitus in pollicem contrahitur tribus explicatis, vel qua primus quatuor digitis leniter in summum coëuntibus, manu non procul ab ore, vel pectore ad nos conversa fertur, ac deinde prona, ac paulùm prolata laxatur, vel indice, medioq; digito (quod narrationi commune est) pollici junctis, reliquis duobus remissis: vel si quid monstrandum erit, pollice intus inclinato quatuor digitis remissis. II.

Narrationē decet manus magis prolata, gestusq; liberior. Confirmationem acrior, & variis affectibus, de quibus paulò post dicetur, concitatus. III.

Capitis nutum frequentem in vitio esse constat. Non tamen dedecet aliquando, vel annuendo confirmare, vel renuendo negare, vel capitis in latus inclinatione languorem, vel aversione remotionem, indignationem, execrationem aut concessionem significare, vel dubitationis, admirationis, & similium affectuum naturæ, motu capitis, obsequi. IV.

Vultus & aspectus nunc severus sit, nunc blandus: nunc erectus & alacer, nunc submissus, & tristis pro rerum diversitate. V.

Oculi, nec in trabes, nec in certum aliquem locum stupidè figantur; sed motus animi significent, & vario conjectu res, de quibus dicitur, notent.

La-

VI.

Labra modico motu verba efficiant, quæ nec lingi, nec morderi, nec replicari, nec torqueri, nec porrigi, nec diduci convenit.

VII.

Collum neq; contractum esse decet, neq; tensum; cervicem quoque neque rigidam, neque supinam, sed naturali situ rectam.

VIII.

Dedecet humeros jactare, vel attollere, vel contrahere.

IX.

Brachia nec deorsum incomposita pendeant, nec sursum ut tela jactentur: dexterum tamen brachium subinde liberiùs proferre licebit, sed non in tantum, quantum patet ejus longitudo (nisi fortè cùm ad res magnas gestu notandas in latus exspatiabitur, explicantibus se in proferenda manu digitis) neq; ut velut ad tectum, aut ad cælum erigatur: verùm ut in summis tantum affectibus, & rarò vel ad dextram supra oculos, vel ad sinistram supra humeros extendatur. Sinistrum verò brachium plerumque ita tenendum, ut quasi angulum rectum faciat, nisi cùm motibus dextri obsecundabit.

X.

Cùm duo sint actionis genera, quæ magis in manuum, quàm reliquarum partium corporis motu cernuntur, aut eam exhibent, quam docet impetus animi, & naturæ: aut eam, quæ curâ, studio, & arte comparatur: utramque & naturalem, & artificiosam actionem orator observabit; ita videlicet, ut motui naturali quendam modum arte adjun-

jungat, quo nimia tarditas, nimia celeritas, & immoderata vastitas evitetur.

XI.

Numeros, argumenta, partes, memora, distributionem, vel in digitos eleganter conspicuo motu digerat: vel motibus quibusdã manûs dextræ perducentibus, seriem numerorum à læva ad latus dextrum: vel repetito quolibet leni dextræ motu significet enumerationem: vel modicâ percussione dextræ in sinistram, duobus ultimis digitis dextræ palmam, aut pollicis initium prementibus, pollice ad medios articulos juncto prioribus.

XII.

Supplicabit & invocabit utramque manum vel attollendo, vel submittendo: aut utraque manu vel junctâ vel protensâ.

XIII.

Aversabitur, execrabitur, negabit, humero sinistro prolato, capite ad dextram vergente, manuq; dextra propellente in lævam: vel utramq; manum in sinistrum latus avertens, vel utramq; aversam abjiciens: vel in latus utramq; distendens: vel demissis superciliis dextram excutiens: vel capite renuens: vel dextrâ in sinistrum latus, unde descendebat, resiliente.

XVI.

Interrogabit, dextram manum conversam attollens.

XV.

Urgebit, & instabit alterno motu, nunc totam manum contrahens, nunc totã explicans: vel duos medios pollici subjiciens, vel indice prono reliquis tribus pollice pressis: vel

vel ſummo indice ſiniſtræ leniter apprehenſo: vel medio indicis ſiniſtri articulo apprehenſo ad vehementiam majorem: vel medio dextræ digito, in pollicem cõtracto, reliquis tribus explicatis, ac brachio liberiùs prolato

XVI.

Diſtinguet contraria; transferendo dextrã ſupinam, in ſiniſtrum latus, eâdem mox pronâ in dextrum relatâ, pollice intus inclinato & quatuor digitis remiſſis: vel ſummo pollice juncto dextri indicis ungui medio cæteris digitis remiſſis. Diſtinguet etiam ſubinde membra ſententiarum, & commota manui dextræ accommodata, & leni percuſſione; nunc majori, nunc minori, nunc preſsâ, nunc citatâ, pro rerum, & affectuum diverſitate.

XVII.

Demonſtrabit ſeipſum, manu ad ſe relatâ ubi de ſe loquitur. Ad res alias demonſtãdas, quod attinet, cùm ſeptem ſint partes motûs, quinque earum probantur. Nam dextrâ, lævâque ſurſum, deorſum, & ante nos rectè oſtendimus: ſed poſteriora geſtu retrorſum converſo demonſtrare, vel circulis, ſive geſtibus in ſe redeuntibus uti, vitioſum habetur.

XVIII.

Diſputabit ſummo indicis articulo apprehenſo duobus proximis digitis modicè curvatis, minimo interim vix inflexo.

XIX.

Exprobrabit tribus digitis preſſis, & indice explicato: vel preſſo medio, reliquis tribus explicatis: vel preſſis mediis duobus.

XX.

XX.

Profert rationes manu primùm collectâ, digitis deorsum spectantibus : mox eâdem conversâ, & resolutâ, ut quasi revera aliquid proferat.

XXI.

Timebit prolatâ manu dextrâ ad pectus, quatuor primis digitis in summum coëuntibus, quæ deinde prona, & protensa laxetur.

XXII.

Irascetur stricto pugno, percussoque pulpito, vel pugno compresso, pectori admoto, voce asperâ, vultu turbato, motibus concitatis, neque vitium erit manu dextrâ ad sinistram, ad humeri altitudinem elevatâ aut femur (si extra suggestum dicetur) percutere: aut contentione incipiendâ, vel finiendâ pede supplodere.

XXIII.

Pœnitebit pressâ manu admotâ pectori. Dolebit autem manibus inter se complicatis, vel utrinque dejectis.

XXIV.

Admirabitur manu resupinâ à minimo digito collectâ, flexuq; redeunte explicatâ, & conversâ, oculis in cælum suspicientibus: vel motu dextræ ad sinistram unde descendebat resiliente.

XXV.

Ironiam ostendet utroque indice in latus protenso, vultu paulùm averso.

XXVI.

Asseverabit, dextra remissa, pectori admota: vel manibus quadam gravitate complosis.

XXVII.

Hortabitur manu dextra, cava, rara, supra

que

que altitudinem humeri dextri, gravi motu, elata,

XXVIII.

Mitigabit animos manu pansa leniter, parvisque intervallis mota humeris, paulùm modestèque assentientibus.

XXIX.

Modum & copiam manibus, vel parùm, vel multùm disjunctis ostendet: vocabit manu sursum flexa: dimittet aversa, minitabitur erecto & moto indice: prohibebit, promittet, poscet motu, quem his affectibus impetus naturæ proprium dedit.

XXX.

Gestus optimè incipitur dextra, à latere sinistro simul incipiente sententia: deponitur autem à dextris unà cum fine sententiæ: Ineptum est gestum sæpe deponere in eadem sententia, aut sæpe finire motus sinistros.

XXXI.

Sola sinistra rarissimè gestum exhibebit: sæpe tamen sinistram cum dextra movebit orator: ut cum ostendet rerum multitudinem, magnitudinem, vastitatem, vel summos affectus, vel ubi vocem per conduplicationem repetet.

XXXII.

Utraque manus nonnunquam immota conquiescet: præsertim ubi nullus affectus assurgit; displicet tamen diuturnâ motûs intermissio

XXXIII.

Curandum est, ut varietas gestuum, varietati vocis & verborum respondeat: quod, ut com-

commodiùs fiat, quatuor obſervanda ſunt. Primùm tota cauſa videnda, an læta ſit, an triſtis: deinde partes majores: nam exordio lenis motus, confirmationi verò alacrior: tum ſententiæ, quæ variantur affectibus, quibus exprimendis adhibenda eſt diligentia. Poſtremò verba ſingula, quorum aliqua ſubinde vel cum emphaſi, vel aliqua alia ſignificatione proferenda ſunt.

XXXIV.

Nemini placet ejuſdem geſtûs perpetua repetitio: argutiæ tamen & flexus ſuperſtitioſi, quos veteres non tradiderunt, procul ſunt removendi.

XXXV.

Finis orationis ſi ad concitandum ſit compoſitus, motus requirit concitatos: ſi ad placandum, lenes & ſuaves: ſi ad triſtitiam, tardos ac fractos: ſi ad lætitiam, alacres, celeres, excitatos.

XXXVI.

Dignitas, & modeſtia in omni motu magnoperè eſt obſervanda, & decorum illud, quod latenti quadam, & inexplicabili ratione aliud eſt in aliis; quod quidem ſinè arte non eſt, neque tamen totum arte tradi poteſt.

FINIS.

SOART,
„ US.

Th
5810



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN